SCIPIONIS CLARAMONTII CAESENATIS IN QUARTUM METHEORUM...

Scipione Chiaramonti







CLARAMONTIVS
IN QVARTVM METHEORVM
COMMENTARIA.




SCIPIONIS CLARAMONTII CÆSENATIS IN QVARTVM METHEORVM LIBRVM COMMENTARIA.


EMINENTISSIMO D.


D. FRANCISCO ALBITIO

S.R.E. CARDINALI.









Pelu

Scala

CÆSENÆ Typis Nerij M.DC.LIV.

SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIMO DOMINO,

SEMPERQVE COLENDISSIMO

D. FRANCISCO ALBITIO

TITVLI SANCTAE MARIAE IN VIA

CARDINALI AMPLISSIMO.





VÆ Te (Cardinalis Eminentiſſime) ad hoc faſtigium euexit, vndè omnia Tua Dignitate inferiora eſſe proſpiceres, eadem quoque Tuorum me vis Meritorum, quamuis meæ non inſcium exiguitatis adduxit, vt Tuam in Lucem prodire non erubeſcerem, mecumq; hoc Opus Authoris liberalitate donatum deferre Tuo Nomini, Tuiſq; dicandum Auſpicijs: METHEOROLOGICÆ, quibus deſcriptum eſt, Impreſſiones non alibi, aut digniùs poterant explicari, aut illuſtriùs collocari, quàm eo in lumine, quod è Tuæ Purpuræ Splendoribus mihi dudùm affulſit, fœliciùs haud quaquam aliundè, quàm Tuo è Stemmate ſibimet Omen auſpicaturæ, vbi tutioribus in orbibus dabitur illuceſcere: inanem interim ne aliorum vmbram iactarem, me Tibi conſtitui, id vnum in votis habens, vt quo humillima quæque dignaris intuitu, me paritèr cum illis Tuæ obſequentem Fortunæ non aſperneris. Profectò maiora de-

diſſet

disset Author, si tantis ditanda censuisset honoribus; viueret is fortasse, vel Tuo Nomine clarior, si tanti Patrocinij in spem consenuisset; atque mors illum sustulit inexorabilis, quem tamen omni maiorem inuidia poteris è tumulo facilè reuocare in Tui Luminis auras, atque in perennem Nominis, & Honoris immortalitatem, tùm maximè, si quæ precor enixè studijs non abnuas, quibus vt ipsum semper, sic etiam hoc leuidense mei pensum laboris complectaris exopto, atque Sacratæ Purpuræ fimbriam humilitèr deosculor, licèt infimus

Eminentiæ Tuæ

Obsequ[illegible]ntissimus tamen famulus

Carolus Nerius.

PRæclara ſuper Quartum Metheororum Ariſtotelis Commentaria hæc Religioſiſſimi Sacerdotis D. D. Scipionis Claramontij vidi ego infraſcriptus pro Reuerendiſſimis Dominis meis Illuſtriſs. Epiſcopo Petro Bonauentura, & P. Magiſtro Fratre Camillo Campeggio Sancta Sede Apoſtolica in hac Prouincia Generali Inquiſitore, cum nihil contineant aduerſum editionis leges, ſed doctiſſima prorſus Auctorem ipſum Doctorum Doctorem repreſentent, digniſſima, quæ typis cudantur iudico. Ex Diua Maria de Conſolatione Cæſenæ die 12. Auguſti 1652.

D. Celſus Roſinus Abbas Lateran. Doctor, Theol & Conſul.

Imprimatur.

Io. Bapt. Cioninus Vicarius Gen.

Imprimatur.

F. Michael Angelus de Cottognola Vicarius S. Off. Cæſenæ.



INDEX RERVM NOTABILIVM.

+ Cau-

D.

E.

Hu-

L.

M.

Mixta

Pu-

Q.

R.

S.

S.

FINIS.




IN-

INDEX CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

Quæ-

Num



FINIS.


LECTORI BENEVOLO.

DOctissime lector, ea hilaritate, qua hoc Opus recipies, ea prorsus humanitate errata corrige (quæq; sint) sensum doctrinalem corrumpere minimè credo, meo rudi iudicio multa attuli, reliqua dum tuo clariori ingenio cernis præli labilitatem argues. Vale.




SCIPIONIS CLARAMONTII CÆSENATIS.

In Quartum Librum Metheorum



COMMENTARIA.



AGGREDIOR expoſitionem quarti libri Metheorum, vt in libris Ariſtotelis communiter inſcribitur, eſt liber qui principia fermè recōdit philoſophię illius ſenſatioris, quę de foſſibilibus, de viuētibus plātis, ſcilicet & animalibus, agit. Quocirca Medici Theorici vocati, qui deſertam à Philoſophis de ſanitate, & morbis cōtemplationem occupauerunt frequenter huius libri ſententias, & dogmata memorant, in illiſq; partim recenſendis, partim cenſendis multum temporis, & operæ ponunt. Non ego reprehendo eorum conatum quinimo aliquorum ingenium, & ſubtilitatem vſq; admiror, nomen potius, ſi operę prætium eſſet nomini. vacare reprehenderem: nam ſanitatis, & morborum radices, & cauſas profunda cōmentatione indagare, cum ſint affectiones corporis naturalis ad philoſophiam naturalem pertinet: ad Medicū autem curare morbos: tueri valetudinē ſpectat, hoc ipſum fatetur Auicenna princeps Medicorum arabum, idq; ſibi voluit Ariſtoteles cum tradidit vbi definit Philoſophus, inde Medicum exordiri. Si tamen cōferamus Philoſophos & Medicos ſunt illi amplius, quàm hi culpandi, illi .n. hæc, quę ſua erant ommittentes imperfectam, quam profitentur philoſophiam reliquerunt. hi nō ſua attingentes, quæ alij ommiſerant medicinam locupletiorem reddidere. Ego tamen philoſophiam hanc vocarem, ſed eorum, qui ſe profitentur Medicos, (at ſunt ea in parte philoſophi) ſtudio, & cura cultam. Prçclaram igitur cognitionem liber hic continet, & ad multa perutilem. Liber eſt qui multiiugibus difficultatibus, & cōtrouerſijs ſcatet, ego difficultates, & obſcuritates cōmentario diligenti, ac veram quam arbitrer ſententiam, complectente illuſtrare conabor: at controuerſias in annotationibus ſeorſum poſitis tractabo, & diſputabo, annotationeſq; proinde in quæſtiones partiar plures, paucioreſue pro rei exigentia, eo conſilio ſeiunxi ab expoſitione diſputationes, vt Ariſtotelis mens iuxta ſententiā meam expedito obtutu pateat, neq; omnibus vacat longis ſe, ac multis controuerſijs implicare. Cæterum qui diligentius, & profundius rerum cognitionem expiſcantur, aliorumq; præterea opiniones cupiunt intelligere, his annotationes, inſertis diſputationibus ſatisfacient. Prçmitto autem etiam præfationum numero libri ſubiectum: locumq; inſcriptionem ac diuiſionem.

QVÆSTIO PRIMA.

De Subiecto Libri.

In præfat. Alexand. opinio

DE libri huius subiecto non est idem dicendi modus. Alexander Aphrodisiensis simplici sermone non astricta illa ratione, qua in assignando subiecto suæ, pleriq; latini vsi sunt, rem sic consideratam vir explicat (in præsenti, inquit, libro. „Quænã sint ea declarat, quæ vnaquæq; dictarum virtutum caliditatis, frigiditatis, humiditatis, siccitatis facit, aut patitur, & quæ ab ipsis geruntur, aut fiunt.„ Hæc illæ, quibus in verbis continentur quæcunq; Aristoteles in libro tractat, vt dum logica diligentia assignari debeat subiectum cuius principia traduntur, & de quo affectiones demonstrentur non satisfaciunt hæc Alexandri dicta. Quamobrem Ioannes Grammaticus vult de metallis, & fossibilibus esse librum. At mistum perfectum statuunt plurimi subiectum libri. D. Th. & Albertus, multiq; sequuntur latini, dicunt enim mistum imperfectum expositum in prioribus tribus metheorologicis, at mistum perfectum tradi in hoc quarto, alij dicunt esse mistum similare amplissime acceptum, vt scilicet ambitu suo complectitur metalli, & fossibilia, carnem, ossa, & reliquas partes similares animalium, & plantarum; hanc opinionem profert Zabarella eamq; Olympiodori, & Auuerrois profitetur. opinionem verò de misto perfecto refutat, quoniam mistum perfectum complectitur etiam partes dissimilares viuentium, & viuentia ipsa, plantæ siquidem, & animalia sunt mista perfecta at in hoc quarto de solis similaribus agitur. At egò arbitror distinguendam, & declarandam particulam à Zabarella adhibitam [amplissimè acceptum] quæ dictio cum vniuersalitatem significet duobus modis sumi potest, altero præcisè altero cum indeterminata inclusione declaro terminos animal præcisè sumptum significat naturam ipsam sensitiuam absq; eo, quod vlla alia accedat perfectio intelligendi, ratiocinandiue. Cum indeterminata inclusione significat animal, vt sub eius ambitu, potestate tamen cõtinentur omnes species animalis, magna inter hæc intercedit differentia, nam corpus præcisè sumptum est pars non genus animalis, eoq; in significatu dicimus animal ex corpore, & anima constare, non autem esse corpus. At alio modo corpus est genus & prędicatur vniuoce de animali. In hoc ergo libro subiectum est mistũ perfectum præcisè, non autem secundum inclusionem interminatam, nam si hoc modo, oporteret in hoc eodẽ libro de speciebus agi misti & animatis, & inanimatis, si debeat de misto in tota sua amplitudine agi, at si præcisè de sola natura misti qua mistũ adiungendo scilicet pro differẽtia vel perfectũ, vel similare. At vtra particula est adiungenda? Respondeo mistum perfectum præcisè sumptum significare præcisè mistum terminatum ex omnibus elementis coalitum, secundum quam præcisionem dissimilare corpus non est mistum, sed ex mistis compositum verbi gratia brachium componitur ex varijs mistis carne neruo, osse, &c. nõ cõponitur præcisè ex elementis, qua dissimilare, sed ex similaribus Aristoteles 1. c. 2. de part. animal. vnde

Opinio Diui Th.

De Const. nat. philos. cap. 27. opin. Olymp & Zabarellæ.

Ex D. Th. de ent. & essent. c.

vnde Galenus quoque morbos similarium tribuit intemperiei morbos assimilarium compositioni; dico secundo, mistum aliquod imperfectum esse mistum similare, vt vapor, si enim diuidatur vapor vtraq; pars erit vapor, si diuidatur nix vtraq; pars est nix, fit hinc, vt vniuersalius sit mistum similare præcisè sumpta mistione, quàm mistum perfectum, cum itaque definiatur hic mistum perfectum, non imperfectum, de quo iam egit Aristoteles in præcedentibus tribus libris metheorologicis, potior mihi, & accommodatior videtur D.Th. explicatio subiecti libri huius dum mistum perfectum facit, quàm eorum, qui mistum similare asserunt. Sit igitur subiectum libri huius quarti mistum perfectum cum præcisione sumptum. Ratio Zabarellæ contra D. Th. respondeo nō procedere dum mistum hic perfectum præcisè accipiatur, veluti dixi. Est alia eiusdem viri ratio ibidem. Quoniam quæcunque dici possunt de misto perfecto dixit in lib. de gen. Aristoteles: ergo non erat cur quicquam hic adderet. At falsum est, quod sumit Zabarella, Nam definitio generationis misti, quam nunc tradit est perfecti misti, quæ in prioribus libris deerat. Opposita eius corruptio nondum constabat cum putredinis explicatione egeat, vt ex commentarijs nostris in 3. cap. patebit, quæ sint causæ efficientes terminationis in hoc libro exponitur cum antea non constarent, & alia eiusmodi multa ennumerari possunt, quæ relinquo alijs consideranda.

Opin. aut.

Cap. 26. de con. nat.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Loco Libri.

NON minor est controuersia de loco, & sede libri huius. Sunt autem duæ sententiæ altera Alexandri, & sequacium non paucorum, altera frequens latinorum, cum qua stat ordinatio, & series librorum passim vsurpata. primo illa sententia iungendum hunc librum secundo de gen. & interitu asseuerat; secūdo in eo loco, in quo nunc visitur retinendum asserit scilicet post tertium methorologicorum collocandum. Argumentum pro sententia Alexandri ex nexu rerum, & verborum Aristotelis ducitur. quoad verba enim inchoat quartum ex quaternario numero qualitatum elementorum, & primarum qualitatum, quibus constituuntur, ex earumque diuisione in actiuas, & passiuas, quæ omnia in libris de gen. & inter. tradidi, quoad res verò de mistione in 1. & misto postmodum egit; in secundo libro de gen. egit, at generationis definitio tradenda erat proximè ad integrandam misti in vniuersum cognitionem, postquam generationis in vniuersum, & definitionem, & causas tradiderit. Præstat autem hoc in lib. hoc quarto, ergo liber hic quartus debet proximè iungi secūdo de gen. & int. libro. hoc pro Alexandro argumentum. At pro contraria sententia sunt, & ratio, & testimonia Aristotelis. ratio quidem quoniam ordo poscit vt cum in lib. de gen. & inter. actum sit de misto latissimè sumpto mistumq; postea in duo membra scindatur imperfecti, & perfecti misti quo-

rum imperfectum prius est origine perfecto, poscebat inquam ordo, vt post misti in vniuersum explicationem, mistum imperfectum exponeretur, indeq; mistum perfectum, tres ergo libri priores metheorologici in quibus de mistis imperfectis agitur debent statim sequi libros de gen. &c. & tres priores metheorologicos sequi nullo alio interposito libro hic, qui de misto perfecto agit in vniuersum, vt postea species perfecti misti in libris de fossibilibus, de animalibus, de plantis disseratur. Testimonia verò Aristotelis sunt ex principio 1. lib. metheorologicorum, & ex calce huius quarti in primo ergo libro metheorologicorum principio epilogat, quæ cunsq; dixerat, & solum quæ in libris phisici auditus, in libris de Cælo in libris de gen. & inter. dicta sunt repetit, non ergo inter libros de gener. & libros metheorol. priores quartum interponit. in calce verò quarti huius proponit se iam de similaribus, & de dissimilaribus animalium, & plantarum partibus acturum; non ergo post quartum ponit tres priores metheorologicos, vt ferret opinio Alexandri: proponeret enim in eo calce se primum de metheorologicis scripturum. Postea de plantarum, & animalium partibus: Ego in hac controuersia probabiliorem arbitror sententiam Alexandri, imò si dimissa Aristotelis auctoritate rem ipsam spectemus, prope certam. Ratio est. Quoniam cum egerit de mistione, & de misto in libris de generatione, & generatio misti tum sit necessaria ad integrandam inchoatam misti cognitionem, tum sit finitima mistioni misti generatio, necesse erat eam subijcere dessertationi de mistione, & de misto habitæ in libris de gen. & corrupt. proinde librum hunc in quo vno generationem misti definit, & tractat illis statim subnectere, vel hoc alio modo idem dicamus, qui de mistione egerit, & misti tractationem adorsus sit debet procedere ad definitionem generationis misti, eiusq; cognitionem tradendam, tum misti corruptionem tradere, & quæcunque ad mistum in vniuersum pertinent subijcere, at de generatione misti in vniuersum agit in hoc quarto vt dicitur libro de corruptione misti, & de cæteris mistum consequentibus, & non alibi ergo hic liber est coniungendus cum tractatione de mistione, & misto, quæ in libris de generatione, nec alibi ab Aristotele traditur, sed respondebunt definitionem generationis misti in vniuersum, eiusq; cognitionem tradi in lib. de generatione & corruptione at in hoc quarto definiri generationem misti perfecti; debuisse autem primum definiri generationem misti imperfecti, quod præstat Aristoteles in tribus prioribus metheorologicis at contra responsionem in confirmationem specificæ nostræ argumentor, præmittendo distinctionem tractationis de mistis perfectis, & imperfectis, alia enim est de ipsis in ipsis in vniuersum, alia est de ipsis in particulari de mistis perfectis in generali agitur in hoc quarto, de mistis perfectis in particulari, quæ sunt metalla singula, fossibilia singula, partes animalis, caro, neruus, vena, arteria, sanguis, ossa & eiusmodi aliæ, & plantarum pariter caro, neruus vena, fibra &c. de his agitur in libris de fossibilibus, qui Aristotelis non extant. Sed extant Alberti Magni, & Georgij Agricolæ, & in libris de animalibus, & de plantis, de mistis pariter imperfectis potest in vniuersum agi, si mistum imperfectum definiretur definitione cōmuni omnibus imperfectis, deq; opposita corruptione, deq; alijs eius affectionibus, agitur in particulari, dum singula eiusmodi mista tractantur, scilicet cometæ ignitæ nubes

bes chasmata, nubes pluuiæ, fulmina, & cætera meteorologica, hac præmissa distinctione arguo. Tractationem de misto in vniuersum debet statim sequi tractatio de speciebus summis misti, scilicet de misto perfecto, & imperfecto in vniuersum, postea descendere ad species singulas mistorum, hoc & ratio poscit, & Aristotelis stylus, qui cum prius egerit de motu in vniuersum in 3. physic. postea agit de eius summis speciebus in quinto in vniuersum de generatione, corruptione, motu locali, alteratione, augumentatione, antequã agat de speciebus motus localis leuium, & grauiũ corporum, & circulo mobilium, & de augumentatione in specie, & alteratione, non autem agit primo de motu, exempli gratia locali in genere, deinde de speciebus singulis eius motus, & postea de alteratione in genere, & postea de singulis speciebus alterationis; hæc ergo est propositio vera, tum ex natura ordinis, tum ex vsu Aristotelis alicuius generis, iam explicati primo species summas in vniuersum ambas, vel plures tractare, quàm ad alterius infimas species descendere. Antequam ergo Aristoteles egerit de speciebus singulis misti imperfecti, quæ traduntur in libris prioribus meteorologicis debebat agere de misto perfecto in vniuersum, quod facit in hoc quarto ergo hic quartus anteponendus est prioribus tribus, rursus nedum prius erat in vniuersum definiendum, & considerandum mistum perfectum, quàm imperfecta misti species; sed erat prius considerandum, & definiendum, quam mistum imperfectum in vniuersum, probo ratione. Nam rectum est index sui, & obliqui. Quocirca ex definitione perfecti est imperfecti cognitio, & definitio deriuanda, hoc ipsum confirmo ex facto Aristotelis. demonstratio alia tradit ueram, & absolutam scientiam, quæ est per causam proximam, alia tradit imperfectam, quæ est à signo, vel per causam remotam. Est itaq; perfecta illa demonstratio, hæc præ illa imperfecta. At Aristoteles priorem definit: posteriorem nequacquam, vt scilicet ex definitione perfectæ imperfectæ definitionem educamus. Pariter amicitia alia perfecta, quæ est honesta aliæ imperfectæ iucunda, & vtilis, at Aristoteles definitionem solius honestæ tradit, dum dicit esse beneuolentiam mutuam, non latentem, hæc enim vere soli honestæ conuenit, qua sola amicum ipsius causa amat non sui, vt reliquæ duæ faciunt, & in proposito generationis misti, hoc etiam factum conijcimus, cum nusquam misti imperfecti definitionem tradiderit Aristoteles, vt significet se contentum definitione perfecti ad imperfectum definiendũ. Adhuc quę ad species imperfecti misti cognoscendas exiguntur in hoc libro traduntur, grando nonnisi ex cõgelatione, & congelationis causa, & modo cognoscitur Aristoteles ipse in cap. de grandine: item concrescit nix causas concretionis in solo libro tradit ergo secundum ordinẽ distinctæ cognitionis hic liber debet illũ præcedere vapor, & exhalatio sunt causæ omniũ metheorologicarũ impressionũ, at hos halitus tradit, & distinguit, & ex quibus corporibus eleuẽtur in hoc libro distinctè tradit, nõ autẽ in prioribus meteoroligicis in quibus scilicet definit quidem vaporẽ, & exhalationẽ, sed non tanta cũ diligentia distinguit species, neq; vnde educantur tradit quãta hic vtitur. Respondeo nunc cõtrarijs argumentis, primo itaq; rationi, quia prius de mistis imperfectis, quam perfectis, quid respondendum sit patet ex dictis falsum est, prius agendũ esse de misto imperfecto in vniuersum, quàm de perfecto in vniuersũ imò cõtra faciendum est ex secunda ratione meatat 2. ca. 1. post

esto etiam de misto imperfecto in vniuersum prius agendum esse, quàm de misto perfecto in vniuersum non tamen certè est prius agendum de mistis imperfectis in particulari, quam de misto perfecto in vniuersum. Ad testimonia Aristotelis ea certè multa cum probabilitate pro se adhibentur à contrariæ sententiæ fautoribus attamen non respuunt eadem loca expositionem etiam nostræ non repugnantem, principium scilicet 1. meteorologicorũ cum de communi generatione, & corruptione se egisse dicit potest exponi vt sub communi generatione, etiã contineatur generatio misti in vniuersum, & pariter sub corruptione eius corruptio, sunt enim communes illæ præ generationibus, & corruptionibus particularium specierum misti de quibus tum erat acturus. Dico ad secundum locum ad calcem nempe huius quarti proponere quidem Aristotelem agendum esse de singulis mistis perfectis, & deinceps de dissimilaribus, vt mistorum similarium species, quæ solum in genere explicatæ erant singillatim cognoscerentur at mediatè ne an immediatè tractandæ essent non determinare. Secus neque de mettallis, & fossibilibus esset antea agendum, contraquam ipsimet, qui contrariam sententiam defendunt asseruere, præterea verò proponit ibi Aristoteles de mistis omnibus similaribus perfectis esse agendum ita enim fert verborum eius, & rationis adductæ vis, & licet in extremis verbis exemplum solum partium similarium viuentium adducat non ad illas tamẽ se restringit eodẽ in loco imò paulò prius in eodem capitis partes metallorum, etiam meminerat: legantur commentaria mea in eum locum.

Albertus Magn. Zabarella De conl. n t. phil. c. 30.

QVÆSTIO TERTIA.

De Inscriptione Libri.

INscribitur nunc liber quartus Metheorologicorum, quæ inscriptio ipsum inter meteorologicos libros reponit, secundum Alexandri sententiam nõ potest meteorologicus esse, quia cum præcedere debeat primum eorundem librorum in primi ipsius exordio proponit se Aristoteles de meteorologicis ab initio acturum, ergo eòusque non egit. At penes etiam eos, qui postponunt, eadem dubitatio nascitur. Vtrum sit inter meoteorologicos recensendus. Ratio dubitandi est. Quoniam metheoræ significant, quę in edito sunt. At mista de quibus sunt agit nõsũt in edito sed circa mediũ vt ea circumscripsit Aristoteles tex. 49. 2. de gen. & inter. est etiam alia ratio, quoniam quæcunque inter metheora reposuit Philosophus ad duplicem halitum reduxit, vt ad principia, verum hæc ex duplici halitu nõ pendent. Sunt ergo de inscriptione controuersæ sententiæ alij communem inscriptionem amplectuntur, estque sententia communior & latinorum, & recentiorum Zabarellæ, &c. fuit etiam Ioannis Grammatici, qui ea ratione metheorologicum hunc librum asserit, quoniam de fossibilibus agit, quorum materia est duplex habitus nimirum humidus metallorum, siccus reliquorum possibilium, contraria sententia neuult meteorologicorum esse librum, nec ita inscribendum Franciscus Patritius duas inscriptiones af-

nes affert, in quarum secunda quiescit, prima est de concretis, secunda est de elementorum operationibus, alij verò, quos Vicomercatus refert, de mistis inscripserunt. At si permanere oporteat in Alexandri sententia videtur potius inscribendus tertius de gen. & interitu, vt hoc modo sub Epilogo contineatur, quem Aristoteles in initio 1. metheorologicorum ponit. Verum cum inscriptio ex pluribus rationibus ducatur plures aliæ inscriptiones possent libro accomodari, & præsertim de mistis, at nunc quæ propior sit dictis Aristotelis probabiliter protulimus; qui tamen inscriptionem communem sequuntur respondent contrarijs rationibus. Vnica fermè responsione, non esse sanè in edito, neque ex duplici halitu, quæ hic traduntur: sed posse tamen totum hoc volumen, etiam cum quarto libro meteorologicum inscribi: quia pro maiori parte de illis agit, quæ verè metheorologica sunt, at dum ex materia ducitur inscriptio; ducitur ex ea, quæ maiorem operis partem etiam si non totum implet.

DIVISIO LIBRI.

Liber hic in quinque partes commode diuiditur in prima Aristoteles repetit ex libro secundo de generat. & inter. quædam quibus fermè pro principijs in hoc libro vtitur, fit hoc in primo capite. In secunda de operationibus actiuarum qualitatum agit sunt generatio, & concoctio, hisq; oppositæ mutationes continetur hæc pars tribus seq. cap. & mea ex sectione quattuor non tria capita sunt. In tertia parte agit de passiuorum ipsorum speciebus, continetur hæc pars quinque ca p. iuxta scilicet sectionem meam quinto, sexto, septimo, octauo, nono, secundum Auerrois diuisionem continetur secunda, & tertia summa. In quarta parte ex dictis corporum similarium tẽperamenta quærit, ac tradit, & secundum passiuas qualitates, & secundum actiuas continetur duobus capitibus decimo, & vndecimo secundum Auerroem primo, & secundo summæ quartæ. In quinta parte (est hæc vltimum caput libri) substantialem formam mistorum proprius designat, & dicenda proponit, ac connectit. Iam primam partem aggrediamur.

CAPVT PRIMVM.

Repetit ex secundo de generatione, qualitates primæ quot sint, & quæ sint ex illis actiuæ, & quæ passiuæ.

Aristoteles. Quoniam autem quattuor determinatæ sunt causæ elementorum.

Commentarium. Principia Theoriæ præsentis ducit Aristoteles ex secundo lib. de gen. & inter. nunc itaq; supponit, quæ ibi demonstrauit quattuor esse qualitates primas tangibiles caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, esse ipsas tangibiles nimirum tactui expositas sumit pro euidenti, vt verè est, esse verò primas demonstrat: quoniam enumeratis omnibus tangibilibus qualitatibus demonstrat omnes alias, ad has quattuor reduci: ipsas verò neque ad alias, neque ad se mutuo, vel alteras ad alteras redigi, in principio autem tex. 7. demonstrationem præmisit concludendo elementorum ipsorum formas, & principia nonnisi qualitates tangibiles esse posse, vt hæc duo simul iungendo scilicet formas corporum *Com. 1. Tex. 7. & seq.*

tangibium esse solum posse qualitates tangibiles, & qualitates tangibiles primas esse dictas quatuor, quæ sunt ibi demonstrata, & duo alia subsumendo, quæ sunt ibi supposita; sed tacitè vt patentia ex superioribus elementa esse prima corpora tangibilia, & principia ac primo corpora pro formis habere nõnisi primas qualitates tãgibiles, colligetur (idq; infert Aristoteles) formas elementorũ esse quattuor dictas primas qualitates calid tatem, frigiditatẽ, siccitatẽ, hum ditatem, quam nunc conclusionẽ repetit, eaq; vt principio ad sequentia vtitur, in litera ergo (causę elementorũ) pro causis formalibus, ac formis ipsis exponendæ sunt. Et ita Aristoteles in loco adducto 2. de gen. tex. enim 7. verba sunt. „ Maninifestum, quod non omnes „ contrarietates corporis formas, & principia faciunt, sed solum, quæ se„ cundum tactum. „ De formalibus ergo principijs, & causis ibi loquitur, & hic, vbi ea ipsa repetit, pariter ea significat. At Vallesius non satis diligenter vt mihi videtur locum hunc exponit, esse dicit has qualitates elementorum causas quandoquidem illis elementa agunt, & patiuntur, & hæ qualitates commutationis elementorum in se mutuo, & productionis mixtorum causæ sunt; at verò est hæc congeries, & confusa, & falsa, non exprimere autem sensum Aristotelis iam patuit, est falsa autem dum dicit esse causas elemẽtorum: quoniam elementa illis agunt scilicet in se ipsa, & patiuntur, & sunt eædem qualitates causa commutationis elementorum in se se mutuo. Nam quo agunt erunt causæ agentes: at qua patiuntur quænam causæ erunt? materialis ne? & certè nonnisi ad materialem causam reduci potest ratio, & causa patiendi, verum qualitates has v las esse materiam elementorum, nemo dixerit in peripatetica schola Philosophus, rursus falsum est ideo has qualitates esse causas elementorum quia illarum ope ab elementis mista producantur. Sunt ea ratione causæ mistorum productorum non elementorum producẽtium. At quoniam Aristotelis hic exponimus sensum, qui sit is palam ex loco lib. 2. de gen. & inter. vt plura dicere sit frustra.

Aristoteles. [Harum autem secundum coniugationes, & elementa „ quattuor accidit esse.]

Com. 2. *Commentarium*. Hoc est secundum, quod ex 2. de gen. & inter. tex. scilicet 26. Aristoteles repetit, numerum nempe elementorum esse quaternarium, ex quaternario qualitatum numero, modus, & ratio illationis, exponitur dicto tex. 26. est verò ex combinationibus quatuor qualitatum, quę in vniuersũ sex tantũ esse possunt. Eiusmodi verò sex duæ nequaquam consistere possunt, restant ergo quatuor solæ pro elementis constituendis, quattuor verò vnitatum sex esse combinationes & non plures probatur tum ex arithmeticorum canone, tum nunc expositione, est canon cum pluribus propositis terminis numero paribus quot combinationes bini efficiant indagare volumus, per dimidium terminorum numerum esse integrum eorum numerum vnitate dempta multiplicandum, & quot esse possint combinationes prodire ex multiplicatione, quod si termini sint impares per dimidium numeri proximè minoris est integer numerus multiplicandus, canonem ego alias demonstratione firmaui nunc ergo cum termini pares sint per dimidium numerum, scilicet binarium multiplicandus est ternarius, qui restat dempta ex quaternario vnitate, & producetur senarius. Tot ergo combinationes, at expositione si vtamur, caliditas cum tribus combina-

combinatur frigiditate, ficcitate, humiditate ; frigiditati reſtant duæ combinationes cum ſiccitate,& cum humiditate, quæ enim cum calore eſt iam numerata fuit,ſiccitatis pariter reſtat ſola cum humiditate combinatio cum prioribus ſunt iam poſitæ, ſex itaq; ſunt in vniuerſum, iuxta figuram.

1	2	3
Caliditas. Frigiditas.	Caliditas. Siccitas.	Caliditas. Humiditas.
	4 Frigiditas. Siccitas.	5 Frigiditas. Humiditas.
		6 Siccitas. Humiditas.

Harum autem ſex duæ necquacquam ſe ſe tolerant qualitatum ſcilicet contrariarum,vt combinatio prima caliditatis & frigiditatis, & combinatio ſexta ſiccitatis, & humiditatis, reſtant itaqne quattuor caliditas, & ſiccitas pro igne ; caliditas, & humiditas pro aere: frigiditas, & humiditas pro aqua: frigiditas, & ſicciras pro terra ; accomodari autem dictas combinationes dictis elementis de tribus ſumit, vt manifeſtum ignem ſcilicet eſſe calidum, & ſiccum: aquam eſſe frigidam, & humidam: terram eſſe frigidam, & ſiccam, at de aere probat vt non æque manifeſtum ſenſu. Et ratio eſt quoniam aer eſt veluti euaporatio, ideo eſt calidus, & humidus qualis eſt euaporatio.

Ariſtoteles. [Quarum duæ quidem actiuæ caliditas, & frigiditas, duæ „ autem paſſiuæ ſiccitas, & humiditas.]

Commentarium. Tertium, quod ex eodem libro de gen. & corrup. ſecundo, huc importat Ariſtoteles eſt quattuor primarum qualitatum caliditatem, & frigiditatem eſſe actiuas ; ſiccitatem, & humiditatem eſſe paſsiuas sit ex.n.8.' hæc habet. „Calidum quidem, & frigidum, & ſiccum, „ & humidum, illa quidem, quia actiua ſunt ; hæc autem quia paſsiua di„ cuntur. „ At in aſſertione hac tertia id facit, quod nequacquam facit in duabus prioribus,nempe probationem quoq; eius repetitur,& aliam præterea cōfirmationē adiungit,quæ ex inductione ſumitur quæ mox ſubijcitur. *Com. 3.*

Ariſtoteles. [Fides autem horum ex inductione. Videntur enim cū in o„ mnibus, caliditas quidem, & frigiditas terminantes, & copulantes, & „ tranſmutantes, & ea, quæ eiuſdem generis & ea quæ non eiuſdem gene„ ris, & humectantes, & exiccantes, & indurantes, & mollificantes.]

Commentarium. Inductione ergo primo loco confirmat eſſe duas actiuas, caliditatem, & frigiditatem, & duas paſsiuas ſicitatem, & humiditatem, duo itaq; membra habet inductio, quorum primum quod de actiuis eſt, ſcriptus nunc verbis continetur. In his verò verbum (videtur) ſignificat non apparentiam, aut probabilitatem, ſed euidentiam quaſi ſenſu ipſo conſtet, ſiue ſenſata obſeruatione conſtet. Verba iam exponamus (in omnibus ex inductione propoſita vniuerſalem propoſitionem colligi ſignificat, dum in omnibus ita ſe habere aſſerit (terminantes) quid ſit terminare explicat doctiſsime Alexander Aphrodiſienſis. Verba exſcribo. „Pertermminare (inquit) coniungere, & impingere intelligit *Com. 4.* *Videtur quid hic ſignificet.* *Terminare quid.*

ac ita

„ ac ita conglutinare, vt quæ quidem propriam prius propter humiditatem non habuerat figuram, sed ad continentis terminum figurabantur, propriam dehinc accipiant formationem,& terminum. Interminat.n. vocantur quæcunque propter humiditatem propriam figuram non obtinent, terminata verò quæcunque cum definitum, ac proprium sibi habeant terminum ab ipso continenti non figurantur. „ Exactissima hæc est terminantis explicatio in cuius adhuc declarationem hæc alia subnoto. Si aqua repleamus vas concauũ ad eius intimã figuram penitus figuratur, vt si sphericum sit vas, ipsa quoq; spherica euadat: si cubicum,& ipsa figurã cubicam suscipiat eodem modo ad omnes alias continentis figuras figuratur; at si saxum in concauum pariter vas inijciatur pristinam suam seruat, non vasis figuram recipit, corpus ergo quod alienam figuram suscipit, vt aqua, vt aer interminatum est, quod verò propriam habet ac retinet, non continentis figura figuratur, est terminatum, aqua ergo interminata est, at terminatur dum congelatur: glacies enim propriam figuram habet, & retinet, mel quoq; alienam vasis figuram suscipit: at igne induratur, veluti cum in glandem subdititiam ad aluum leuandam, cogitur. Terminant ergo actiuæ duæ caliditas, & frigiditas, at terminare scilicet est agere: (& copulantes) verbum hoc actionemq; copulandi Alexander refert, & rectè ad ea, quæ ex interpollatione sequuntur,[& homogenea, & non homogenea] veraque est Alexandri applicatio. Calor enim gomogenea congregat; disgergat etherogenea frigus contra tum homogenea, Tum etherogenea congregat, vt Aristoteles ipsemet docet secundo de gen. & inter. tex. 8. vt ex eo loco hunc explicare sit obuium; copulare homogenea sola est caloris; Copulare etiam etherogenea nedum homogenea est frigoris experientia rem in ambobus planam facit. Si frusta plura plumbi in fusorio ponantur plumbum conflatum in vnum vndique confluit, & vnitur, at scoria separatur. Contra si sint in aqua ramenta, animalculaue, & exponatur brumali frigori, rigescunt omnia, & coguntur tum aqua, tum ramenta, tum animalcula.[& transmutantes] Alexander hoc refert verbum ad ea alia, quæ postea sequuntur [humectantes, & exiccantes, & indurantes, & mollificantes,] neque est cur à tanti viri sententia recedamus hæc ergo in id adducuntur, vt confirmetur caliditatem, & frigiditatem vim etiam habere permutandi res, quia scilicet humectant, & exiccant; indurant; & emolliunt, vt sit ratio. Quæ humectant; & exiccant, indurant, & emolliunt sunt permutantia, caliditas, & frigiditas humectant, & exiccant: indurant, & emolliunt ergo caliditas, & frigiditas permutantes sunt. Humectare verò caliditatem certum est, dum scilicet glaciem liquat: exiccat verò dum carnem, torret: Indurat æstate lutum: emmollit in camino ferrum, frigus pariter humectat, vt semen in terram effusum exiccat vt linthea abluta sub die, indurat vt glaciem,& gelu astricta: emollit vt cum astrictam primò terram puluerulentam reddit, sint hæc pro exemplis, infra singulæ huiusmodi actiones fusius,& diligentiùs explicabuntur.

2. de gen. animal.

Aristoteles. [Sicca autem,& humida terminata, & alias dictas passio-
„ nes patientia.]

5 *Commentarium.* Sensus est caliditas, & frigiditas terminant, copulant, permutantq; contra verò siccas, & humidas terminantur, copulantur, & permutantur. At Aristoteles non est vsus his nominus abstractis siccitatis, & hu-

&hu-

& humiditatis, sed cócretis siccorum, & humidorum. Quoniam terminari, & copulari corporum est, at terminare, & copulare principiorum magis. Principij verò ratio magis abstract voce significatur; hac de causa prius nominibus abstractis vsus in caliditate, & frigiditate postea concretis in sicco, & humido [& alias dictas passiones patientia] scilicet copulationem, permutationem, huiusq; exiccationem, humectationem, indurationem, emmollitionem.

Aristoteles. [Et ipsa secundum se, & quæcunque ex ambobus corpora
,, constat.]

Commentarium. Est hoc secundum inductionis membrum, quo probatur siccitatem, & humiditatem esse passiuas. Nimirum tum siccum per se, tum etiam humidum dictas terminationis, copulationis, permutationis passiones sucipiant, tum etiam quæ ex hnmido, & sicco constantur, hanc distinctionem Aristoteles infra hoc alio modo exprimet. Nimirum alia terræ esse (sunt hæc sicca) alia aquæ, sunt hæc humida, alia terræ, & aquæ, & hæc sunt, quæ ex ambobus constant corpora, quæ nunc memorat Aristoteles. singula ergo patiuntur dictas passiones; terminantur scilicet copulantur, & permutantur: terminari autem & copulari, & permutari est pati (sicut terminare) est agere: passiuæ sunt, igitur humiditas, & siccitas, at terminari humidum, & siccum liquariue, & composita ex ambobus. De humido certè scilicet de aqua constat ipsam in gelu concrescere; & rursus gelu liquari. Siccum scilicet terram cogi, & indurari, tum à calore, tum à frigore est planum. At composita ex aqua, & terra, vt lateres videmus à calore cogi, & indurari; hæc pro inductione satis ad concludendum siccitatem, & humiditatem esse passiuas non actiuas qualitates. Hæc ipsa postea, quæ nunc quodam ceu typo traduntur, & quantum ad inductionem exigitur, fusiùs, & diligentiùs explicabuntur. 6

Aristoteles. [Adhuc autem ex rationibus palam est, quibus definimus
,, naturas ipsorum. Calidum enim, & frigidum vt actum dicimus, concre-
,, tiuum enim sicut actiuum aliquid est.]

Commentarium. Probat nunc eandem cóclusionem ratione ducta ex definitionibus earundem qualitatum antea, scilicet traditis in 2. lib. de gen & inter. tex. 8. non totas tamen repetit, sed quantum earum sat erat ad præsentem rationem constituendam, erant verò definitiones ibi caliditatis quidem, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis; & quoniam aliqui definiebant eam per segregationem; videmus siquidem ignem secernere ex conflatis metallis scoriam, simileq; quidpiam facere in alijs; Idcircò Aristoteles ibi notat calorem suapte natura congregare, quæ sunt generis eiusdem at separare eo facto, quæ sunt diuersi generis vt scilicet segregatio consequatur actionem primariam caloris, non sit autem primaria actio, moneo hinc non rectè facere, qui in definitione ignis ex Aristotelis mente vtramque actionem ponunt, congregare homogenea, & segregare etherogenea, non licet in definitione consequentem actionem ponere, scilicet facultatem respicientem secundariam actionem, vt definitiones hę important facultatem agendi, non actionem ipsam. At frigus definit, quod congregat similiter, & ea, quæ eiusdem generis, & quæ non eiusdem generis sunt. Concludit ergo ex his definitionibus esse calorem, & frigus qualitates actiuas; nam congregare est actio. Quocirca congregatiuum 7

tiuum esse, & concretiuum & esse actiuum ita arguit modo Aristoteles cum dicit. „ Concretiuum enim sicut actiuum aliquid est. „ Estq; ratio.

Omne concretiuum est actiuum.
Calor, & frigus sunt concretiua,
Ergo calor, & frigus sunt actiua.

Probat deinceps reliquas duas qualitates esse passiuas subiunctis verbis.

Aristoteles. [Humidum autem, & siccum passiua: facilè, terminabile
„ enim, & difficile, terminabile, eo quod patitur natura ipsorum dicitur.
„ Quòd igitur hæc quidem actiua sunt, hæc autem passiua manifestum est.]

Part. 8. *Commentarium.* Ex definitionibus pariter humiditatis, & siccitatis dicto loco traditis probat eas esse passiuas. Definitio humiditatis fuit, ac humidi. Quod interminabile proprio termino, facile existens terminabile, siccum autem, facile terminabile proprio termino, difficulter autem terminabile. Quid sit terminari explicui supra: ex qua declaratione hæ definitiones facile intelliguntur. Est humidum interminabile proprio termino, quia nullam ex se figuram obtinet, ac retinet; sed ad continentis figuram solum figuratur: proindeq; facilè terminabile existit alieno nempe termino. Siccum autem suam figuram obtinet, ac retinet, nec ad ambientis figuram eam mutat, non enim Mercurius Æneus ex arcula in qua reponitur, mutat suam, quinimo oportet si solus in ea esse, & totam repleri debeat ad eius figuram arcam, thecamq; conficere. Ex definitionibus ergo eiusmodi concludit esse passiuas humiditatem, & siccitatem. Etenim terminari passionem importat non actionem, vnde terminabile passiuum est, vt adeo sit ratio.

Terminabile passiuum est.
Humidum, & siccum sunt terminabilia.
Ergo Humidum, & siccum sunt passiua.

Minor probatur eo; quod facilè, difficilèue terminabilia. Demonstratum est ergo duas caliditatem, & frigiditatem esse actiuas; duas siccitatem, & humiditatem esse passiuas, quam conclusionem colligit Aristoteles in vltimis verbis.

CAPVT SECVNDVM.

De Generatione.

Connectit Arist. ipse dicta cum dicendis: dixit autem quatuor primũ qualitatũ actiuas duas esse, & passiuas duas; modo aget de operationibus actiuarum, & postea de speciebus passiuarum; operationes autem actiuarum sunt generatio, & concoctio, cumq; prima operatio sit generatio; de generatione quoq; in præsentia agit, & de opposita corruptione, ac putredine aget in sequenti. Verba ergo Aristotelis sunt.

Aristoteles. [Determinatis autem his sumendum vtique erit operatio-
„ nes ipsorum, quibus operantur actiua, & passiuorum species.]

Com. 8. *Commentarium.* In his Aristoteles verbis eam connexionem ponit, quam modo dixi quoad verba autem tota ea oratio [sumendum vtique erit operationes ipsorum, quibus operantur actiuas] hoc sibi vult sumendas esse operationes actiuarum qualitatum calori, & frigiditatis, sunt autem quas dixi generatio, & concoctio, voces verò actiuorum, & passiuorum in neutro genere, græcè etiam proferuntur, quoniam in concreto qualitates profert Aristoteles calidum, frigidum, humidum, siccum, species itaq; passiuo-

passiuorum sunt species sicci, & humidi, quas infra Aristoteles numerabit, & explicabit.

" *Aristoteles*. [Primo igitur vniuersaliter generatio simplex,& natura-
" lis mutatio harum facultatum est opus.]

Commentarium. Generationem esse primam opinionem actiuarum supponit non probat Aristoteles forte quoniam supra demonstrauit generationem esse in singulis rebus primum origine, & tempore motum, licet in rerum vniuersitate contra se res habeat, sit scilicet primus motus localis. Contra tamen sentire cogitur, qui nonnisi per concoctionem, & ex concoctione gigni mista credunt, prior enim tempore erit concoctio. Conuertendo igitur assertio hæc Aristotelis facientis generationem primum motum euincit non esse generationem substantialem misti in vniuersum per concoctionem. Secus enim concoctio esset prima origine, & tempore generatione, non contra vt hic Aristoteles. (vniuersaliter) aduerbium hoc resoluitur in præfinitionem adiungendam ly generatio,&c. (eritq; sensus omnis generatio simplex, & omnis mutatio naturalis est opus actiuarum. (Generatio simplex)quid hic significet generatio simplex variæ sunt sententiæ. Alexander substantialem generationem non accidentariam mutationem, alterationem scilicet aliquam interpretatur Vicomercatus, dum interpretatur simplicem eam, qua mistum ipsum constituitur; non simplicem verò quæ misto iam constituto aduenit, vt concoctio,& alterationes,&c.nō recedit ab Alexādri hac in parte expositione. Alb. Magnus simplicem generationē exponit, hoc est vniuersalē misti, seu quod idem est misti,qua misti cui opponitur generatio speciei huius,illiusue misti v.g.plantę,aut animalis,quæ generatio nō est opus actiuorum,sed alterius,& excellentioris opificis nimirum animę,etsi caloris opus requiratur est is calor respondens elemēto stellarū, & est instrumentū alicuius animæ. Cumq; his Aristoteles videatur ex serie, & textura literæ duas particulas simplex, & naturalis mutatio pro differentijs ponere distinctionem, & rationem hanc ab illa,quæ non sit opus actiuarum videtur, etiam nō satis tuta Alexandri, & Vicomercati expositio, & huius præsertim, qui concoctionem affert pro specie opposita simplici generationi. Oporteret siquidem concoctionem non esse ab actiuis qualitalibus contraquam cōstat; probatur itaq; mihi magis Alberti Magni expositio, quam reprobant quidem Vicomercatus, & Mercenarius, sed nullam refutationis adducunt rationem.

Com. 9.

8 phys. tex. 57.

(Et naturalis mutatio.)

Non minor rursus ambiguitas est, quænam hic intelligatur naturalis mutatio ab Aristotele Arcangelus Mercenarius sumit hic naturalem generationem pro perfecta generatione cui opponitur imperfecta generatio, quàm paulò post vocabit Aristoteles molynsim Vallesius accipit naturalem generationem pro ea, quæ fit suapte natura sine præsentia agentis particularis quod per se illam generet, vt fit ex semine frutex, & opponit eam generationi fortuitæ cuiusmodi genaratio est exempli gratia ignis ex ligno: casu si lignum appositum est igni, itaq; in ignem casu mutatum est,at non casu frutex ex semine, sed ex eo generatur perpetuo, nisi impedimentum aliquod accesserit contra sententiam Vallesij est quoniam sola generatio ad animalia. & plantas pertinens hic definiretur, at vide-

videmus etiam mixta inanimata in hoc postea libro memorari ab Aristotele, vt nexum scilicet habentia cum hac definitione contra Mercenarij explicationem: quoniam sequeretur carnem genitam paulò erudiorem non esse genitam ab actiuis terminantibus passiuas. Cum tamen & in carne ea fit terminatio, & ab actiuis procul dubio licet non prorsus dominantibus materiæ, dominantibus tamen vsque ad introductionem formæ substantialis; nam ea caro est, etiamsi paulo crudior, & verè substantialem carnis formam obtinet. Cum ergo naturale opponatur & violento, & artificiali in tota hac amplitudine sumi hic ab Aristotele iudico. est Artificialis generatio misti, vt vitri ab arte, & quæ metalla à Chymia gignuntur pariter artificiosa generatione prodeunt. Violenta generatio vt montis à terremotu, & si quæ tales, eiusmodi generationes non sunt fortè omnes ab actiuis, æqi in passiuas operantibus; idcirco Aristoteles vt subtrahat eas ad naturalem generationem se definiendo restringit.

[*Et opposita corruptio secundum naturam.*]

Dubium est, quod modo asserit Aristoteles verum ne sit. Nam corruptio naturalis non videtur esse actiuarum operatio, sed passiuarum actiuis iam dominantium verba sunt philosophi hoc ipsum importantia (corruptio autē fit, cum id, quod terminatur, dominatur ipsum terminans) soluitur tamen dubitatio. Corruptio fit calore educente humidum, tum autem humor exudans, & excurrens dum à sicco abscedit terminationem tollit, & hoc in sensu quod terminabatur vincit id, quod terminabat, non quod humor, & siccitas agant in calorem, cum contra calor educendo agat in humidum. Sed aliud dubium occurrit cur Aristoteles corruptionem, quę fit ab actiuis restrinxerit ad eam, quæ secundum naturam fit. Cum etiam violenta corruptio, vt combustio, & cum ex immodico frigore mistum lapidescit, vtraq; ab actiuis fit illa à calore, hæc à frigore. Num itaq; soluitur dubitatio dicendo corruptionem naturalem fieri solam ab actiuis in numero plurali, quod scilicet vtraq; concurrat in naturali corruptione, licet emineat calor, putredo siquidem est tum à calore ambientis tum ab interna frigiditate, at priùs, & potiùs à calore ambientis qui idcircò ponitur in definitione, at in combustione solus calor agit, cumq; res lapidescit, sola frigiditas?

Aristoteles. [Hæ igitur plantis insunt, & animalibus, & partibus ,, ipsorum.]

Com. 10. *Commentarium.* Generatio, scil. & corruptio naturales insunt ambę plantis, & animalibus, qua in re notandum est animal tum corrumpi quatenus animal; tum corrumpi quatenus mistum, idem de planta dicendum. Corruptio animalis, & plantæ, demumq; viuentis in vniversum est mors, quæ corruptio non est ea, quam hic significat Aristoteles, sed corruptio animalis, & plantæ, qua mistum, quæ corruptio sequitur mortem; non est autem mors, ex morte fit cadauer, in quo adhuc caro, & ossa, & cætera similaria suam mistionem, & terminationem retinent, at non multis post mortem diebus incipit dissolui, & putrescere cadauer, ac deperit mistionis forma, hancq; corruptionem non priorem important verba hæc Aristotelis. Fit verò corruptio hæc contraquam generatio; hæc enim fit cum terminantur passiuæ qualitates humor, & siccitas, illa fit contra cum terminatio dissoluitur; de terminatione autem in sequentibus.

Et par-

[*Et partibus ipsorum.*]

Corrumpuntur nedum cum corruptione totius viuentis partes, sed corrumpuntur etiam in toto adhuc viuente, in vlcere enim caro putrescit, cum tamen animal adhuc viuat, humores quoque putrescunt in animali viuo, quam putredinem præsertim considerant medici. Vtrum tamen putredo humorum sit vera, & absoluta putredo iuxra hanc Arist. doctrinam postea considerabo: interim ego expono pronomen (hæ) in præcedentibus proximè verbis. Hæ igitur plantis insunt, & animalibus pro generatione, & corruptione naturali cum sint illæ proximæ, & pronomen eiusmodi ad proxima referatur; sunt tamen qui idē pronomen exponūt pro qualibus primis actiuis, & passiuis, & est Alexandri Aphrodisiensis, alij exponunt pro operibus, siue operationibus dictarum qualitatum, quas proposuit se traditurū Philosophus in principio huius capitis vt Olympiodorus, at mihi vt dixi probabilior visa est hæc alia expositio, quam etiam profert Vicomercatus. Licet non arbitretur improbabilem expositionem Alexandri.

Aristoteles. [Est autem simplex, & naturalis generatio mutatio ab his
„ facultatibus cum habuerint proportionem ex subiecta materia, vnicuiq;
„ naturæ. Hæ autem sunt dictæ facultates passiuæ.]

Commentarium. Definitionem nunc affert Generationis dictæ simplicis, & naturalis. Statuit autem pro eius genere mutationem græcè μεταβολην quæ si latè accipiatur generationē, & motum omnē, vt genus complectitur, si accipiatur strictius ad genera, & corruptionem restringitur, vt cum sit genus generationis proximum haud commune motui (ab his facultatibus) actiuis scilicet duabus calore, & frigore (cum habuerint proportionem ex subiecta materia, quæ nam sit Aristoteles ipse subijcit illis verbis, Hæ autem sunt dictæ facultates passiuæ) debent ergo facultates actiuæ habere proportionem ex passiuis, at quænam sit hæc poportio non eadem est omnium interpretum sententia. Ego rem in annotatione discussi, sat ergo est meam simpliciter expositionem hic ponere, obtinere itaq; proportionē ex qualitatibus passiuis est coniungendum cum extrema particula (vnicuique naturę) vt sit integer sensus generationem esse mutationem ab actiuis facultatibus cum passiuas eo modo terminauerint quomodo requiritur à forma, & natura rei generandæ; terminata autem alia sunt dura, alia mollia; dura vt os, mollia, vt caro; ad generationem ergo carnis, ad eiusq; formam introducendam mollities requiritur alterius tamen gradus, quàm ad generationem adipis; ad osis autem generationem durities non mollities exigitur; varia itaq; terminatio pro varijs formis requitur, & hāc proportionem vnicuiq; formę debitam significant verba definitionis cum obtinuerint ex passiuis facultatibus proportionem vnicuique naturæ, cum verò in generatione misti tres mutationes concurrant, mistio, vt alij vocandum volunt, alteratio mutua qualitatum, terminatio, & formæ substantialis inductio, quam mutationem ex his generationem statuat Aristoteles quæritur. & quoniam in annotatione ego latius differo ad eam lectorem breuitatis causa reijcio. Huic dubitationi alia succedit controuersia satis agitata ab interpretibus cur qualitates passiuas materiam dicat, cum quatuor elementa omnia sint misti materia tex 43. 1. de gen. & corrup. nedum humidum itaq; & siccum, sed calidum etiam frigidumq; erunt materia mistorū. Expressius hoc ipsum habetur ab Aristotele Com. 11.

tele libro 2.de gen. animal. cap. 1.vbi hæc verba profert. Humiditas enim & ficcitas, & calidita,& frigiditas materia sunt corporum compositorum. qua de re etiam in annotatione alia seorsum;interim verò satis si hoc summatim dicere, si consideremus mistionem eam fieri ex omnibus elementis, & in ea omnia elementa esse loco materiæ ; at si consideremus terminationem esse in ea solum siccum, & humidum materiam ; calidum verò,& frigidum efficientia.

Aristoteles. [Generant calidum,& frigidum dominantia materiæ.]

Cem. 12. *Commentarium*. Dominantur materiæ scilicet patibilibus qualitatibus actiuæ duæ calor, & frigus cum possunt eas ad debitam terminationem adducere commiscendo siccum, & humidum, & exiccando, qua ex parte humidum præualet, & siccum extenuando, qua ex parte coextendi humido debet.

Aristoteles. [Cum autem non dominantur,secundum partem quidem „ molynsis inquinatio & inconcoctio.]

Com. 13. *Commentarium*. Qualitates actiuæ in passiuas vel integrum dominium obtinet, vel partiarium, vel nullum. Dico autem integrum dominium respectu formæ introducendæ cum perfectè, & imperfectè dispositum subiectum possint eam formam introducere, cum scilicet caro est generanda si absoluta, & perfecta caro generari queat; dico partiarum dominium cum potest quidem introduci forma carnis, & non admodum exquisita caro gignatur, vt contingit in morbidis ab initio animalibus,ac nullum obtinere dico cum nullatenus possunt attingere introductionem formæ, hoc tertio modo cum se habent actiuæ qualitates nulla prorsus fit generatio. Cum secundo modo fit at cum incoctione, & hoc significat in hoc loco Aristoteles cum non dominantur quidem secundum partem idest cum secundum aliquam partem cadunt à dominio, quod est partiarium habere dominium,& impefectum,tum ergo fit inconcoctio;gignitur scilicet mistum,sed inconcoctum & imperfectum,quę quidem imperfecta generatio habere potest locum in omnibus mistis,& animatis,& inanimatis notatum autem cū primum molynsim dixerit Aristoteles, quę significat incōcoctionem oppositam elixationi postea se corrigens ad inconcoctionem in vniuersum dictum extendit, vt significet ex imperfecto dominio actiuarum in pasṡiuas res cum inconcoctione gigni aliqua, siue ea sit molynsis, siue fuerit cruditas omotes siue stateritis opposita scilicet assationi inconcoctio ex his elicimus inconcoctionem non opponi generationi, sed perfectæ, & exquisitę generationi scio contrarium probari Vallesio. At in annotatione discutiam.

CAPVT TERTIVM.

Iuxta sectionem Authoris. De Corruptione, & Putredine.

Cum de operationibus actinarum hic agat Aristoteles, vt in initio cap. præcedentis visum est. Sunt autem generatio naturalis, & opposita corruptio, quæ vel est putredo, vel cuius finis putredo est, nunc de putredine agit.

Aristoteles [Simplici autem generationi conrrarium maximè commu„ ne putrefactio est.]

Commentarium. Simplex generatio, vt vidimus, est introductio for-
14 mæ misti in materiam accommodatam, secundum, debitamq; proportionem

nem accommodatam, terminatam scilicet. Corruptio autem naturalis est abolitio formæ misti in eadem materia, in qua est etiam recessus à pristina terminatione: passiuæ scilicet qualitates pro ea, quod antea subijciebantur actiuis, tum illis insultant, easq; vincunt extincta forma misti, (verbi gratia forma ferri ex longo situ, & rubigina) elementa incipiunt dissolui, & à se ipsis, & diuelli à se ipsis, abeuntibus tenuibus in insensibilem, plerumq; vaporem, & exhalationem, demumq; sola portione terrea remanente, visui nostro conspicua: vt enim dicit Aristoteles fiunt quæ putrescunt, tandem terra. & fimus. distinguamus nunc mente abolitionem formæ misti; dissolutionem elementorum in fieri; dissolutionem elemontorum in facto esse, cum scilicet omnia iam sunt separata; at dissolutio elementorum præceditur à dissolutione terminationis, ex qua dissolutione humor iam, qui continebatur à siccitate diffluere incipit, in quo tamen effluxu nondum sunt elementa separata: nam ex carne, cum putrescere incipit, effluit sanies quædam, & tabes qui humor non est aqua pura, sed aliquid ex elementis conflatum. Interitus ergo naturalis misti scilicet formæ eius ablitio (cum qua abolitione, pristina terminatio cessat) tendit ad omnimodam dissolutionem elemenrorum à se ipsis per medios tamen gradus dissolutionis subinde progredientis ad ampliorem disiunctionem miscibilium; his ita distinctis, abolitio quidem formæ, & terminationis pristinæ laxamentum contraria sunt generationi, introductioni scilicet formæ, & terminationi: at non intercedit inter ea tamen absoluta contrarietas, quæ est maxima distantia. Maxima enim distantia non est inter introductionem formæ misti cum terminatione præcedente, & abolitionem eius cum cessatione terminationis, sed solum est maxima distantia, cum vltra interitum formæ, & terminationis pristinæ cessatione peruenerit dissolutio elementorum ad terminum postremum integræ dissolutionis, eorumq; scilicet omnimodæ à se separationis superstitæ, scilicet vt dicit Aristoteles fimo, & terra: in progressione autem dissolutionis nondum expletæ est sanè contrarietas licet non absoluta, maior tamen, quam quæ intercedit in formæ misti introductionem, eiusq; formæ præcisam, ac puram abolitionem. Maior enim distantia, at maxima solum distantia in termino, putredo ergo in termino sumpta est finis cuiusq; naturalis misti interitus, quoniā abolita ea forma, tū elementa ad sese exoluenda à vinculo, quo continebantur, annitūtur: Maximè ergo contraria est generationi misti naturali putredo, quoniam omnis naturalis interitus itidem misti ad eam, vt ad terminum dirigitur, at cur dixit maximè commune contrarium, & non potius maximè cōtrarium? nam æquè commune imò magis cōmunè contrarium est abolitio formæ misti, deperditioq; terminationis dum naturalis fit interitus, quam dissolutio omnimoda elementorum siquidem interdum intercedit, v. g. in carnis dissolutione noua generatio, vt cum larga fit verminatio, quę impedit dissolutionem in elementa carnis, at abolitio formæ carnis, & pristinæ terminationis, nunquam deesse potest. Alexander eam rationem reddit, quod generatio fit dum actiuæ superant patibiles, sic putredo, velut ipse dicit corruptio per putredinem fit dum patibiles contra superant actiuas at contra ex victoria eiusmodi patibilium aduersus actiuas, sanè corruptio misti per abolitionem eius formæ, at non statim putredo fieri videtur. Hic ergo maxima nascitur, & prorsus determinanda dubitatio Vtrum termina- *Quæstio notanda.*

tionis cessatio ex qua, & cum qua est abolitio formæ misti, qua mistum est ex Aristotele, & ex nostris dictis fit gradus iam putredinis ac inceptatio multi negant, & nonnisi post sequi dissolutionem autumant. Alexander autem affirmat, vt in adducto mox loco; cum quo ego sto: Non posse scilicet terminationem deperdi pristinam quin iam inceperit putredo, & moueor, quoniam cũ deperditur terminatio tum patibiles qualitates superant actiuas, quod fit humido effluente ex claustris sicci à quibus continebatur, vt eiusmodi humidi effluxus est principium iam putredinis ex Aristotele paulò inferius dicente quapropter humida primo deinde sicca tandem fiunt putrescentia, non potest ergo esse abolitio formæ misti, quin iam inceperit putredo; non enim potest esse abolitio ea, nisi terminatio iam deperdita sit, at non deperditur terminatio antea quam inceperit putredo; hinc iam elicitur solutio dubitationes cur maximè commune contrarium dixerit Aristoteles putredinem cum videatur communius opponi abolitio formæ misti, qua mistũ. soluitur inquam quòd abolitio formæ misti est cum principio, & gradu putredinis imò vt introductio formæ misti cum terminatione passiuarum sunt vna mutatio non secus, atq; introductio formæ substantialis vna cum præuia alteratione habetur pro mutatione vna, atq; pro integra generatione substantiali, ita deperditio terminationis pristinæ cum abolitione formæ est vna mutatio. Quærit Vallesius vtrum putredo sit contraria generationi cum sit contraria concoctioni, vt ipse monstrare nititur videto in annotatione tertia.

Determinatio.

Com. 15. *Aristoteles.* [Omnis enim secundũ naturam corruptio ad hoc via est.]

Commentarium. Rationem nunc affert præcedentis conclusionis. probat itaq; putredinem esse maximè commune contrarium naturali generationi, quoniam omnis naturalis corruptio est via ad putredinem; pergit scilicet ad putredinem, vt ad terminum. At dubitatio erit quomodo sit hoc verum, cum proximè censerimus corruptionem ipsam naturalem misti esse putredinem, non est autem corruptio via ad se ipsam. Respondeo putredinem considerari in termino postremo: in principio, & in intermedijs gradibus putredo vt in principio in effluxu scilicet humoris iam laxata terminatione est corruptio ipsa misti qua mistum abolitio scilicet eius formæ: at est via ad vlteriores gradus dissolutionis misti in elementa, & præsertim ad terminum dissolutionis postremum ad omnimodam scil. dissolutionem cum putrescentia euadunt terra, & fimus id testante Aristot.

Aristoteles. Vt senectus & ariditas.

Com. 16. *Commentarium.* Confirmat corruptionem omnem naturalem tendere ad putredinem inductione quadam senectutis, & ariditatis: senectutis quidem in animalibus ariditatis in Plantis eadem comparatione vtitur in lib. de Iuuent. sen. vit. & mort. cap. 14. cum enim distinxerit mortem in violentam & naturalem, violentamq; definierit, quando principium est extrinsecum. naturalem his verbis declarat. „ Secundum naturam autem „ quando in ipso, & partis consistentia ex principio talis, sed non aduenti„ tia aliqua passio. In plantis ariditas; in animalibus autem vocatur hæc se„ nectus. „ Hæc ibi Aristoteles ex quo etiam loco intelligitur quomodo vocet senectutem interitum scilicet animalium vocat ergo eo modo, quo alteratio præuia ad introductionem formæ substantialis nomine generationis dignamur. Ita ergo senectus cum sit præuia dispositio ad corruptionem

nem, & mortem vt in mox adducto loco patet pro corruptione, & interitu sumitur. Pariter ariditas in plantis; est ipsa quoque præuia præparatio ad interitum plantarum, imò interdùm pro interitu, ac morte iam plantę accipitur arborem scilicet siccam appellamus, quæ prorsus mortua est. hoc ipsum significat Aristoteles in eod. cap. 14. post medium vbi ariditatem non amplius cum senectute animalium conferti sed cum eorum morte. Verba sunt. „ In plantis ariditas, in animalibus autem vocatur „ mors.„ Sed quæritur cur, & quomodo hæc applicuerit Aristoteles nunc corruptioni misti, & putredini, nam senectus, & ariditas sunt ad interitum viuentis, non ad interitum misti, quà mistum, at interitus viuentis non est corruptio misti, neque est putredo. Imò post mortem animal aliquandiu durat absq; putredine, & ante putredinis initium: diutius autem planta. Verum dubitationem hanc in sequenti commentario soluemus.

Aristoteles. Finis enim omnium horum marcedo.

17 *Commentarium.* Declarat, & confirmat senectutem, & ariditatem tendere ad putredinem viamq; ad illam esse. Ratio autem est quoniam finis est ambarum marcedo græcè σαπρότης huius marcedinis expositio, quæ obuia videtur ex capite eod. adducto 14. de senect. iuuent. &c. si referatur ad calorem innatum, qui in viuentis morte naturali marcore extinguitur. Sunt Aristotelis verba eo in loco (quæ autem secundum naturam eiusdem caloris innati marcefactio) hoc ergo modo planus est sensus Arist. quomodo tum senectus, tum ariditas ad marcorem tendant, attamen expositio non congruit sententiæ hic Aristot. nam marcor caloris innati non est putredo de qua hic agit Aristoteles dum dicit esse finē naturalis omnis corruptionis misti, qua misti, vt iam interpretati sumus. Marcedo ergo debet hic applicari mistis, adeoq; partibus animalis, & viuentis terminatis quæ marcescere etiam dicuntur, dum in cariem delabuntur, quæ iam dissolutionem importat pristinæ terminationis, & elementorum ipsorum ex mistionis compage. Senectus verò est via ad eiusmodi dissolutionem, & cariem cuius in se ipsa principium quasi continet ita vieta, & euanida caro, nerui, &c. ossaq; paulò minus cariosa sunt, quæ declinatio à terminatione olim vigente indicat cursum naturæ ad dissolutionem post mortem subinde omnimodam. hæc est vis argumenti Aristotelis, & hinc constat solutio dubitationis in præcedente commentario adductæ, constat pariter id quod ibi diximus esse senectutem dispositionem ad mortem extēdendum esse etiam ad interitum misti, esse nempe dispositionem præuiam admisti interitum, quod eius flaciditas sit rudimentum quodam dissolutionis terminationis, dicitur itaq; senectus corruptio, vt præuia dispositio ad corruptionem nedum animalis, sed etiam misti, qua mistum est. Idem de Ariditate dicendum.

Aristoteles. [Nisi Aliquid violentia coruptum fuerit natura constan- „ tiuum, est enim & carnem, & ossa, & quodcunque combussisse, quorum „ finis secundum naturam corruptionis putrefactio est.

Commentarium. Dixit omnis corruptionis secundum naturam finem esse putredinem nunc rationem reddit quamobrem ad naturalem corruptionem propositionem restrinxerit. restrinxit ergo quoniam est violenta etiam corruptio quæ nequacquam ad putredinem tendit; est vero eiusmodi corruptio illa, quæ per combustionem fit, quæ scilicet non est putredo, neq; post illam restat dissolutioni vlteriori locus; hic quæritur cur non sit putredo 18

misti combusti finis, & vtrum alia sit corruptio violenta cuius pariter finis putredo non sit. Zabarella vtriq; quæstioni hunc in modum respondet primæ quidem non esse putredinem ex combustione quoniam in putredine dissoluuntur elementa, & singula restant, at in combustione omnia elementa in vnum ignem mutantur, respondet secundæ, vt à summo calore impeditur putredo quatenus in vnum elementum alia omnia mutantur ita a summo frigore pariter impediri eo, quod lapidescit tum mistum adeoq; in vnum terræ elementum elementa cætera omnia commutantur. At neutra responsio probanda mihi videtur, non prima nam in combustione primo eleuatur fumus; fumus autem est ex aere, & terra tex. 28. 2. de gen. & corrupt. mistum ergo primo resoluitur in aerem, adeoq; aerea portio seorsum ab igne secedit, restat cinis, qui pars terrea est, vt saltem tria eleméta exeant separata, de aqua potest esse dubitatio, licet in viridibus lignis aliquid aqueum quoq; ab initio exeat. quòd si postea in aliud elementum mutetur non impedit id putredinem; nam in putredine quaq; secretæ elementorum portiones, nihil prohibet quominus in aliud elementum mutētur, vt in putredine carnis humor qui primo in putredine apparet in vapores deinceps difflatur, & aqueam consistentiam a mmittit. 2. pariter responsio falsa nam lapis non est terræ solius ex Aristotele 2. de gener. & corrupt. tex. 49. non enim consisteret nec consistit sola per se terra nisi humore perfundatur, indeq; efficiatur gluten, quod etiam repetit hoc 4. libro c. 5. est ergo in lapide saltem præter terram aquæ portio, ac quoniam est terminatus, & terminatio est ab actiuis calore, & frigore in hoc eod. lib. non semel; videat lector num sequatur necessario lapidi inesse quoq; calorem, & frigus; inesset autem si terminatio ab intrinsecis caliditate & frigiditate non ab extrinsecis esset, qua de re in q. 11. quod si esset obtinet quattuor vniuersas qualitates primas eritq; mistum perfectum, neutra ergo responsio subsistit. dicendum ergo potius ad secundā questionem. Duas solum esse dissolutiones misti in elementa; naturalem aliam (estq; putredo) aliam violentam, estq; combustio. Ad primam vero dubitationem sensus eius duplex esse potest, adeoq; distinguendus, primus erit si quæratur vtrum combustio ipsa sit putredo, secundus si quæramus, vtrum ea quæ ex combustione restant, possint adhuc dissolui vlteriore dissolutione, adeoq; putrescere. quoad priorem acceptionem negandum combustionē esse putredinē, plura siquidem discrimina intercedunt. primo quidem combustio est violenta; putredo naturalis iuxta dicta hic Aristotelis, & fundamentum hac in parte dictorum habetur cap. 14. De iuuent. sen. prope à principio. est enim tota ab extrinseco combustio: at putredo ab intrinseco, quoq; cum elementa (cessante terminatione, & vi continente ea in mistione) suoptè nutu separentur, in suaq; loca abeant, nisi in ipsa deinceps via rursus intercipiantur. fit in combustione nidor aut fumus: in putredine plerumq; fœtor. diuturno præterea tempore completur putredo: breui combustio hæc, & alia intersunt, quæ amplius adhuc explicata, & natura definitione putredinis constabunt. secundum verò posteriorem significationem facilis est explicatu dubitatio. non est locus vlteriori dissolutioni misti quoniam mistum à combustione penitus dissoluitur in cineres .i. terram in aerem, & ignem, &c. quæ elementa non egent alia dissolutione neq; aliam dissolutionem expectant cum fuerint in sui puritatem vindicata. quoad verba vero (quorum

Confutatio.

rum

rum finis secundum naturam corruptionis putrefactio est) ordo est quorum corruptionis, secundum naturam, seu naturalis est finis putrefactio, si nempe ea, quæ comburuntur relicta essent corruptioni naturali.

Aristoteles. [Quapropter humida primo deinde sicca, tandem fiunt pu-
„ trescentia vt iam explicuimus.

Commentarium. Ex demonstrata conclusione Putredinem scilicet esse maximè commune contrarium, generationi naturali infert, nunc Aristote- 19.
les corollarium, immò dicamus aliam conclusionem, subinde pergens ad eruendum putredinis definitionem. Est conclusio itaq; nunc deducta humida fieri primo quæ putrescunt deinde sicca, est autem ratio: quoniam putredo est contraria generationi ergo debent ab initio humida fieri, quæ putrescunt, illationem probabit mox: etenim quæ generantur in illis humido siccum terminatur, scilicet simul vniuntur, & compinguntur, vt putrefactio quæ est contraria generationi, debeat contra reddere humida, quæ putrescunt; effluente scilicet humido vt restet tantum postremo siccum. Alexander tamen interpretatur hic aliam probari ab Aristotele conclusionem, nimirum putredinem esse naturalem corruptionem misti eadem ratione quòd scilicet contrario ,mo lo procedat, ut generatio. Ego tamen magis accomodari verbis sequentibus priorem expositionem arbitror, vt expendemus in sequentibus commentarijs. Interim noto Suessanum aliam tribuere Alexandro expositionem. Quod scilicet demonstret rursus putredinem esse commune contrarium generationi, sed vel ego desipio, vel hic vir in multum scribendo occupatus parum attente verba Alexandri considerauit.

Aristoteles. [Ex his enim facta sunt, & terminatum fuit humido sic-
„ cum operantibus actiuis.

Commentarium. [Consequentiam probat ex generationis progressu, in 20.
quo si cco humidum terminatur scilicet iungitur, & compingitur, vt pro fluido fiat durum, molle ue, hac differentias intelligemus infra in Aristotele quas tamen hic aliquatenus anticipare conferet ad loci huius intelligentiam confere,etc. antea quoq; declarauimus, t repetere quorum necessaria est cognitio non est superuacaneum. Corpora igitur alia non cedunt tactui, ac manus impressioni, sed resistunt, & dura vocantur vt lapis, metallaue alia cedunt etiam horum aliorum superficies in profundum cedit ibiq; permanet aliorum refluit sursum, & premens ipsum circumobsistit; priora mollia sunt, ac vocantur, vt cæra, posteriora fluida dici possunt, & Aristotele alicubi humida simpliciter dicit, corpus tum durum tum molle terminata sunt, figuram enim suam retinere possunt vt cera, creta, & id genus alia in quibus humor non fluit, sed a sicco retinetur, multoq; magis humor in duro retinetur ne fluat adeo vt cum humor effluere incipit ex corpore antea terminato fit iam labefactata terminatio idem ergo est humidas res fieri, & terminationem dissolui. At generatio fit dum terminantur corpora, passiuæ scil. qualitates humidum, & siccum terminãtur. Et putredo est contraria generationi ergo fit ipsa ab exolutione terminationis & quod idem est, ab effluuio humiditatis, dum siccitatem relinquit ab ipsaq; separatur. Summa, itaq; rationis est hæc. v. g. misti. Mutatio contraria generationi ex terminationis exolutione procedit. Quod ex terminationis exolutione procedit ex humiditatis a siccitate separatione, atq; ef-

fluuio fit ergo contraria generatione mutatio fit ex humiditatis a ſiccitate ſeparatione, & effluuio, ſed putredo eſt mutatio contraria generationi, ergo putredo fit ex humiditatis a ſiccitate ſeparatione, & effluuio, minor prioris ſyllogiſmi, ſeu proſyllogiſmi in verbis textus, & literæ continetur ſeu probatio eius quoniam ſcilicet generatur miſtum dum terminatur humido ſiccum inualentibus qualitatibus actiuis. Noto hic dictiones (operantibus actiuis) ad integritatem rationis non eſſe neceſſariam ſed ad inſtaurandam memoriam paulo prius dictorum vtile; ad ea vero quæ mox deducentur neceſſarias.

Ariſtoteles. [Fit autem corruptio cum id, quod terminatur dominatur „ ipſum terminans.]

21 *Commentarium*. In inueſtigatione quam molitus definitionis, ac naturæ putredinis Ariſtoteles ſtatum paſſiuarum qualitatum in putredinis ingreſſu, ac primis gradibus iam inquiſiuit, nunc actiuarum indagat. prima illud deducit in corruptione qualitates actiuas vinci a paſſiuis eſt vero fundamentum contrarietas inter generationem, & corruptionem cum itaq; in generatione præſtent, & præualeant actiuæ paſſiuis contra in corruptione præſtabunt, & præualebunt paſſiuæ actiuis. At quæret quiſpiam cur Ariſtoteles diuertat nunc ſermonem a putredine ad corruptionem cum enim hic in putredinis indagine verſetur, totuſq; ſit, ſtatumq; idcirco qualitatum actiuarum in eadem putredinem inquirere debuerit cur ad corruptionem inquiſitionem deflectit? reſpõdeo ex ſtatu qualitatum actiuarum in corruptione miſti conſtare ſtatum earundem in putredine. Tum quòd ad principium primumq; gradum putredinis. Tum magis quòd ad progreſſum, & poſtremum gradum eius, quòd ad principium quidem eo quòd ſit corruptio miſti principium, primuſq; gradus putredinis, quòd ad progreſſum autem, & vltimum gradum quoniam ſi diſſolutio terminationis ideo fit quod actiuæ qualitatis non poſſint amplius continere paſſiuas verum paſſiuæ illis ipſis prædominentur multo magis maior diſſolutio, & multo maximè diſſolutio maxima non niſi cedentibus actiuis, vincentibus paſſiuis qualitatibus poterit accidere. Mutauit autem terminos pro putredine corruptionem accipiens, vt ſignificaret putredinem cum corruptione miſti idem eſſe eatenus, quatenus putredo pro principio ſumitur veluti iam diximus.

22 *Airſtoteles*. [Propter continens.

Commentarium. Statum paſſiuarum qualitatum ſtatum actiuarum in putredine iam inquiſiuit cauſam nunc externam profert quam in definitione eiuſdem putredinis eſt repoſiturus, eſt autem continens, itaq; reijcit in continens, vt in cauſam virtutum actiuarum depreſsionem, indeq; paſſiuarũ exaltationẽ cui dogmati cohærens eſt miſtum non niſi concurrente actione continentis deperire. Quocirca videtur vera eſſe eorum ſententia qui miſtum in vacuo non poſſe interire aſſerunt qua de re ſeorſum eſt diſputandum, declarabit mox ipſe continens hoc eſſe corpus quod ambit cuius calorem cauſam putredinis aſſeret, at quæritur quodnam ſit corpus huiuſmodi ambiens, pleriq; & fermè omnes interpretantur aerem quo etiam in ſenſu continens accepiſſe videtur Ariſtoteles tex. 20. 8. phyſic. At Zabarella ſumit latius, vt nedum aerem complectitur ſed extenditur etiam aduenas, vt continent ſanguinem, & ad reliquas corporis partes ſolidas quæ

hu-

humores aliquos siue recrementa contineant. in hac controuersia illud plane verum est non esse ad aerem restringendam continentis vocem cum aperte paulo post eam aquæ communicet Aristoteles in reliquis distinguere oportet, si putredinem in propria, & exacta significatione accipiamus ad duo elementa ambientia, aerem, & aquam, contrahere oportet significatum vocis. Si vero in tota latitudine sua, qua tenus etiā elementis Aristoteles eam tribuit, suscipiatur nedum ad aquam extendere in qua res contentæ putrescunt sed ad omne aliud continens. Vt Zabarella sensit nam in subteraneis specubus aer ipse ex actione ambientium parietum putrescit & humores in corpore animalis contenti, ex continentis actione pariter putrescunt, rem amplius in sequentibus declarabimus. At quæramus vnde Aristoteles hoc hauserit, quod modo dicit, propter continens misti corruptionem fieri hic enim sumit non probat, neq; tamen per se notum videtur. Respondeo ergo ex antea demonstratis haberi; in 2. enim de gen. & corrupt. libro generationis causam, & corruptionis cælestem motum facit, vt ad nos generatiuum (scilicet solem) adducit, & inde aer abducit vim autem Solis non nisi per continens peruenire posse ad mistum certum est, continens ergo, vt vim a cælo, & Sole impressam obtinet preter peculiarem suam iure merito ponitur ab Aristotele, vt iam demonstratum causa corruptionis misti.

Aristoteles [Quinimo proprie dicitur putredo in ijs quæ secundum partem corrumpuntur, cum separata recesserunt fuerint a natura.

Commentarium. Litera hæc, si qua alia multis, longeq; diuersis interpretationibus exponitur ego, vt in superioribus feci, meam expositionem afferam, in annotatione alienas examinabo. Putredo ergo, vt antea non semel dixi, & habet principium, & progressum, & terminum. cum iam facta est res putrescens terra, & fimus licet autem putredo in termino sit perfecta, & absoluta, tamen nomen putredinis ex communi vsu magis tribuitur illi cum est in primis gradibus quàm cum fuerit in termino scilicet caro putrescere dicitur cum tabes ex illa fætida exsudat multo potius quam cum iam in cineres abijt, & quoniam ex vulgi vsu proprietas nominum nascitur vt Aristoteles ipsemet fatetur 2. Topic. lib. 5. nominationibus vtendum esse, vt plures ideo hic asserit putredinem proprio dici cum mistum est secundum partem corruptum cum scilicet mistum non ad extremam dissolutionem elementorum deuenerit quando mistio Tota iam abolita est; sed cum terminatio iam exoluta est, & ad vlteriorem dissolutionem tenditur, restat tamen mistio in partibus quæ dissoluuntur, exemplum carnis resumo cum terminatio passiuorum in carne perierit mistum illud caro scilicet corrumpitur forma carnis abolita, putrescentis tamen carnis reliquiæ sunt adhuc mistæ nedum simplicia elementa, perit solum omnis carnis partium mistio cum in elementa simplicia abierint. Corruptio itaq; carnis pereunte forma substantiali est corruptio substantialis misti, hocq; modo est corruptio misti simpliciter, at cum in quod soluitur adhuc sit ex elementis mistum non perijt adhuc omnis in ea re mistio, & hac ratione dici potest mistum secundum partem corruptum, atq; ita nunc Aristoteles accipit corruptionem secundum partem verba autem cum recesserint a natura significant cum substantialis forma quæ vere est natura decesserit, vt intelligamus corruptionem, quam secundum partem

vocat, esse corruptionem tamen substantialem misti.

Aristoteles. [Quapropter, & putrescunt omnia alia excepto igne, „ etenim terra,& acqua, & aer putrescunt: omnia enim hæc materia igni.]

24 *Commentarium*. Non paruã, & hæc verba difficultatem patiuntur præsertim vero qui sit cum præcedentibus nexus, at ego hærens expositioni præcedenti meæ ita locum expono, & occasionem dictorum. Quoniam ergo putredo dicitur propriè de primis putredinis gradibus cum nondum facta est dissolutio integra elementorum sed cum adhuc est imperfecta dissolutio ideo elementis, quoq; tribuitur putredo, quibus contra perfecta putredo non conuenit cuius terminus sensibilis est terra, & fimus, cuiusmodi terminus non conuenit elementis, ex eo ergo quòd primordio dissolutionis nomen putredinis conuenit fit vt elementis quibus eiusmodi primordium non repugnat putredo, quoq; tribuatur. Hæc de intentione Aristotelis, deq; nexu huius partis cum superioribus, at de veritate nunc assertionis differendum, quomodo scilicet elementa putrescant omnia præter ignem. disputatio vero est, ac dubitatio quomodo elementa hic accipiantur. vtrum scilicet vt pura elementa, an vt impura non recedendo a peripateticorum distinctione, & positione. Hac de re latius in annotatione interim sententiam hic meam expono. De elementis impuris intelligendus Aristoteles est; nam pura elementa si quæ darentur nullo pacto putrescere possent cum in illis nulla sit terminatio, quæ disiungi, nulla mistio, quæ dissolui queat, at singillatim in terra pura nulla est humiditas, at quæ putrescunt, prius fiunt humida; item in ijs quæ putrescunt passiuæ duæ dominantur duabus actiuis nullum est elementum nedum terræ in quo duæ sint passiuæ, duæ actiuæ, aqua pura vero putrescere non potest quoniam nihil in ipsa siccitatis, à qua humor, prius illi iunctus secedat, de aere idem prorsus argumentum. At idem præterea aliter ostendo. Aristoteles supponit hic putrescere terram, aquam, aerem, non probat; ex obseruatione ergo sensuum, ac historia id ipsum supponit, vt per se notum quoad ipsum (quòd est), at obseruatio non potest esse, nisi de terra hac quam putrescere in locis situm contrahendibus apparet putrescit pariter aqua, hæc aut pluuia aut fluuialis, aut marina cũ in angustum locum coacta a reliqua diuellitur, & omnes hæ aquæ cõmistæ non puræ, ac simplices. aer etiam qui putrescit, est qui in speluncis, ac locis concauis concluditur, qui vapores sane, & halitus continet, neqnacquam vero purus, ac simplex aer est, ex quo argumento concluditur pariter impura elementa, non pura, & simplicia respexisse Aristotelem. nunc postrema verba consideremus [omnia enim hæc materia igni] quæ cum rationem quampiam importent, quæ nam sit rationis eiusmodi conclusio, vtrum tria elementa putrescere, an ignem non putrescere, dubium est si primam conclusionem respiciat ratio, hunc in modum erigenda erit. Quæ sunt materia ignis ea sunt putredini obnoxia scil. apta sunt a calore pati materia .n. patibilis est, tria elementa inferiora, sunt materia ignis ergo tria elementa inferiora, sunt putredini obnoxia, at quomodo materia ignis? Arist. assertionem hunc ipsam protulit 2. de gen. & corrupt. tex. 50. sed vna cum comprobatione. Dicit ergo, & ibi ignem esse ipsius formæ hoc est ad reliqua elementa esse instar formæ probat autẽ. Quoniam natus est ignis ferri ad terminum, reliqua vero elementa ad suã regionem non ad terminum, nam terminus regionis rerum generabilium

est

est concauum lunæ ad quod solus ignis mouetur cætera elementa ad inferiora, atq; interiecta loca. At vero forma, & species omnium est in terminis, quæ ratio si propositiones sumantur ad verbum, non satis valida esset, esset .n. forma est in terminis. Ignis est in terminis ergo ignis est forma nimirum in 2. figura ex ambabus affirmatiuis cōstrueretur ratio oporteret autem maiorem reciprocari, vt quicqnid in terminis forma sit ad cuius propositionis veritatem diiudicandam intelligendum est, quid hic significet esse formam, quomodoq; dicatur esse in terminis, explicatio loci huius mihi videtur elucere ex dictis ab Aristot. in tractatione de loco tex. 49. vbi dicit aquam ad aerem, se habere vt materiam ad formam locatum scilicet a loco perficitur quod explicatius dicit 4. de cælo dum dicit moueri ad locum esse moueri ad perfectionem suam, quòd si locus ad locatum se habeat, vt forma ad materiam, adeoq; aqua sit materia aer tamquam forma, at aer ad ignem materia, ignis forma, erit ignis simpliciter forma, præterea in tex. 24 nunc memorato alterius rationis ansam præbet, estq; continens ad contentum superius ad inferius instar formæ esse, at ignis est supremus corporum recto motu mobilium ergo ignis est forma ad alia elementa: applicando ergo propositioni, quod est in terminis est forma probatur ex vtroq; fundamento, quod est in terminis absolute est locus, & non locatum in corpore aliquo recto motu mobili, at quod est simpliciter locus, & non locati est forma ergo quod est in terminis absolute est forma. ex 2. itidem fundamento. Quod supremum locum inter corpora recto motu mobilia occupat est forma ad alia corpora eiusmodi omnia. quod est in terminis absolute supremum locum occupat ergo quod est in terminis absolute est forma ad alia omnia corpora recto motu mobilia. est ergo ignis forma reliquorum elementorum non proprie sumpta forma pro altera parte compositi, sed est instar formæ vt cætera continet, eaq; quoquomodo perficit. At alio etiam modo, tria inferiora elementa sunt ignis materia nam flamma insidet terræ, & aeri, eaq; pro materia habet cum definiatur flamma fumus ardens, sitq; fumus ex aere, & terra, aqua etiam dum feruet est materia ignis, ignea enim in ea portio est, at ignis nullum elementorum, vt materia subijt, sed semper, vt agens, & forma se habet, dum in aliquo eorum reperitur, & hanc præsertim rationem respexit nunc Aristoteles.

tex. 28. 2. de gen.

Annotatio. Quod diximus continens ex Aristotele habere locum formæ eatenus extenditur, vt idem philosophus omnia hæc infra lunam corpora, & elementa vt materiam ad cælum contulerit lib. 1. meteor cap. 4.

Aristoteles. [Putredo autem est corruptio propriæ in vnoquoq; humido, & naturalis caliditatis ab aliena caliditate: hæc autem est, quæ ambientis.]

Commentarium. Definitionem hic demum putredinis tradit per partes in superioribus inuestigatam. ego definitionem iuxta sententiam meam exponam parum in alienis immoratus, quas in annot. diligentiùs examinabo: illud verò est primo loco declarandū hæc definitio sit ne causalis, an essentialis, an integra, exemplis nunc satis sit explicare distinctionem: reliqua ex analyticis quærantur. dico causalem, vt eclipsis est interpositio terræ. dico essentialem, vt eclipsis est priuatio luminis in luna. dico integram, vt eclipsis est priuatio luminis in luna propter terræ interpositionem. hanc putredinis definitionem causalem dico, nequacquam essentialem, aut integram. Nam ex proxim. text. patet putredinem in dissolutione termi- 25

na-

nationis, & mistion's consistere, vt essentia eius sit dissolutio ipsa terminanationis, & mistionis totius, cum fuerit in termino. Patet hoc ipsum ex definitione essentiali generationis, quæ per terminationem traditur; Ergo essentialis definitio putredinis debet per terminationis dissolutionem tradi, vt dissolutio eiusmodi sit essentia putredinis. In hac modo definitione tradit causam eius dissolutionis, & est corruptio caloris proprij naturalis in humido. calor autē naturalis est is, qui continet passiuas qualitates in debita terminatione, vt ipso cessante terminatio soluatur, nisi fortè per accidēs: at in definitione non sunt ponenda, quæ per accidens, sed solū quę per se; causa ergo propria, & reciproca putredinis est corruptio caloris naturalis, non quæuis, sed quæ à calore externo; quæ particula restringit ad corruptionem per difflationē, & ita etiam potuisset transigi definitio dicēdo scil. putredinē esse corruptionem caloris proprij, & innati, in vnicoquoq; humido ab eiusdem caloris difflationem sed quoniam modus dicendi quo vtitur Arist. id ipsum importat prætereaq; rem ad priorem causam, quæ nunc est differentia, & complementum causæ propriæ reducit, ideo prætulit. Dixi autem corruptionem caloris proprij, & naturalis esse, cum etiam minuitur quod eius pars difflauerit, quod multis non probabitur idcirco hanc esse Aristotelis mentem oportet demonstrare. fassus est ergo philosophus hic corrumpi, & demum putrescere res, cum passiuæ qualitates dominantur actiuis. Modo dominari actiuis passiuas non dicitur cum extinctæ sunt prorsus actiuæ: sed cum existunt adhuc; verum debiliores sunt passiuis. Neque enim dicitur Rex dominari hominibus, qui non existunt, sed qui viuunt ac illius imperio subijciuntur. Præterea verò sit humiditas A. siccitas C. quibus præualeant duæ actiuæ, decrescant hæ pro dimidia parte forte non amplius dominabuntur, at si dominentur adhuc procedamus diuidendo, ad eum tandem terminum deueniemus, cum non amplius dominabuntur, sed passiuæ præualebunt, & idcirco terminatio dissoluetur, eritq; iam putredo. Tum quæro num calor is residuus sit naturalis, necne si naturalis sit, erit putredo, non corrupto naturali calore, ergo definitio tradita non conuertetur cum definito; non erit ergo calor naturalis tum sed corruptus erit, quocirca calor longè diminutus non naturalis euadit, & diminutio saltem magna calorem reddit non naturalem, qui prius erat naturalis,. At contra hanc assertionem duæ obiectiones insurgunt; prima est quoniam diminutio, & corruptio duę sunt mutations plurimum differentes vt diminutio idcirco caloris alicuius non possit esse corruptio eiusdem caloris. Præterea Aristoteles in calce capitis huius de putredine rationem reddens, quamobrem in putrescentibus animalcula generantur vermes scilicet muscæ vespæ apes id fieri dicit, quoniā; caliditas, quæ separatur, idest quæ efflat, cum sit naturalis consistere facit, quæ segregantur. Calor ergo, qui efflat adhuc naturalis est secundum Aristotelem, nec sanè dum vermes gignuntur totus efflauit calor, sed pars etiam restat in putrescente; ergo calor diminutus non cessat esse naturalis. Respondeo vtriq; obiectioni, primæ quidem, quòd diminutio caloris non est corruptio caloris, sed est corruptio gradus, in quo naturalitas ipsa caloris consistit. vltra & circa quem gradum calor non naturalis euadit. Ad secundam respondeo calorem naturalem eum dici respectu animalis, quod gignitur, non misti quod putrescit. Sensus nempe est eiusmodi calorem ea in pro portione esse

ad

ad partem excretam, vt possit eam terminare, & eius naturalis calor fieri.

Corell. Ex dictis pro Corellario emergit, quam partem gerat in definitione calor externus, seu calor ambientis, & non ergo se gerit pro causa causæ, vt aliqui credunt, sed est complementum causæ propriæ, & reciprocæ extinctionis scilicet caloris naturalis, vt enim caloris extinctio sit causa dissolutionis, necesse est ipsam esse à calore externo, & ambientis nam si à frigore, pro dissolutione concretionem arctiorem produceret.

[*Hæc autem est, quæ ambientis.*]

Ambiens à multis exponitur pro aere, hic nos ambit, & continet. alij coniungunt aerem, & aquam: hanc quidem pro aquatilibus. ille pro terrestribus, & volatilibus. Zabarella latius adhuc etiam pro corporeis conceptaculis venis scilicet arterijs, ventriculis, & id genus alijs, hocq; esse continens in morbosa putredine humorum asserit. tetigi hanc eandem sententiarum varietatem paulò priùs; placet hic rem diligentiùs distinguere, & aperire. Cum ergo putredo sit dissolutio misti primus eius gradus sit dissolutio terminationis. Solum terminata possunt putrescere. Terminata verò sunt aut mollia, aut dura, vt solū etiam mollia, aut dura possint putrescere. Tria autem genera corporum mollia, dura, & humida, vt vocat Aristot. & aliquando fluida, antea ex Aristotele ipso distinximus & erat durum corpus quod renititur tactui. molle, quod cedit, & non obsistit. Humidum seu fluidum, quod cedit, & obsistit, vt aqua, quæ cū præmitur cedit digito at circum fluit, & circum obsistit. Colligitur ex his humidum, fluidumue corpus, quod scilicet cedit, & circumobsistit, vtpote, quod neq; molle sit, neq; durum non putrescere vera putredine cui scilicet competat hæc definitio vniuocè. Verum enimuerò cum dixerit proximè Philosophus aquam, & aerem putrescere, quæ sunt corpora humida, fluidaue, & præmens circumobsistunt, cum cesserint, necesse est fateri putredinem aliam esse cui definitio eius vniuocè conueniat: aliam cui solum ex attributione conueniunt qui definiendi modus familiaris est Aristoteli, vt ex definitione demonstrationis 1. post. amicitiæ 8. eth. cap. 2. conspicuum redditur, idemq; ego alias ostendi de fortunæ, & naturæ, aliorumq; nō paucorū definitionibus. Cū ergo humida, fluidaue, quæ scilicet cedunt præmenti, & circumobsistunt non putrescant secundum eam putredinem, cui definitio tradita vniuocè conuenit; humores autem animalis sanguis, bilis, pituita, melancolia sunt humidi, & fluidi cum cedant, & circumobsistant ergo humores animalis non putrescunt putredine, cui definitio putredinis vniuoce conuenit sed putredine ea solum, cui conuenit ex attributione, vt terminatio pariter ex attributione solum competit, qua de re in annotat. ego deflecto ad rem hanc nostram quę deduxi continens in hac definitione, secundum communiorem vniuocam non complectitur continens humorum, sicut nec definitio eorum putredinem vniuoce comprehendit. at secundum communiorem ex attributione, & definitio ad putredinem humorum extenditur, & continens, siue ambiens ad internarum cauitatum in animali parietes, & demum ad loca in animali concamerata extenditur, secundum quam diffinitionem varij, etiam dicendi modi conciliari possunt, at dum sumitur secundum communiorē vniuocam definitio continens, & ambiens quæ significat? respondeo ad aerem, & aquam restringi ex parte 50. infra licet aerem Com. 15.

prius,

prius, & promptius quam aquam significet, quocirca in litera nunc horum solum duorum meminit Aristoteles.

Aristoteles. [Quare quoniam secundum indigentiam patitur calidi
„ quam autem indigens tali virtute frigidum omnes ambę vtiq; causę erunt
„ & putredo communis passio, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ.]

Com. 26. *Commentarium.* Intentionem horum verborum, & connexionem cum præcedentibus exponit hunc in modum Alexander. Dixit supra Aristoteles duas esse qualitates actiuas caliditatem, & frigiditatem, quorum operationes sunt generatio, & corruptio naturalis, proindeq; putredo. Cum itaq; iam quomodo calor sit putredinis causa exposuerit, nunc declarat, & confirmat frigus, eius quoq; causam esse: iuxta quam expositionem frigus causa effectrix esset putredinis; ipsum quoq: vnde nonnulli interpretes eandem sententiam sequuti laborant in assignando modo, quo frigus efficienter ad putredinem concurrat, quos memorat, & refutat Vallesius in huius literæ explicatione. Ego meam sententiam exponam alios dimittam ad duas ergo sententias controuersia reducitur. Vtrum frigus sit putredinis causa effectrix, an sit causa vt dispositio subiecti; quæ idcirco potiùs ad materialem reducatur alij priorem opinionem, alij posteriorem sunt amplexi: ego neutram seorsum sequor, sed ambas coniungo, esse scilicet priùs causam, vt dispositionem frigus deinceps esse effectricem. Declaro & confirmo sententiā meam, etiā ex progressu Aristotelis, quæ est putrescens patitur à calore externo propter indigentiam caloris scilicet innati, quæ assertio eo fundamento nititur [calorem minorem à maiore dissipari.] quomodo calor minor dissipetur à maiore, videatur quæst. 28. mea in hunc lib. vt calidum quod ab externo calorę sua priuatur caliditate sit caloris intrinseci indigum ad resistendum externo. At verò omne indigens caloris frigidum est. Oportet ergo in se ipso frigidum tanta ex parte esse, quod putrescit, quanta ex parte caloris externi gradu deficit. Notandū autē si mistum esset, quod posset in summo calorem obtinere, calor eius non posset à calore quantuncunq; externo ampliùs intendi quàm etiam ab igneo, & inde non posset ab eo gradu moueri in quo contineret elementa in mistione; non itaq; ipse produceretur cum in eo gradu restaret, in quo viculum esset, iam cæterorum secum, & sui cum cæteris, vt necesse sit posse intendi calorem, vt educatur à misto hoc est, vt ipsamet euaporet ex misto, at non potest intendi gradibus, nisi gradum eidem deficiat à calore summo, idest ab octo caloris gradibus, at sunt gradus frigoris ij, qui desunt octo caloris. verum frigiditas, quæ sui præsentia minus calidum constituit subiectum, proindeq; calori maiori reddit ipsum obnixum est dispositio subiecti, non causa efficiens. At cum iam calor externus superando calorem internum innatum harmoniam, & temperamentum dissoluere cæperit, ex quo contrariæ qualitates concordes continebantur tum oportet frigus internum in contrarium calorem ipsum quoq; agere, atq; ita coniugere actionem suam cum actione caloris externi contra calorem innatum. Dubium nunc incidit, cur Aristoteles dicat putredinem passionem, & non actionem communem frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ cum verè sit operatio earum qualitatum, vt iam iterato dixit. Respondeo putredinem esse actionem, & operationem, dum ad eas qualitates referatur, at dum ad subiectum, quod putrescit, esse passionem.

Cum

Cum nedum sit eius, vt subiecti affectio, sed corruptiua affectio, quæ propriè passio dicitur ex Aristotele 5. metaphis. cap. 21. Addo Vallesium alium dicendi modum addere, non esse scilicet causam frigus putredinis, sed esse quippiam consequens vt diminutionem caloris naturalis consequitur, quæ sententia non respondet verbis Ariostrelis ibi [ambæ vtique causæ erunt] siquidem ex eo frigiditas esset effectus non causa putredinis.

Aristoteles. [Propter hoc autem, & ficciora fiunt, quæ putrescunt, o-
„ mnia, & tandem terra, & fimus.]

Commentarium. Aristoteles in primo de anima tex. 11. dicet definitionem [ex qua non possint accidentia rei cognosci] per causam nempe demonstrari esse vanam, & dialecticam; significando scilicet definitionem rectè, & ritè traditam in sententijs fontem esse cognitionis demonstratiuę accidentium omnium eidem rei conuenientium, adeo, vt ex eadem definitione vt ex locuplete penu causæ singularum affectionum definiti erui possint. eiusmodi nunc cognitionem ex tradita putredinis definitione deducere molitur Aristoteles singula scilicet, vel potiora saltem, quæ putredini, & putrescentibus accidunt ex eadem definitione demonstrando. primum quod demonstrat est putrescentia omnia ficciora fieri, & demum terram, & fimum. Ponit ergo primo in exscriptis verbis conclusionem postea subijciet rationem, quoad veritatem autem conclusionis tria sunt tempora distinguenda in putredine, in primo humescunt putrescentia in secundo cariem iam quandam contrahunt: in tertio demum, & vltimo in terram resoluuntur, & fimum: constant tempora einsmodi, eorumq; várietas in frumento dum putrescit. Primo enim humescit, & calescit, cessante deinceps humectatione cariosum conspicitur, nostri vocant italicè *beuuto* quasi exsuccum. demum in ramenta, & puluerem fermè furfureum dissoluitur. primum tempus, & secundum putredinis expressit Aristoteles, supra particula (iuxta meam sectionem) octaua. „ Quapropter humida primo deinde sicca tandem sunt putrescentia. „ Nunc secundum, & tertium exprimit primo ommisso: Hoc præterea noto dum ex definitione tradita demonstrantur ea, quæ circa putredinem contingunt confirmatur simul definitio ex memorato Aristotelis dogmate in tex. 11. 1. de anima. 27.

Aristoteles. [Exeunte enim proprio calido, coeuaporat, quod secun-
„ dum naturam humidum, & inducens humidum non est amplius, inducit
„ enim trahens propria caliditas.]

Commentarium. Subijcit nunc rationem, & causam propositæ exsiccationis, & conclusionis, quæ ex definitioue ipsa pendet: est autem. Ex quibus euaporat humidum proprium, & naturale ea sicca redduntur. Ex putrescentibus euaporat proprium, & naturale humidum. Ergo putrescentia sicca redduntur. Maior rectè exposita euidens est, nimirum sicca ea esse non cum inceperit euaporare humidum, sed cum totum, aut fermè totum euaporauerit: minor verò probatur in litera. Quoniam exeunte calido proprio etiam euaporet humidum proprium probat in postremis literæ verbis quoniam naturalis calot trahit proprium, & naturale humidum. 28.

[*Inducens autem humidum non est amplius.*]

Quoniam vero potuisset quis ambigere, num esse posset aliqua reciprocatio,

catio, vt priori humori euaporato alius humor succederet; vel idem humidum recideret, vt contingit vapori ex quo nubes, & pluuia gignitur; in terram enim vnde eleuatus est recidit ideo ad excludendam responsionem subiungit non esse amplius in putrefacto, quod humorem inducat. Cum extincta in ea iam sit caliditas naturalis, quæ vna humorem naturalem inducit, ad se trahendo. Ita ergo demonstratum primo loco ex definitione est cur putrescentia sicca tandem reddantur, qui effectus sensu conspicuus, quoad an sit est: at causa tradenda. vna verò definitio confirmatur dum videmus (ea) ex definitione colligi, quę sensu ipso constant, quam confirmationem Aristoteles ipse alicubi probat, & si placet rationem conuertere: erit à posteriori. Putrescentia sicca redduntur. In ijs quæ sicca redduntur effluit humidum ergo in putrescentibus effluit humidum: In quibus effluit humidum calor naturalis euaporat, in putrescentibus efluit humidum. Ergo in putrescentibus calor naturalis euaporat.

Aristoteles. [Et in frigoribus autem minus putrescunt, quam in »
» æstu.]

Commentarium. Secundo loco alterius accidentis causam ex definitione eadem reddit, accidentis inquam, quod sensu ipso patet res minus in frigoribus putrescere, quam in æstu, hoc inquam sensu patet; carnes enim diutius seruantur in hieme, quam in æstate; & quo maior est aeris rigor eo seruantur diutiùs. immò videmus in artificiosis niuium custodijs ad potum æstiuo tempore refrigerandum in æstu ipso diù defendi à putredine carnes, quæ citissimè extra eiusmodi tugurium corrumpuntur. quod ergo hic asserit Aristoteles sensu ipso constat, nunc verò causam suggerit ex eadem definitione pendentem sequentibus verbis.

Com. 29.

Aristoteles. [In hyeme enim paucum est in ambiente aere, & aqua »
» calidum, quare nihil potest. In æstate autem amplius.

Commentarium. Causa verò ennarrati accidentis est, quoniam in hieme aeris & aqua calor paucus admodum est, vt nō possit in calorem innatum & naturalem rerum. vnde non potest ipsum educere, at putredo fit educente calorem internum externo, ambientisq; calore ex definitione. Ergo cum in hyeme non fiat eductio ob exiguitatem caloris ambientis nisi scilicet magna cum difficultate. Non enim cum hic dicit nihil posse calorem ambiētis in hieme est intelligēdum absolutè, sed comparatiuè: non absolutè inquam nam sequeretur carnes hyeme non putrescere cum tamen post multos dies hyeme etiam carnes putrescant verba etiam sequentia (In æstate autē amplius) demonstrant cōparatiuè dici, & intelligi. In æstate ergo maior est ambientis calor, ideo magis potest in calorem internum, eumq; facilius educit. promptior itaq; est putredo. conclusio pariter Aristotelis est, non quidem non putrescere res frigidis temporibus, & putrescere calidis sed minus putrescere frigidis temporibus, quam calidis: ex his tribus argumentis constat rationem hanc esse comparatiuè non absolutè exponendam proindeq; cum dicit nhil agere calorem ambientis hyeme. dubitationes quæ de conclusionis, ac propositionum veritate oriuntur in annotatione pertractabuntur.

Com. 30.

Aristoteles. Neq; congelatum, magis enim frigidum, quàm aer calidus, neque igitur vincitur, mouens autem dominatur.

Com. 31. *Commentarium.* Tertio loco causam ex eadem definitione affert, quamobrem

obrem quod conglaciauit putrescat. Est autem ratio. Quoniam frigus rei congelatæ maius est, quàm calor aeris. At verò contrarium minus non agit in contrarium maius validum. Et hinc confirmatur illa maxima penes philosophos naturales. Actio fit à maiore propositione. Ergo calor ambientis non agit in rem congelatam, hoc sibi volunt verba [neq; igitur vincitur] nempe non superatur frigus à calore ambientis; at oportet mouens scilicet id agit, & mouet dominari, vincere scilicet, ac præualere, si agere, ac mouere debeat. Nunc autem de motu alterationis agit licet de omni motu verum sit mouens excellere, & præstare moto. at dubitatio est de valore rationis. Concludit illa. Siquidem non posse calorem ambientis ob exiguitatem agere in frigus rei congelatæ, at non concludit non posse agere in calorem eiusdem congelatæ rei quem exiguum esse oporet, & ad cuius extinctionem vna cum ambientis calore concurret frigus ipsum rei congelatæ. soluo difficultatem, potest quidem calor externus agere in internum si vires caloris patientis respiciamus ipsas per se: at quoniam in misto non possunt augeri gradus caloris, quin depereant gradus frigoris tot scilicet, quot caloris augentur. est frigus sex graduum, quod resistet calori ambientis in auctione caloris ex intentione, quam intensionem sequitur postea euaporatio eiusdem caloris naturalis, quando ergo maius sit frigus misti, quam calor ambientis non potest ab ambientis calore eductio fieri caloris misti. *Dubitatio.* *Solutio.*

Aristoteles. [Neq; feruens aut calidum. Minor enim quæ in aere caliditas
" ea; quæ in re; quare non dominatur, nec facit transmutationem vllam.]

Commentarium. Quarto loco rationem reddit, cur quæ feruent, & quæ calida sunt, non putrescant, quo loco intelligere oportet quænam hic calida vocet Aristoteles, quæ putredini obnoxia negat. Non enim quæuis calorem habentia, sunt à putredine libera: Cum imò oporteat calorem omnia habere, quę putrent; Cùm eiusdem caloris extinctio sit putredo. Alexander calida exponit feruentia accipit scilicet duas voces feruens & calidum, quasi synnonimas. Vallesius calida exponit pro vehemẽter calidis. At sensu conueniunt fermè omnes expositiones, at modo non omnes; Ego itaq; interpretor hic calida mista, quæ sunt à prædominio lõnge calida, quæ idcirco simpliciter calida vocantur, qua ratione alia mista vocamus frigida, alia calida ex prædominio, & cum calida alia sunt actu, vt feruescentia, alia sint temperamento, vt piper vtrumq; genus excidorum exprimit Aristoteles primum primo feruentis voce. secundum voce calidi: rationem subijcit cur id ita sit; est autem causa, quoniam caliditas aeris scilicet ambientis minor est caliditate rei: at minor caliditas in maiorem non agit, ipsumq; non mutat; quocirca neq; potest calorem rei naturalem educere, atq; ita facere putredinem: at dubitatio esse potest. Nam aer est calidus in summo, at omnia elementa habent duas qualitates, quas obtinent in summo, vt alias ostendi, ergo maior est aeris caliditas caliditate cuiusuis misti. respondeo duplex caliditas alia crasi, seu temperamento, alia actu. supra declaraui. crasi aer lato sũpto vocabulo est humidus, & calidus in summo secundum, vtramq; qualitatem, at actu hyeme est frigidus æstate calidus. actualis autem caliditas ambientis, nõ crasis facit putredinem, &c. *Com. 32.*

Aristoteles. [Similiter autem & quod mouetur, & fluit minus putre-
" scit, quàm quod non mouetur, debilior enim fit motus, qui ab ea, quæ in

aere

33. „ aere caliditate, quam qui in re præexistit, quare nihil facit permutari.]

Commentarium. Quintum cuius demonstrationem affert hoc est. Quare quæ mouentur, & fluunt minus putrescunt, quam quiescentia. Hoc in aquis manifestum stagnantibus. Citò illæ putrescunt, at fluentes nequacquam, aer pariter conclusus putrescit, at perspiratus, & ventilatus nequaquam. rationem ergo reddit. Quoniam calor aeris debilius mouet debiliorem scilicet impressionem facit in subinde labentes partes cum nulla diù substet eius actioni, sed aliæ, & aliæ subinde actionem accipiant, at in quiescēte eiusdem pars actioni eidem substat. Est itaq; summa rationis; quod fluentia minus permutentur à calore ambientis, quam quiescentia. Dum verò dicit debiliorem esse motum, qui ab ambientis caliditate, quam qui in re præexistit motus, qui in re præexistit exponitur à Vallesio caloris interni actio, qua continet qualitates patibiles humorem scilicet, & siccitatem, & probabilior mihi expositio videtur, quam quæ videtur Alexandri esse, quod motu, & fluxu aquæ calor excitetur amplius & augeatur quasi is sit motus, quem hic rei tribuit Aristoteles, quod si hanc expositionem non tribuamus Alexandro, ea certè tribuenda est, quod motus rei sit qualitas calor scil. ipse naturalis, at vtra sit expositio Aleximirij minus probilis est Vallesij expositione. At dubitatio occurrit de progressu Aristotelis, cum pugnare videatur cum ratione conclusio. Hæc enim comparando fluentia cum quiescentibus dicit illa minus putrescere, vt fateatur tamen putrescere. at ratio concludit nullam prorsus putredinem pati, quare eam claudendo dicit, nihil facere, permutari, nullam scilicet mutationem facere, at non potest putrescere, quod mutationem nullam suscipit, nec putredinem gignere, quod nullam mutationem facit. Huiusce dubitationis explicatio petatur ab annotatione.

Aristoteles. [Eadem autem causa quoq; quare multum minus, quàm
„ paucum, putrescit. In maiore enim amplior est ignis proprius, & frigus
„ quam vt dominentur, quæ in continente, facultates.]

34. *Commentarium*. Sextum quod per causam demonstrat est multum minus putrescere, quàm paucum, scilicet multa aqua difficilius, quàm pauca putrescit, idemq; de cæteris: Causa ergo est ex eadem definitione pendens, Quoniam in multo, in re scilicet magna plus ignis idest caloris est, quam in pauco, ac in re parua, hocq; si res calida fuerit, & si frigida plus pariter frigoris in magna, quàm parua pro differentia magnitudinis. Si res itaq; multa, aut magna calida fuerit, calorem tanto habebit maiorem, vt resistere possit calori ambientis. Si frigida pariter frigiditatem ob id tantam consequetur, vt nequeat superari à calore ambientis eadem scilicet ratione, qua de congelatis rebus conclusum proximè fuit. At verò, vt constet veritas assertionis assumptæ. In maiori amplior est ignis, scilicet calor repetenda est distinctio, quæ in schola præcrebuit calidioris, & frigidioris, demumque cæterorum qualium inter se comparatorum. & est duplicem esse excessum alterum gradus, alterum potentiæ. Summa quæq; qualitas octo gradus obtinet, & tot gradus habet tum exiguus, tum maximus ignis, vt ratione graduum æquè sint calidi minimus, & maximus ignis. At ratione potentiæ longè sunt dispares, magis enim multò calefacit magnus, quàm paruus ignis, vt possint, quæ pares gradus habent plurimum distare potentia. imò quod gradibus vincitur,

potentia

potentia possit vincere, vt ferrum candens igni stupæ cedit gradu. Hic enim est octo graduum cum sit ignis illud pauciorum cum ad ignis naturam non pertingat, ignitum enim est, non autem ignis; at multò efficacius est ferrum ignitum in agendo, quàm ignis stupæ. Cum ergo dicitur in maiori maiorem esse calorem, frigusue & demum qualitatem maiorem, verum est de positione excessu, non de excessu gradus: dubitationes autem aliæ contra hanc conclusionem Aristotelis in annotatione adducam, & considerabo.

Aristoteles. [Quare & mare secundum partem quidem diuisum citò
„ putrescit. Totum autem non & aliæ aquæ eodem modo.]

Commentarium. Ex demonstratione proxima Corellarium deducit cur 35.
mare diuisum citò putrescat totum nullo pacto. Idemq; de cæteris aquis, vt fluuialis aqua si in fouea ducatur, quæ vndiq; claudatur putrescit aqua, quod præsertim accidit alueis vbi cannabum ad macerandum ponitur: licet in illis cannabum impositum putredinem aquæ adiuuet, quod autem dicit Aristoteles mare diuisum putrescere non de quacunque portione maris est intelligendum, nam mare caspium est à reliquo mari separatum, vt communior fert geographorum sententia, & tamen incorruptum perseuerat. de portione itaq; exigua intelligendum est, vt in æstuarijs contingit in paruis quibusdam canalibus, putrescunt enim ibi & fœtent aquæ. id Ceruiæ præsertim accidit æstiuo tempore, at Venetijs quoq; quibusdam in locis, vbi aquæ parum profundæ. Aquæ autem dulces stagnantes passim putrent. Causa verò cur partes seorsum putrescunt non totum est ex multo, & pauco. Totum enim multum est, ideoq; non putret: pars est pauca ideoq; cum seiuncta fuerit, putrescit.

Aristoteles. [Animalia etiam gignuntur in ijs, quæ putrescunt propterea
„ quod caliditas, quæ segregatur naturalis existens facit, vt consistant se-
„ gregata.]

Commentarium. Septimo, & postremo loco Aristoteles causam affert 36.
eius effectus, qui in multis putrescentibus conspicitur, animalia scilicet generari, vt in humanis cadaueribus, & multis alijs vermes in vitulo moris saturo apes, ex aliarum rerum putredine muscas vespas, & id genus animalia, quæ generantur ex putri. Causa ergo quamobrem generantur animalia eiusmodi est calor naturalis rei putrescentis, scilicet is. calor qui rei antequam putresceret naturalis erat is inquam cum in putredine per partes euaporat: non enim simul totus euaporat humidum quod secum educit interdum cogit aliquid enim sicci cum humore excernitur, & in coacta ea materia anima demum excitatur. Sed inducendæ animæ altius est principium vt lib. 3. de gen. animal. cap. 11. qua de re latius suo loco interim sunt variæ expositiones ly naturalis; aliqui enim accipiunt ipsum pro calore ambientis. Aliqui pro calore naturali partis iam in putredine secretæ, alij pro calore naturali rei, quæ putrescit dum adhuc erat in statu integro, quam ego expositionem sum sequutus.

CAPVT 4 *Scilicet mihi quartum cæteris tertium.*

De concoctione, & inconcoctione in vniuersum.

Aristoteles. [Quid est igitur generatio, & quid corruptio dictum est
„ Reliquum autem est dicere contiguas species quascunq; dictæ virtutes

operantur ex subiectis natura constantibus iam.

37 *Commentarium*. Connectit, ac proponit nectitur vero hæc connexio ex propositione superius facta in principio 2. capitis proposuit ibi se primo loco pertractaturum operationes facultatum, qualitatumue actiuarum caliditatis, & frigiditatis, quæ sunt generatio, & opposita corruptio item concoctio, & contraria inconcoctio cum ergo egerit de generatione, & corruptione transit ad concoctionem, & inconcoctionem quas vocat contiguas species duabus iam explicatis, quatenus sunt earundem actiuarum qualitatum ipsæ quoq; operationes. interponit vero inter duas priores, & posteriores, hanc differentiam quòd in posterioribus operantur qualitates ex subiectis iam constantibus natura nimirum generatio non supponit, sed facit subiectum quod molitur, at concoctio supponit factum iam, & constans natura opposite vero dicit (constans natura) quoniam etiam generatio est circa subiectum, scilicet circa materiam, at materia ipsa per se non est natura constans non enim est actu ipsa per se aliquid constans, ac subsistens cuiusmodi est subiectum concoctionis. erit itaq; differentia ea præsertim, quòd generatio dicitur termini, at concoctio subiecti, nempe dicitur genitus homo, qui ex embrione fit, & non est subiectum generationis (est enim subiectum materia) sed est terminus, at dicitur concoctus sanguis, qui subijcitur concoctioni, terminus vero ad quem est concoctio, vel sanguis concoctus non sanguis ipse per se solus. concoctio græce dicitur πέψις inconcoctio ἀπεψία. De quibus hoc in capite agit in vniuersum Aristoteles de earum postea speciebus in sequenti, quas mox numerabit.

Aristoteles. [Est itaq; calidi quidem concoctio; concoctionis autem maturatio, elixatio, assatio: frigiditatis autem inconcocti huius autem cruditas inquinatio, tostio.

38 *Commentarium*. Quæ nunc dicitur Aristoteles eo pertinent, vt constet concoctionē & inconcoctionem esse duarum actiuarum operationes nedum vero ipsas: sed earum, quoq; species, quas enumerat. est itaq; concoctio calidi operatio, & tres eius species, quæ sunt maturatio elixatio, assatio græce πέπανσις ἕψησις. ὄπτησις frigidi vero est inconcoctio, cuius species tres pariter sunt oppositæ speciebus concoctionis sunt vero græce ὠμότης, μόλυνσις, στάτευσις. Latine vertuntur cruditas (inquinatio) tostio in communi versione. at iusta incidit dubitatio de voce (tostionis) pro græca, στάτευσις, quam deinde in sequenti capite examinabimus. At quæret quispiam quomodo constat concoctionem esse à calore, & inconcoctionem à frigore? Aristoteles enim neutrum demonstrat, sed vtrumq; supponit, est ne ergo, vtrumq; per se notum? respondeo ab Aristotele, vt per se notum sumi; ideo inductione tacite probari inductio vero est per species quas singulas (de speciebus concoctionis agendo) à calore fieri certum videtur obseruatione ipsa, nempè assationem esse à calore. pariter elixationem aperte videmus elixantur res in aqua calida, & feruente assantur autem à calore torrido. maturari quoq; à calore fructus, & id genus cætera, & sensus attestatur. pariter cum infra maturationem constiterint fructus, qui idcirco crudi, & immaturi vocantur, id ex imminuto calore procedit, non vero sine frigiditate est calor diminutus, cum etiam caro

infrà

infrà integram elixationem constiterit nonnisi à diminuto calore id patitur vel saltem à diminuta actione caloris, ratione scilicet temporis, cum non tandiù coquitur quandiù oporteret, cum etiam assatio est imperfecta interdum adhuc sanguis mandentibus os, & linguam tingit, certe id à calore procedit minore, quam par fuit ad assationem tanto tempore perficiendum. Specierum igitur enumeratio hic ab Aristotele facta, est non sine magno artificio ideo scilicet enumerauit, vt pro inductione deseruiret enumeratio ad confirmandam, quæ duo hic supponit, a calore esse concoctionem; à frigore inconcoctionem. at obijciet quispiam argumentationem à speciebus esse ab enumeratione partium nō ab inductione, inductionem enim procedere à singularibus sub sensum cadentibus cap. vlt. 2. post. analyt. & cap. de induct. lib. 2. prior. analyt. at respondere possemus icum per singularia dicitur, procedere inductio, tum comprehendi etiam species specialissimas, quæ athomæ, quoq; indiuiduæ scilicet vocantur, & præberet fomentum expositioni Aristoteles in cap. de inductione 2. prior. analyt. modo memorato vbi [singulare longæuum sicut homo, æquus, atq; mulus] verum aliter respondeo retinendo primum dictum, scilicet hic tacitam inductionem poni non explicitam tacitam vero inductionem per species etiam specialissimas procedere, quatenus memorando eas species occurrunt indiuidua plane obseruata eius conditionis seu sub prædicato vniuersalis propositionis v.g. nunc memorando elixationem à calore fieri statim occurrunt plures illæ elixationes quas experti sumus omnes à calore factas esse, idem de assatione, & reliquis. Artificiū Arist. ot.

Aristoteles. [Oportet autem existimare non proprie dici hæc nomina:
„ rebus enim non posita sunt vniuersaliter similibus quare non has, sed tales
„ oportet putare dictas species.]

Commentarium. Cum confirmauerit esse concoctionem, & inconcoctionem operationes actiuarum qualitatum nunc earum explicationem aggreditur primo autem nominalem cognitionem tradit cum nominalis definitio scilicet quid nominis quattuor questiones præcedat postea essentialem definitione subijciet, nunc ergo de nomine agit; Dicit itaq; nomina assignata, non propriè speciebus numeratis in vniuersum conuenire, quia scilicet non omnes, quæ vocantur elixationes sunt eiusdem veræ naturæ, adeoq; non conueniunt in aliquo communi vniuoco, sed in aliquo vno secundum similitudinem adeoq; erunt species non vniuocæ, sed analogæ. hoc sibi volunt voces [non has, sed tales] scilicet non eiusdem naturæ, & definitionis (cuiusmodi sunt vniuoca: sed tales scilicet vnitatem similitudinariam) & analogicam habentes. Huiusmodi enim particulæ (tale, & quale) cum modum vnitatis important diminutam vnitatem significant, vt in cap. de substantia lib. præd. ibi. [„ Sed magis quale, aliquid signifi- 39.
„ cant, neq; enim vnum est, quod subiectum est. „] Alexander idem dicit, dum dicit non esse vnum commune, omnibus nomen, dum verò asserit ab aliquibus, quibus propriè conuenit, ad alia transferri methaphoricam nominationem intrudit, qua de re dubitandum esset, si vacaret. Vsus enim methaphorarum, in sententijs ab Aristotele damnatur (huic dubitationi in explicanda scilicet definitione syllogismi) occurrit Alexander alias methaphoras esse ad ornatum alias ad necessitatem. illas reijci ab vsu scientiarum has necessario suscipi ob nominum egestatem, quam fatetur Aristo- 2. post. analyt.

teles in 1. cap. 1. elench. Sueſſanus interpretatur. Nomina dicta propriè conuenire concoctionibus artificialibus; inde vero ad naturales translata: neque ego diſſentio. Cum enim nominum ſit vulgus, vt plurimum effector, is eas res nominat, quæ in ſenſum, & eius cognitionem prius incurrunt. Sunt autem huiuſmodi in propoſito concoctionum negotio artificiales coctiones; hæ enim amplius, & prius innotuerunt vulgo, quàm naturales, de quibus ſapientes ipſimet gladiantur, & non pauci ambigunt. at eſt quæſtioni locus, cum non ſit vniuoca concoctio, vtrum ſit analoga, an ad vnum. Et ſi ad vnum, ſiue ab vno, quodnam ſit primum attributionis membrum. Dicendum autem mihi videtur duo reſpici hac in re poſſe. impoſitionem ſcilicet nominis, & rem ipſam. Si impoſitionem nominis ſpectemus primum membrum nominationis eſſe concoctionem artificialem ob adductam maximè rationem. Si verò rem attendamus cum concoctio ſit in gratiam animalis intimiùs, & amplius ad animal pertinet ad eiuſq; ſalutem confert interior, & naturalis concoctio humorum, quàm exterior, & artificialis alimentorum, vt carnis, panis, &c.

Ariſtoteles. [Dicamus igitur ipſarum vnaquæq; quid eſt. Concoctio
„ igitur eſt perfectio à naturali, & proprio calido ex oppoſitis paſſiuis: hæc
„ autem ſunt propria vnicuiq; materiæ.

40 *Commentarium*. Proponit Ariſtoteles ſe definitiones ſingularum mutationum memoratarum traditurum, tum ſcilicet concoctionis, & inconcoctionis in vniuerſum, tum ſingularum ſpecierum, adeoq; quæſtioni, quid eſt ſe ſatisfacturum. quæſtionem autem an ſit deſpicit tanquam per ſe notam, quaſi ſcilicet communi quadam notione conſtet in rerum natura concoctionem, & inconcoctionem dari pariter, & ſpecies. Vbi id eſt in Ariſtotele obſeruandum, ab eo hiſtoriam naturalem, plerumq; ſupponi. Suppoſitio verò interdum fit voce, vt in Iridis tractatione interdum fit mente, deſpiciturq; vocalis omnis ſuppoſitio, vt nunc. Hæc de Methodo modo definitionem concòctionis in vniuerſum aggrediamur. Tres ergo particulas continet propoſita definitio (prima eſt generis perfectio) ſecunda eſt cauſa à naturali, & proprio calido, (tertia eſt ſubiecti, ac differentiæ per additamentum (ex oppoſitis paſſiuis) quam tertiam particulam declarans in hanc aliam commutat (propria vnicuiq; materia) ſingulas particulas declarandum vt totius definitionis ſenſus conſtet.

Digteſsio de Concoctione.

Quæſtiones quatuor eſſe patet ex ſecundo libro poſteriorum analyticorum, quarum duæ ad rem ſimplicem, & incomplexam pertinent an ſit, & quid ſit; & hæ duæ eſſent de concoctione quærendæ niſi an ſit concoctio adeò notum ſit, vt velut propoſitio per ſe nota ſit ſupponenda, non inueſtiganda, & demonſtranda. Cognitio vera ipſa quid nominis interdum ſatis plana eſt, interdum obſcura, præſertim ex multiplicitate ſignificationis redditur, tum primus labor occurrit varias ſignificationes diſtinguendi, & ponendi, in qua ſignificatione tum res definiendi ſumatur. Hoc præcipuè de concoctione faciendum, cuius nunc inquiſitionem.

De ſignificationibus vocis [Concoctio.]

Inueſtigabimus autem ſignificationes conſiderando quibus rebus, tribuatur, & quot concoctionis nomen. Conſideremus primo artificialium rerum, mutationumue, quibus tribuatur. Elixatis alimentis ergo tribuitur

tur cum reddita fuerint comestibilia: cum nondum ad eum terminum perueneriut inconcocta dicuntur: pariter assata dicuntur cum concocta, cum commestibilia verè facta sint cum nondum, inconcocta, & semiassa appellantur. Tribuitur prætcrea vulgo nunc concoctionis, nomen etiam cineri, qui dicitur concoctus cum satis iam in igne moratus albus redditus fuerit: crudus autem cum infra eum gradum constiterit. Tribuitur præterea filo cum lineo, ac cannabaceo; tum serico concoctio, cum elixato filo; priora quidem cum cinere; postremum cũ smegmate mollitiem susceperint rudi duritie deposita. Tribuitur cõcoctio etiam secundũ artẽ terreis, præterquam cineres: tribuitur.n. fictilibus, quæ tum cruda dicuntur: tum concocta, tum inconcocta, cum non plenè cocta, sed semicocta fuerint: pariter lateres in fornacibus, & cocta dicuntur, cum plenè concocti fuerint, & inconcocti cum fuerint semicocti. Calix itidem, & concocta, dicitur, & inconcocta pari modo. Aqua pariter quoad artem, & concoctę nomen suscipit, & inconcoctæ cum ad plenum cocta fuerit concoctæ nomen sortitur: at cum fuerit semicocta, tum inconcocta vocatur si nullum concoctionis gradum assequuta fuerit, tum simpliciter cruda vocatur. Metalla, quæ aquæ sunt secundum Aristotelem, & ipsa coqui dicuutur. Plinius 33. lib. cap. 3. & 4. aurum coqui non semel dicit. Item de plumbo, & de vena argẽti cap. 6. sed auri pigmentum coqui dicit idem Plinius cap. eod. 4. lib. 33. ex eaq; coctura Cacum principem aurum excellens extraxisse, sed in parua summa. Excoquitur quoq; vinum penes aliquas gentes spoletij igitur, in eoq; tractu frequens id est, oleum quoq; aliud coquitur, quod ideo coctum dicitur, aliud incoctum conditur: quod virgineum vulgo appellamus: ligna quoque elixant ad flectendum, vt qui ex nuce scamna faciunt cum curuo dorsali. vt concoctio omnibus ferè rebus tribuatur secundùm artem. Aristoteles hoc modo lib. 4. metheor. cap. 4. aquam elixari dixit: fucile crudum item meminit etiam elixationis ligni, & auri, & mustum elixari. Oleum per se elixari negat quasi cum alio fateatur. Sunt prẹterea concoctiones naturales, quæ scilicet non opera artis saltem non primaria. est huiusmodi concoctio alimenti in animalibus. numeratur hæc triplex à Medicis in ventriculo in hepate, & venis, & in partibus nutriendis: est concoctio lactis in mammis: seminis in spermaticis partibus. Sunt præterea concoctiones ad expellendum vt puris, vt humorum vitiatorum in morbis, vt sordium in lachrimis, est concoctio fructuum in plantis, vuæ in vite. Primorum malorum in suis arboribus, & cętcrorum demum fructuum in suis pariter arboribus, tribuitur etiam metallis, & fossibilibus naturalis concoctio. Georgius Agricola lib. 5. de subterran. prope finem, vbi hæc habet. Interdum calor adeo quasdam res concoquit vt videantur ex ardente aliqua fornace liquatæ fluxisse. In plantis alimentum, quoq;, & concoctum esse, & inconcoctum passim admittitur. At quis dicere queat me confundere nunc coctionem, & coquere cum concoctione, & concoquere diuersas tamen esse voces, & in lexicis etiam illis diuersas tribui significationes? respondeo ergo etiam si latinæ voces nonnihil inter se discrepent græcam tamen vocem ἑψέω, quæ vtrique respondet latinæ, & qua vtitur Aristoteles eandem esse. Italice *crudo* dicimus quod cum non est exilatum, neque assatum, vt pomum et iamsi maturum cum ab arbore decerpitur comedimus, dicimus comedere *crudo*

Lexica pariter latina crudum in eadem significatione penes latinos esse asserunt. Hoc modo omnia, quæ sunt natura concocta poma legumina fruges carnes essent cruda, Areostus in fabella Ricciardetti. *E mangiarsi il crudel la Doleua cruda.* De nympha loquitur quam scitam, & florentem repræsentat, cuius idcirco humores concocti, & partes elaboratæ esse debebāt.

CAPVT SECVNDVM.

Quonam in significatu concoctio sit definienda.

Cum ergo tot rebus concoctio tribuatur considerandum est num in tota sui vniuersitate sit vniuoca, adeoque in ea vniuersitate definiri possit necne, nisiq; definiri in ea possit in qua ergo significatione definiatur. si Aristotelis auctoritatem sectemur certum est vocem non esse vniuocam in tota sua amplitudine. in principio capitis (secundum communem sectionem) tertij dicit (oportet autem existimare non proprie hæc dici nomi-„ na, rebus enim non posita sunt vniuersaliter similibus„ at vniuocum nomen proprie dicitur de subiectis speciebus omnibus, & in cap. 4. secundum „ eandem communem sectionem hæc alia habet„ Dicitur autem, & au-„ rum elixari, & lignum, & alia multa secundum formam quidem non „ eandem, sed translatione„ si ergo secundum metaphoram dicuntur elixari, adeoq; concoqui aurum, & lignum non est vniuoca concoctionis vox ad eiusmodi elixationes: si rem etiam spectemus idem dicendum. nam artificiales concoctiones sunt ab extrinseco, & alieno calore non ab innato, & proprio alicuius compositi ex concoquente, & re quæ concoquitur: at concoctio naturalis huiusmodi esse videtur præsertim, quæ in animali, præterea concoctio puris, quæ est ad expellendum, & sanguinis, ad humorum ad nutriendum quomodo conueniant in aliquo vniuoco illa ex corruptione, & putredine nectitur: hæc generationem supponit, & ad perfectionem rei genitæ tendit, inter artificiales ipsas concoctiones elixatio, quæ dicitur ligni ad ipsum flectendum, & elixatio carnis in olla ad humanum alimentum in quo communi vniuoco conuenient. in eo solum communicant quòd mollescunt quòd à calore, & humido sunt, ac forma concoctionis, quę est perfectio rei inest elixationi carnis in ordine ad humanarum partium restaurationem, at elixationi ligni in ordine ad artis lignariæ commoditatem vsus vero artis lignariæ, & restauratio substantiæ humanæ nihil habent commune vniuocum. sit ergo conclusio concoctio in sua vniuersitate non est commune vniuocum, vel ergo est purè æquiuoca vox, vel commune ex analogia, vel commune ex attributione primum non est dicendum cum sit aliqua communio rei, vt esse a calore alterutrum vero sequentium duorum sit non est definienda concoctio in tota vniuersitate, sed in primo membro, vel analogiæ, vel attributionis cui definitio sit vniuoce, & formaliter conueniens cæteris vero membris sit communis, vel ex analogia, vel ex attributione (mihi vero potius ex analogia videtur) quod nam ergo est primum membrum, quod definire oporteat? respondeo concoctionem naturalem præferendam, & inter naturales concoctionem viuentium, & inter concoctiones viuentium, concoctionem animalium ita tamen, vt inter concoctiones viuentium sit ordo prioris, & posterioris, qui non interrumpat vniuocationem; quæ est alicubi doctrina Auerrois. Verum distinguenda adhuc concoctio in viuente, & in animali; alia enim est ad perfectionem partis, & ex ea ad

per-

perfectionem totius alia est ad eijciendam, vt excludatur concoctio puris, quæ non perficit concocta animal sed vitiat, verum eius concoctionem molitur natura, vt sit accomodatior ad eijciendum, hanc distinctionem expressit Aristoteles c.mihi quinto de maturatione in fine cum dicit „ & hæc „ quidem in ipsum natura ducit secundum hoc, hæc autem eijcit „ hæc concoctio, quæ ad expellendum nititur est quam Aristot. putrefactioni adiungit c.mihi 4.in illis verbis [aut assetur aut elixteur, aut putrefiat] sed de hoc amplius postea. Esse ergo concoctionem, quæ in viuentibus, & præsertim, quæ in animalibus primum analogatica satis patet quoniam cum concoctionem rebus naturalibus applicamus subit statim concoctio cibi in animalibus, & eorundem humorum, præterea vero est ratio, qua in naturali philosophia naturales functiones sunt primo loco considerandæ, ac præsertim definiendæ, inter naturales vero concoctiones, & præstantiorem esse, quæ in viuentibus, & in concoctione hac, quæ in viuentibus præstantiorem esse, quæ in animalibus fit, nemo potest iure in dubium reuocare primum ergo analogum est inter concoctiones, concoctio, quæ in viuentibus fit, quæ idcirco definitione vniuoca definienda est conueniet vero eiusmodi definitio prius, & perfectius animalium concoctioni vniuoce tamen conueniet omnium viuentium cōcoctioni, est scil.analogia, quę stat cum vniuocatione. Conuenit inquam vniuoce omni viuentiũ concoctioni quæ ad perfectionem fit non ad eiectionem. Hæc ita nunc ex dictis statuo, at videnda quęstio infra q.37.interim noto Buccaferreum nolle concoctionem humorum esse proprium, & vniuocam concoctionem sed metaphoricam solum persto ego in sententia mea, vt ex principijs solidis prodeunte, remittendo disputationem ad quæstionem indictam, ex qua sententia sanè pendet humorum concoctionem esse vniuoce concoctionem.

TERTIVM CAPVT

Definitio primi analogati proponitur, & declaratur.

Iam ergo determinato definito, vel definiendo membro concoctionis definitionem eius indagemus, at non est cur Aristotelis definitione dimissa aliam quæramus definit ipse, concoctionem ergo esse perfectionem à naturali, & proprio calido ex oppositis passiuis. Quę definitio per me vniuocè solum conuenit concoctioni naturali viuentium ad perfectionem, non ad eiectionem; cæteris verò concoctionis significatis ex analogia. Quam meam sententiam res ipsa conuincit: nam qui eam vt vniuocè commune omni concoctioni acceperunt in magnas tricas & Aristotelem, & se ipsos adduxerunt contra ex mea declaratione omnia plana. in hoc tantisper immoremur dum ostendamus non conuenire omni concoctioni vniuocè definitionem Aristotelis nam elixatio, & assatio, quæ ab arte sunt pro eo, quod sint à proprio, & naturali calore sunt ab extrinseco, & alieno vt eas definit Aristoteles. Id ergo accidit, quod in definitione amicitiæ definitur illa in vniuersum beneuolentia mutua, non latens, quæ beneuolentia importat amorem sincerum gratia amati, non gratia amantis; & tamen species, duæ vtilis, & iucundæ amicitiæ sunt gratia amantis, non gratia amati. Nimirum definitur amicitia communis definitione vniuoca solum primo membro scilicet amicitiæ honestæ: at reliquis duabus communis proportione, & analogia, non vniuocè. Restat nunc hac prætermissa determinatione declarare definitionem. Aristoteles sunt tres eius particulæ,

Perfectio secunda à naturali, & proprio calido. Tertia ex oppositis passiuis. Primę particulæ declaratio est ab Aristotele ipso petenda 5. metaph. cap. 16. vbi de perfectione agit. Duos ergo perfecti modos adducit, vt duæ sunt quantitates; semper verò perfectio quantitatem respicit. Est autem quantitas alia molis, alia virtutis, dicitur perfectum secundum priorem quantitatem, cum nulla magnitudinis eiusdem particula rei, deest exemplo temporis eam perfectionem declarat Philosophus. Est ergo perfectus annus cum totus abijt, & totus abijt cum nulla eius dies; imò neq; hora amplius supersit. Secundum magnitudinem verò virtutis, eiusq; quod est benè se habere definit perfectum, cum nihil ei deficit, quod in eo genere requiratur, verbi gratia perfectus tubicen est, cum in arte ea nihil est, quod ipse non noscat. at polleat, at hic animaduertendum est distinctionem quātitatis in quantitatem molis, & virtutis non explere integram distinctionem Aristotelis nam est etiam quantitas numero in qua quantitate quoq; versatur perfectio, vt numerus Apostolorum perfectus erat duodenarius, adeoq; cum nullus ad eum numerum requirebatur Apostolus. Imperfectus autem fuit mortuo Iuda, vsquequo in eius locum non fuit sublectus Mathias. Quantitas etiam virtutis non totum exprimit alterum distinctionis membrum. Nam est quantitas gradus, & est quantitas potentiæ, quæ nomine virtutis significatur. Non autem quantitas gradus eodem nomine verè exprimitur ex hac declaratione nominis huius (perfectio) satis constat perfectionem non consistere in rei essentia: non enim statim atq; essentia rei, est constituta res quoq; ipsa perfecta est, verbi gratia Tibicen est Tibicen, statim atq; habitum artis est consequutus, sed quoniam habet habitus artis latitudinem, vt contra summum etiam consistat. In summo solum perfectum Tibicinem reddit citra summum Tibicinem quidem facit: at non perfectum, & conspirat profundum dogma Diui Thomæ 1. p. q. 5. art. 1. vbi bonum, & perfectum simpliciter esse, & dici asserit; non secundum esse substantiale, sed secundum esse superadditum, quod ens superadditum est ens secundum quid, sicut esse substantiale est esse simpliciciter. At contra res secundum esse substantiale est bona secundum quid, at secundum esse superadditum est bona, & perfecta, simpliciter hæc, & verissimè D. Th. Sanguis ergo non à forma sanguinis habet vt sit perfectus, sed ab eo esse, quod superadditur Sanguini, cum scilicet absolutam eam crasim obtinuerit, quæ illi in dato animali debetur.

Corellariū primum. Alia enim crasim exigit sanguis Tauri, aliam sanguis humanus. hinc patet non esse concoctionem idem cum generatione, sed generationem supponi à concoctione illiq; superuenire. Confirmaturq; ita dictum Aristot. in principio cap. huius (secundum meā diuisionem) quarti (secundum communem tertij) cum asserit concoctionem, & incōcoctionē induci ab actiuis qualitatibus in subiectis naturalibus iam constantibus, scilicet iam genitis, & existentibus, non quæ tum generentur. Vnde malè Vallesius, qui generationem, & concoctionem secundum rem confundit; cum tamen ratione nedum, sed re ipsa distinguantur; potest enim esse res, & ita potest præcessisse generatio rei, & nondum esse perfecta, adeoq; nondum accessisse perfectio. At verò concoctio est perfectio, & nisi adsit perfectio non est concoctio.

Corellariū secundum Deducitur hinc secundo mutationem cibi in chylum, quæ fit in ventriculo non esse concoctionem vniuocè, & formaliter, nam est

ea

eà generatio respectu chyli, & corruptio respectu cibi non perfectio. declaro amplius argumentum. Non est ea mutatio perfectio alimenti sumpti, & comesti, verbi gratia panis, carnis, quoniam cibi eiusmodi singuli corrumpuntur non perficiuntur. Non est etiam perfectio chyli geniti, quoniam non statim, atq; est chylus est perfectus, sed prius gignitur & postea aliquo temporis tractu perficitur. Nempe primo substantiale esse chyli suscipit: postea esse superadditum ex quo perfectus redditur. Nisi ex imbecillitate virtutis ventriculi imperfectus permaneat, & incoctus.

SECVNDA PARTICVLA. [A naturali, & proprio calore.]
Disputatio continetur. Vtrum sit calor concoquentis partis an rei concoquendæ.

Secunda particula declaranda succedit, in qua explicanda diuersæ sententiæ extitere aliqui intellexere calorem rei digerendæ, & concoquendæ quasi scilicet chylus concoquatur à calore suo naturali, & proprio. Alij calorem concoquentis particulæ exposuere, asserentes scilicet chylum concoqui à calore ventriculi non à calore suo; aliqui vtrunque calorem commiscuerunt. Præterea verò in singulis ipsis membris diuersi reperiuntur modi dicendi. Quos esset persequi longum. Ego meam primo loco sententiam exponam estq; calorem concoquentis esse exponendum scilicet plantæ, aut animalis in ijsq; partis ipsius concoquentis, verbi gratia in animalibus ventriculi respectu chyli in hepatis respectu sanguinis. Est verò ita calor naturalis & proprius suppositi ipsius in quo fit concoctio, & in cuius beneficium cedit concoctio, & cuius pars est, quæ concoquitur. confirmatur sententia, quoniam vis concoquendi passim à Medicis, & Philosophis tribuitur partibus, vt vẽtriculo, hepati, &c. Ita Galenus vbiq; ergo calor partium est instrumentum concoquendi, non autem alimenti suscepti. secus virtus animalis, & vitalis, concoctis scilicet esset rerum inamatarum herbarum scilicet euulsarum carnium occisorum animalium, casei, lactis nõ autem animalis ipsius contra philosophicam veritatem omnem: præterea cur tot fomenta data parti afferunt, scilicet venticulo, rete, & alia, vt melius concoquat nisi inesset ventriculo concoctrix vis? Est præterea Aristotelis authoritas plana hic satis. Verba sunt. Quamuis per aliquod exteriorum auxilium perfectum sit, vt alimentum simul concoquitur, & per balnea, & per alia talia. Sed principium, quæ in ipsa caliditas, vbi græcè alimentum est generis fæminini αυτοῦ pronomen autem (in ipso est masculini, vel neutri ἐν αὐτῷ vt non possit applicari id pronomen alimento. necesse itaq; est applicare supposito nutriendo, scilicet viuens: at non malè Alcyonius verterit sed paraphrastæ potius, quàm interpretis vicefunctus. Calorem qui ab re ipsa, quæ alitur, ducitur repræhendit versionem Vallesius. Malè, vt falsam, rectè vt additam. Est præterea ratio contra eos, qui dicunt, chili concoctionem fieri ex calore cibi verbi gratia panis, & carnis in cibum sumptæ: nam cum corrumpatur cibus dum in chilum transmutatur ipse suo calore ad interitum contenderet, quod est absonum. At quæ contra expositionem hanc afferuntur singillatim consideremus, & excutiamus.

Rationes, quòd calor naturalis, & proprius non sit concoquentis, vel saltem non solius.

Prima est ex vi vocis proprij. Nam si ex calore ventriculi cibus conco-
que-

quereretur non concoqueretur ex calore proprio, sed alieno; æquè enim esset ex proprio calore artificialis assatio. Cum sit ex calore ignis, qui calor est proprius ignis sicut calor ventriculi est proprius ventriculi. Secunda. mustum concoquitur, in vinumq; à seipso adigitur, non amplius à calore vitis, à qua abscissus fuit racemus. Ergo aliqua saltem concoctio est à calore rei, quæ concoquitur. Non potest itaq; in vniuersum exponi definitio de calore concoquentis. Tertia. idem de pomis, & fructibus, qui ab arbore immaturi decerpti maturescunt, non enim à calore arboris à quo procul sunt ergo à calòre suo. Supplet rationem Vallesius. Quod si in vnica re concoquenda, & concocta id euincatur vt sit à valore proprio rei idem in omnibus dicendum: nam ratio, & forma concoctionis, omnibus, quæ concoquuntur est necessaria communis. Quarta ratio cibi frigidi succi difficilius concoquuntur, quam succi calidiores ergo Caliditas etiam cibi concoquendi concurrit. Item calidi cibi interdum exhibentur ad concoctionem ipsam celebrandam. eorum ipsorum, & aliorum ciborum. Quinta ratio ex flore in arbore fit fructus, ex ramulo fit flos, ex nucleo proprio eius calore fit ramus; cur ergò non potest in ventriculo ex pomi calore fieri chilus. Est argumetatio Vallesij. Sexta ratio ex verbis Aristotelis supra pro mea sententia adductis.

Solutio rationum.

Sol. 1. Verum facile est rationes soluere prima soluitur, quoniam est proprius, & naturalis calor suppositi eius, cuius est pars id, quod verè concoquitur, & in cuius beneficium tendit concoctio, nec absurda est appellatio, eum scilicet calorem, qui est proprius, & naturalis totius suppositi, proprium & naturalem dicere partium eiusdem suppositi. In assatione verò, & elixatione ignis cuius est calor concoquens non est idem suppositio, reiq; quæ assatur, & elixatur, sed sunt diuersa, & distincta prorsus supposita.

Sol. 2. Secunda ratio, soluitur primo, eo, quod non est misti concoctio vniuoca cum concoctione definita ex ijs, quæ in primo capite digressionis huius sunt dicta: vnde neq; definitio concoctionis tradita debet conuenire vniuocè, sed analogicè vel ex attributione. in eo enim consistit concoctio musti vt in vinum mutatur, quod partes fęculętiores, & terreæ separentur, ac subsidam, subtiliores euaporens. Restant autem solum vinosæ, qua in re munus suum exercet calor ambientis in euaporatione scilicet partis spirituosæ, vnde & grauiores, & terrestres partes in suum locum descendendo tendunt. Hæc est concoctio vini. At secundo mustum non esse ab initio mistum vnum, sed miscellam potius inconditam ex attiguis pluribus, quæ iuxta opposita corpora in se agunt; prætereaq; prona sunt, quæ solutiora ex illis sunt in sua loca abire (sursum spirituosa) deorsum fæculenta. Concoctio itaq; est separatio vinosæ portionis ab alienis, siuè alienarum ab illa, estq; à calore vinosæ vt in alias agit, non quòd agat in se ipsam, sed perficiat nisi ex accidenti, vt ab alienis se vendicat naturis, eatenusq; se perficit cæterum abeunt etiam spirituosa, & fæculenta ex sua propen-

Ad tertiā sione, nedum ex actione vinosæ partis. Tertia ratio ita soluitur. Poma, & fructus immaturi ab arbore decerpti immaturi, non maturescunt vera, & vniuoca maturatione. Maturatio siquidem, quam eis nos tribuimus ex ordine ad nostram commestionem, tendit potius ad eorum putredinem, quàm ad eorum perfectionem. Mitia enim breui fiunt, & deinde putrida:

nimi-

nimirum euaporante calore humor etiam expirat continuans, à quo compacta, & dura reddebantur; itaq; poma solutiora; cum reliquis fructibus redduntur, & molliora, adeoq; aptiora esui, quam nos aptitudinem maturationem appellamus, at non est propria, & vera maturatio, & vniuoca, quod hinc confirmatur. Quoniam definitur maturatio ab Aristotele cum semina, quæ sunt in pulpa fructus, in eaq; reconduntur possunt facere tale alterum quale ipsum. At certè si cum fructus immaturi decerpuntur non haberent adhuc semina apta facere tale alterum, quale ipsum, ex maturatione, quam illi vulgo ad nostrum vsum tribuimus non assequerentur eam facultatem. Proinde neq; veram maturationem. Soluitur *Ad appendicem 3.* etiam tertiæ rationis appendix penes Vallesium erat verò. Si in vno concoctio est ex rei concoquendæ calore ergo in omnibus. At est in vno imò in pluribus vt in vno, & fructibus imo etiam in oleo, vt addit idem Vallesius, igitur est etiam in omnibus. Assumptum huius rationis ex ijs, quæ diximus falsum est de vera, & vniuoca concoctione. Consequentia quoq; parum necessitatis obtinet, vt in solutione quintæ rationis patebit; at interim satis est institisse assumpto pro solutione rationis. Quarta *Ad quartam.* quoq; facilè soluitur. Cibi calidiores faciliùs, & promptius concoquuntur, quàm frigidiores, non quod eorum calor euadat agens, & concoquens immediatum etiam partiarium concoctionis, sed quod vel calidior cibus est paratior ad excipiendum caloris concoquentis, & potest etiam iuuare, adeoq; intendere aliquo pacto calorem naturalem animalis vt Ari- *Cap. eodē part. 43.* stoteles dicit eundem naturalem calorem iuuari ad concoquendum balneis & alijs eiusmodi argumentis. Calor verò animalis ipse est, qui semper concoquit. Quinta ratio soluitur, quia dispar longè ratio est inter vim *Ad quintam.* seminariam, & vim concoctricem. Nam in semine est inditum corpus illud spirituosum, quod respondere dicit Aristoteles elemento stellarum, quod in se retinet vim genetricem à viuente, ex quo effluxit, excisam, estq; eiusmodi corpus reliquo seminis corpori non continuum, sed contiguum, licet inspersum: vnde calor, & virtus eiusmodi spirituosi corporis, & est seminis, vt in eo continetur, & non est, vt non est continuum, sed contiguum, & alia ratione est viuentis, à quo excidit, vt eius instrumentum retinens virtutem ab eo proseminatam, & impertitam genituræ hac ratione generat in se ipsam agendo at res inanimata ita nulla generat, sed solum in externam materiam, externumq; corpus agendo, vt virtus seminaria sit peculiare quoddam naturæ artificium, ac misterium, ex quo ad alia argumentari non liceat, & hæc instantia, quam innui aduersus consequentiam Vallesij in appendice tertiæ rationis. Sexta ratio ex Auctori- *Ad sextam.* tate Aristotelis nedum soluitur, sed retorquetur ex dictis supra in meæ sententiæ confirmatione.

[*Ex oppositis passiuis. Hæc autem sunt propria vnicuiq; materia.*]

Tertia particula superest explicanda [ex oppositis passiuis] Aristoteles autem subijcit hanc esse propriam vnicuiq; materiam. vocauit pariter materiam passiuas has qualitates antea cap. 2. propè à principio: sensus ergo est ex passiuis qualitatibus, vt ex materia educi perfectionem dictam à calore naturali, & proprio animalis ac viuentis, in ijs demum qualitatibus, vt in subiecto eiusmodi perfectionem effici à calore concoquente. Esse verò passiuas qualitates humiditatem, & siccitatem, nemo debet in

dubium

dubium reuocare; at quid operetur calor naturalis in passiuas eiusmodi, & quam perfectionem imprimat, est considerandum, & diligenter expendendum. Aristotelis ea de re dicta quatuor esse videntur. Primum est alteram concoctionem desinere in formæ substantialis introductionem. Secundum est alteram concoctionem desinere in aliquem gradum obauctæ caliditatis: Tertium. Cum victa fuerit humiditas. Quartum Quæ concoquuntur crassiora fuere. Primum contrarium esse videtur ijs, quæ differui perfectionem fieri, non per esse substantiale, sed superadditum. At si perfectio aliqua in formam substantialem terminatur. Ergo per formam substantialem erit perfectio. Respondeo itaq; memorari ab Aristot. primam commutationem alimenti à calore ad formam, non vt concoctionem exactè (scil. sumptam) vel eius gradum: sed vt gradũ præuium necessario concoctioni. Primo scilicet sumptus cibus à naturali calore mutatur, in chilum est hæc mutatio substantialis, deinde chilus concoquitur non est mutatio in chilum concoctio eius. Sed generatio at necessario præuia concoctione. Pariter in sanguine primo à calore naturali chilus in sanguinem mutatur (est ea generatio sanguinis) postea sanguis elaboratur, & concoquitur, forma ergo substantialis est finis, & terminus præuiæ generationis, quæ est præuius necessario gradus concoctioni, non autem est terminus concoctionis. Bonæ huic solutioni possumus adhuc meliorem subiungere ex distinctione secundi capitis. Concoctionis scilicet vniuocè sumptæ non esse terminum formam substantialem, sed concoctionis analogicè sumptæ esse terminum, Generatio chili, & sanguinis est concoctio analogicè sumpta, vel ad vnum, vt scilicet ad concoctionem vniuocam, tanquam necessaria præparatio dirigitur, vtq; causa præcedens; verè ergo concoctionis finis est, quem describit in secundo dicto. „ Cum humidum „ tale, aut tantum fiat, & demum calefiat (ly tantum. „) Significat fluuidiùs, aut compactiùs humidum esse (ly tale) significat esse calidum: vt concludit Aristoteles, nimirum in requisito gradu caliditatis. Tertium dictum est declaratio secundi; etenim (cum victa fuerit humiditas, ex caliditate) significant hæc verba humiditatem à caliditate cogi, cum siccoq; amplius misceri; vnde quartum dictum sequitur „ crassiora fieri conco„cta „ calor ergo concoquens in humoribus concoctis eam perfectionem inducit, quod cum siccitate magis nectantur, & amplioris caloris, quàm habuerint antea, gradum acquirant. Hæc pro explicatione tertiæ particulæ, nunc aliquæ occurrunt difficultates examinandæ ad maiorem dictorum tertij, & quarti intelligentiam.

Difficultas de tertio dicto.

De tertio ergo dicto ea nascitur dubitatio, quod videatur eadem in passiuis exigere dispositionem ad concoctionem, quam ad generationem exegit scilicet terminationem. Verba siquidem sunt. „ Accidit autem o„mnibus hoc pati, cum victa fuerit materia, & humiditas: hæc enim est, „ quæ terminatur ab ea, quæ in natura caliditate; quandiù enim insit in „ ipsa ratio natura hoc est. „ En ergo vt videntur hic quoq; reponere in terminatione actionem caliditatis in concoctione. Respondeo non meminisse Aristotelem terminationis in concoctione quasi exigatur. quippe, quæ ab humorum concoctione absit: incrassantur enim illa non autem concrescunt, ac terminantur. nec verba id important: sed important solum

ſolum à caliditate naturali, quæ eſt concoctionis cauſa, etiam terminari, quæ in generatione miſti perfecti (in animali, exempli gratia partes ſolidæ) terminantur in quarum terminatione, cum debitam ipſa, proportionem nacta fuerit, conſiſtit natura, & ratio, ſeu forma rei genitæ, vt antea in capitis ſecundi commentarijs declaraui: at quartum dictum maiorem disputationem expoſcit. Vtrum ſcilicet omnia concocta craſſiora reddantur. Hic tamen meam nudè ſententiam exponam.

De quarto dicto vtrum craſsiora fiant concocta.

Craſſiora ergo fieri, quæ concoquuntur ego expono de vniuoca tantum concoctione non de æquiuoca, neque preſertim de ea, quæ ad ſucci generationem exigitur: cum is enim ex liquatione procedat, & certè non craſſior fit, ſed liquidior cum nempe panis, & cibi ſolidi in chilum mutantur, eſt corruptio ciborum generatio chili, quæ fit per liquationem alimentorum ſumptorum, & non concoctio vniuocè ſumpta ex proximè dictis. In hac non fit craſſius, ſed liquidius alimentum, cum chilus ſit liquidus, alimentum eſſet ſolidum, vt rectè in hoc Valleſius quoq; diſtinxerit liquationem à conctione propriè ſumpta, ſed ex alio tamen, & non conſiſtente fundamento, vt ſit aſſertio vera, licet non verum fundamentum. Verba ſunt. „ Confectio ciborum, quę nactatur in ventriculo non „ eſt propriè elixatio, ſed elixationi ſimilis. „ Scilicet liquatio eſt, cum quadam concoctione. Cum ergo chilus iam genitus fuerit, dum ſcilicet fuerit ſuccus ex ſolido corpore eductus, is tum ſuccus ſi concoquatur craſceſſit, craſſiorq; adeo fit quam cum primum extractus eſt. Sanguis pariter cum primum genitus eſt, fluuidior eſt, quam cum concoctus iam fuerit. Primo enim magis eſt ichoribus permiſtus deinceps verò ea acquoſitate depoſita, ac ſequeſtrata conſiſtentior, & ſi extra venas fluat, amplius concreſcit. Idem eſt prorſus de concoctione, quæ fit in partibus ipſis ſecundum medicos, cum ſanguis ſcil. per venulas capillares in partem exundans in carnem vertitur, vel in os, vel in neruum. Eiuſmodi enim mutationem non pro concoctione agnoſcunt, ſumuntq; Medici. vtrum autem ſit verè, & vniuocè concoctio alias diſputabo. Interim autem non eſſe ex poſitis principijs eſt ſtatuendum cum ſit ea generatio, & introductio formæ ſubſtantialis non autem verè perfectio, adeoq; concoctio cui conuenit definitio ab Ariſtotele aſſignata. Hæc interim pro definitione concoctionis, eiuſque indagine dicta ſint. Redeamus ad Ariſtotelem.

Ariſtoteles. Cum enim concoctum fuerit, & perfectum eſt, & factum.

Commentarium. Definitionem traditam nunc confirmat primoq; primam partem ſcilicet eſſe perfectionem. Confirmat autem à concretis 41.
procedens ab abſtracta à quali ad qualitatem, cum concoctum, inquit, aliquid eſt, eſt perfectum, & factum. Quibus in verbis contemnitur ab Ariſtotele ordo, vt in rethorica exilia, & parua interdum contemnenda monet. Eſt autem prius facta, & genita res, quam perfecta ſit. Primo ſiquidem res gignitur, poſtremo perficitur ex tex 58. lib. 8. phyſ. hoc *Lib.* 3.
autem ſumit Ariſtoteles, vt per ſe notum, quod concoctum eſt nedum genitum iam eſſe, & perfectum in ſuo ſcilicet genere. Dico in ſuo genere. nam concocta ſecundum artem perfecta erunt reſpectu eius vſus ad quem ab arte diriguntur. Caro aſſata eſt perfecta vt comeſtibilis, ad quem vſum à coquinaria ordinatur. Per ſe ipſam autem perfectior eſt caro,

cruda,

cruda, quàm cocta. magis scilicet illa participat naturam, & rationem carnis, quam cocta. Quod ergo hic ab Aristotele dicitur concoctum esse perfectum vt ex obseruatione conceptionis passim nostræ, & rei ipsius manifestum, sumitur.

Aristoteles. [Et principium perfectionis à caliditate propria accidit; „ quamuis per aliquod exteriorum auxilium perfectum sit, vt alimentum „ simul concoquitur, & per balnea, & per alia talia, sed principium, quæ in „ ipso est caliditas.].

42. *Commentarium*. Nunc probare aggreditur secundam particulam esse scilicet à caliditate naturali, & propria perfectionem. Primo autem probat indirecta probatione tollendo nempe contrariam quandam obiectionem quæ est. Quoniam ad concoquendum alimentum vtimur fomentis varijs exterioribus balneis scilicet puluillis illitionibus, & id genus alijs, quæ ideo videntur principium concoctionis, & causa non calor hominis, ac ventriculi: respondet ergo iuuari quidem ijs rebus calorem naturalem, qui scilicet ijs totus melius concoquat, validior redditus ad concoquendum. Et certè omnes agnoscunt fomenta ea apposita parti destitutæ calore naturali nihil ad concoctionem conferre, vt principium concoctionis sit necesse calor, at fomenta adiumenta caloris. Verum illud hic etiam est ex libris de anima repetendum calorem esse causam concoctionis, & alitionis instrumentariam non principalem, cuiusmodi causa est anima non calor. Aristoteles ergo hic vt in sensatiore philosophia causarum sensu cõspicuarum meminit occultiores dimittit contentus doctrina tradita in vniuersalioribus libris, & subtilioribus, quem Aristotelis morem antea etiam memoraui.

Text. 41. lib. 2.

Aristoteles. [Finis autem bis quidem natura est. Natura autem, quam „ dicimus vt formam, & substantiam. His autem in subiectam quandam for„ mam finis est concoctionis cum tale fiat, & tantum humidum aut assetur, „ aut elixetur, aut putrefiat, aut alio quodamodo calefiat. Tunc enim vti„ le, & concoctum esse dicimus sicut mustum, & quæ in tuberculis constant, „ cum factum fuerit pus, & lachryma, cum facta fuerit sordes, similiter „ & alia.

Commentarium. Quæ sit connexio horum verborum cum superiori-
43. bus, & cum sequentibus nescio an viderim, qui rectè prorsus conijciat. Alexander Maximus interpres exponit Aristotelem, cum dixerit concoctionem esse perfectionem, nunc quæ perfectio sit, & quinam concoctionis finis aperire. Non procul abit à sentensia Suessanus, qui dicit exponi hic causam finalem concoctionis cum iam expresserit agentem. Vicomercatus etiam consilium hic Aristotelis interpretatur esse, tradere finem concoctionis. Ea quidem ratione quod concoctio sit perfectio, & perfectio sit via ad finem, confirmat ex etymologia græcæ vocis. Perfectio græcè dicitur τελείωσις. τελείωσις autem dicitur ἀπὸ τοῦ τέλος hoc est ad finem. Buccaferreus etiam sequitur in connexione hac Alexandrum, & videtur communior hæc connexio, verum Auerroes cum habeat hic literam corruptam aliam etiam connexionem sequitur imò potius diuulsionem. Legit autem. Et complexio rei, quæ venit per digestionem est sua „ forma, & substantia, quæ nominatur natura. „ Et interpretatur rem concoctam conuerti in similitudinem speciei caloris concoquentis absq; alia conne-

connexione; Ego verò videor mihi videre aliam, & aptissimam connexionem eorum, quæ hic dicit Aristoteles, & est Philosophum hic traditam definitionem in hac, & sequenti parte confirmare vsq; ad partem vbi de inconcoctione agit, & secundam particulam præsertim esse à calore naturali primo probauit indirectè, at nunc indirectè duabus rationibus, prima ratio est, concoctionem, ac perfectionem, quam ei tribuimus duobus modis terminari, duosq; fines, ac terminos habere. Alterius enim terminus est forma substantialis: ac esse substantiale alterius est esse superadditum, ac accidentarium secundus hic terminus est concoctionis vniuocè, atq; exactissimo modo sumptæ. Primus est concoctionis analogicè captæ. at vterq; terminus nonnisi à calore naturali inducitur. Ergo vtraq; concoctio nonnisi à calore naturali inducitur. Erit itaque prior ratio. Omnis concoctio, cuius siue terminus est forma substantialis, siue esse superadditum est à calore naturali. Omnis concoctionis terminus est aut forma substantialis, aut esse superadditum. Ergo omnis concoctio est à calore naturali. Minorem huius rationis ponit in præsente particula: maiorem in sequente nunc igitur exponimus particulam hanc ipsam 43. (finis autem inquit) his quidem natura est; Natura autem, quam dicimus, vt formam, & substantiam. Pronomen his refert, ea quæ concoquuntur, importatq; idem, ac si dixerit alijs esse finem, naturam, &c. subiungit verò declarationem naturæ, quam scilicet hic naturam intelligat. Est enim natura alia materia: alia forma naturam igitur intelligit, quæ forma est, & non quæuis forma, sed substantialis forma id exprimit Aristoteles cum dicit vt formam, & substantiam, est ergo hoc primum membrum minoris. Cum terminus concoctionis est esse substantiale, quæ non est vniuocè, & simpliciter concoctio, & tum generatione secundum rem confunditur licet ratione distinguatur. Modo subiungit concoctionem vniuocam, & simpliciter quæ est cum terminus esse superadditum, & forma, vel gradus formæ adueniens non substantialis. verba sunt. His autem in subiectam quandam formam finis est concoctionis vbi notandum hic dici in subiectam formam solum, proximè autem in formam, & substantiam, vt intelligamus ibi formam substantialem hic formam non substantialem esse finem concoctionis, quod amplius etiam declarat sequentibus mox verbis. [Cum tale fiat, aut tantum humidum, aut assetur, aut elixetur, aut putrefiat, aut alio quodam modo calefiat] nam qualitas, & quantitas. Et demũ calor humidi sunt formæ accidẽtariæ, & superuenientes non substantiales rei. Quantitas autem humidi in eo consistit dum fluuidior fit sicut minor est quantitas, cum consistentior redditur. Qualitas verò præsertim consistit in caliditate, vt subiungit Aristoteles. Hic verò noto plurimum distare meam hanc à multorum interpretatione, qui volunt primam concoctionem hic ab Aristotele memoratam esse concoctionem perfectam, & secundam esse imperfectam, contraquam ego expono ex præcedente fundamento, & vero. neque enim simpliciter perfecta est res statim, atque genita, præsertim in viuentibus, sed plantæ, & animalia ab initio imperfecta, & imbecillia, & exigua; tractu postea temporis in iustam mensuram adolescunt, viresq; & demum perfectionem adipiscuntur; pariter, neque sanguis statim atq; factus est in hepate vltimam perfectionis manũ accepit, sed in venis postea perficitur. Confirmat esse concocta ea, quæ designa-

De aliorũ expositione.

designauit ex commune hominum conceptione; quæ enim talia fuerint passim vtilia, & concocta vocamus. Quod verò Aristoteles inter concoctionis species putrefactionem numeret ,dubium magnum excitat,quod seorsum explicabo post integræ rationis expositionem.

Aristoteles. [Sicut mustum, & quæ in tuberculis constant, cum fa-
„ ctum fuerit pus, & lachryma cum facta fuerit sordes similiter & alia.]

44. *Commentarium.* Hæc exempla communiter referuntur ad solum secundum membrum concoctionis: ego verò potius ad ambo referenda arbitror, adducorq; à re ipsa. Nam mustum dum in vinum maturauit non mutat speciem, sed solum accidentia meliora suscipit, & gradus temperiei præstantiores, At verò cum pus sit ex sanguine ea est mutatio substantialis, & pariter cum sordes ex lachryma. Non enim eiusdem speciei esse quis credat pus, & sanguinem lachrymarum, & sordem.

Aristoteles. [Accidit autem omnibus hoc pati cum victa fuerit ma-
„ teria, & humiditas. Hæc enim est, quæ terminatur ab ea, quæ in nàtura
„ caliditate: Quandiù enim insit in ipsa ratio, natura hoc est.

45. *Commentarium.* Hic maiorem rationis ponit. Erat maior omnem concoctionem, tum cuius terminus est forma substantialis; tum cuius terminus est esse superadditum, à calore esse. Verum maiorem adducit cum probatione complicatam, sed melius dicam adducit pro maiore prosyllogismũ ad eam concludendam prosyllogismis fultum. Est autem series. omnis concoctio quæcunq; illa sit est cum vincitur humiditas. Est scilicet victoria, qua vincitur humiditas. At humiditas nonnisi à naturali caliditate vincitur, hanc propositionem ommittit, sed probationem eius ponit. Est autem terminatur humiditas à naturali caliditate. Ergo omnis alia victoria, quæ & concoctione est à naturali caliditate. At terminationem demum esse à caliditate quoniam in proportione ipsa terminationis consistit, non scilicet forma, & substantia misti, eo tamen modo, quo supra explicui, estq; summa rationis generatio est à caliditate naturali. At terminatio est generatio (modo olim exposito) ergo terminatio est à caliditate. hic est progressus hoc in loco Aristotelis cuius omnia dicta in vnica ac priore ratione concluduntur. Ad declarationem autem dictorum victam humiditatem intelligit cum ab immodica ea fluuiditate compescitur siccitati commista pro exigentia misti. Maximè autem vincitur, cum terminatur, vt in generatione mistorum perfectorum, ad quam victoriam, ac terminationem non peruenit concoctio humorum in alitione animalis, quod si potis est calor terminare humiditatem multo magis poterit ad minorem eam consistentiam redigere quanta est consistentia concoctorum humorum, qui semper aliquem fluorem retinent. Ex qua expositione constat quomodo ratio ad secundum concoctionis membrum extendatur cum verba Aristotelis ad solum primum se restringere videantur, in interminationem.n.desinunt, & in qua consistat forma substantialis. Ea autem est generatio non perfectio deinceps rei genitæ, quam perfectionem exigit secundum cõcoctionis membrum, præterquam, quod in secundo hoc membro concoctionis esse perfectionem à calore redditur inde notius, quod sentimus in concoctione eiusmodi humorem semper calescere, id quod Arist. vt per se notum sumit hic in illis verbis„ aut alio quodamodo calefiat „ vt cognoscamus à calore ipso perfectionem eam nasci.

Dubitatio.

Dubitatio. Supereſt nunc explicanda dubitatio. Quomodo putrefactionem inter ſpecies concoctionis numeret. Multa dicuntur. At ego in præſentia breuiter ex dogmatibus de putredine antea ſuſceptis profero ſententiam meam, Vidimus ergo in ingreſſu putredinis præſertim humorũ ebullitionem primum quandam fieri ex obaucto calore, qui calor interdum intercipiens partem humiditatis ac materiæ, quæ ſubinde ſeparatur ea generare aliquid poteſt vſque etiam animalia, quæ eſt generatio reſpectu animalis geniti, at reſpectu cadaueris, quod reſoluitur eſt putredo. Pariter in parte ſi reſpiciamus ſanguinem transfuſum eſt putredo. Corrumpitur enim is, & putreſcit, ſi pus ipſum genitum, eſt generatio. Proindeque eſt concoctio ſumpta voce in latitudine etiam analoga in probatione hac ſumi vidimus. At non eſt abſurdum eundem calorem, & vnius generationem, adeoq; concoctionem alterius corruptionem, & putredinem facere. Sed noua forſan obiectio oboritur. Nam pus reſpectu eiuſdem animalis eſſe concoctio videtur reſpectu cuius etiam eſt putredo. Eſt enim pus vtile ipſimet animali ad conualeſcendum. Vt ſignificat Ariſtoteles cum dicit concoctum eſſe, & vtile. Reſpondeo eandem eſſe concoctionem, & putredinem reſpectu eiuſdem totius, ac ſuppoſiti nullum eſſe abſurdum; at reſpectu eiuſdem partis id abſurdum eſſe, vt nunc reſpectu ſanguinis eſt putredo, & reſpectu eius non eſt concoctio. Id enim fieri nequit, dico præterea concoctionem eorum, quæ in animali ſunt aliam eſſe alimenti, & ſiccorum, qui animal conſtituunt, & ſuſtinent: aliam eſſe eorum, quæ ex animali eijcere oportet ad eiuſdem ſalutem: vt excrementorum, & puris & vitiatorum humorum, qui concocti tum dicuntur, cum apti ſunt redditi ad eijciendum. Contrahamus diſtinſtionem dicendo alia concoqui ad retinendum: alia ad eijciendum ergo aliter vocat membra eiuſdem diſtinctionis dicendo aliam concoctionem eſſe in iuuatiuo aliam in nocitiuo, in iuuatiuo ſcilicet quæ id retinendum in nocitiuo, quæ ad eijciendum concoctio ad retinendum non poteſt reſpectu eiuſdem animalis eſſe putredo: at concoctio ad eijciendum poteſt reſpectu eiuſdem animalis, at non reſpectu eiuſdem humoris eſſe putredo. Diſtinctionem hanc ad retinendum, & ad expellendum agnoſcere debemus in Ariſtotele cap. ſeq; in calce ſermonis de maturatione ibi, & hæc quidem in ipſam naturam ducit ſecundum hoc, hęc autem eijcit. Ceſſat ex dictis etiã dubitatio, quæ multos angit de eodẽ Ariſtotelis dicto. Etenim cõcoctio eſt à calore naturali, at putredo eſt corruptio caloris naturalis ex eius definitione; nõ ergo videtur ſimul eſſe per ſe cõcoctio, & putredo reſtat inquam nã caloris naturalis corruptio iã expoſita eſt de corruptione naturalitatis nõ caloris ipſius niſi ſecundũ aliquos gradus in initio tot gradibus ſuperſtitibus aut poſſint illi concoquere, imò & generare interdum aliquid aliud, cuius reſpectu calor is ſuperſtet fit naturalis, vt reſpectu rei putreſcẽtis excidit à naturalitatis gradu. Hic alia naſcitur dubitatio quænã verè ſit materia concoctionis humiditas ne an ambæ qualitates paſſiuæ. Videntur ambæ ex verbis definitionis. Ex oppoſitis paſſiuis, videtur ſola humiditas ex ijs, quę nũc dicit [cũ victa fuerit materia, & humiditas] vbi ſolam humiditaẽ meminit. Erit diſputatio de hoc ipſo interim ſtatuatur; ambas eſſe materiã, & ſubiectum perfectionis, in qua vt in genere conſiſtit cõcoctio. Quod nedũ ex definitionis ſuperioris verbis confirmatur, ſed ea ex mox ſequutura definitione inconcoctionis

ctionis vbi materiam,& subiectũ inconcoctionis statuit opposita passiua in numero plurali non autẽ solam humiditatem. Attamen quoniam primũ in quod agit est humidum: illius .n. partem redundantem circumcidit deinde cum sicco commiscet;& eatenus in siccum agit quatenus ad eiusmodi cõmistionem adducit ad eam attenuationẽ auocando, quæ apta sit cõmistioni intentatæ hinc nascitur modus conciliandi modos ambos dicendi,& humiditatem esse subiectum concoctionis scilicet primã ambas passiuas esse subiectum, scilicet adæquatum definitione etiam elicitur intelligentia assertionis concocta crassiora fieri de qua assertione supra, & inf.q. de hoc.

Aristoteles. Quapropter & sanitatis signa, quæ talia,& vrinæ, & egestiones, & omninò superfluitates, & dicuntur concocta esse, quia indicent caliditatem propriam dominari humido.

46. *Commentarium*. Hæc est alia ratio, estq; à posteriori in confirmationem eiusdem assertionis; esse perfectionem memoratam, demumq; concoctionem à calore. Ducitur ratio ab excrementis, & ab exeuntibus à corpore; quæ pro signis sanitatis obseruantur, & inspiciuntur, nempe dicuntur eiusmodi excrementa tum sanitatis signa, tum concocta esse cum indicant caliditatem naturalem, & propriam humido dominari. Erit itaq; ratio. Quod significatur à signis concoctionis,& sanitatis in eo consistit concoctio. At dominari calorem proprium,& naturalem humiditati significatur à signis concoctionis, ac sanitatis ergo in hoc, quod est dominari calorẽ propriũ,& naturalem humido consistit concoctio. Minorem sumit ab expositione, & inductione maiorem pariter, vt ex terminis fermè notam supponit imò nobis eliciendam dimittit. Hæc pro explicatione rationum Aristotelis ad confirmandam secundam definitionis particulam, esse scilicet à naturali, & proprio calore. Redditur verò ab expositione nostra ordinata series, & contextus literæ, quæ aliter inordinata, & diuulsa iudicaretur. Restat hic dubitationem aliquam excutere, quæ ex litera oritur. Est autem quoniam per me Aristoteles hæc definitio est vniuocè tantum concoctionis in viuente cum ad retinendum, non ad eijciendum sit, ac probatio per me quoq; extenditur ad concoctionem in analogica latitudine, vt ad concoctionẽ panis sordium, musti &c. non videtur verò latior esse debere ratio conclusione, ad quam probandum adducitur: pariter concoctio, quæ in generatione ipsa est, cumq; ea re nisi ratione confunditur non est vniuocè concoctio. Non debebat ergo adduci, & quod auget dubitationem, debebat saltem aliquam perfectam concoctionem in argumentum adducere, & nullam adducit. Respondeo solam demonstrationem propter quid eamq; exquisitam oportere esse conuertibilem, ac demonstrationem in vniuersum non necessario esse conuertibilem. Sed posse communiorem aliquam esse conclusionem vt si demonstretur hominẽ respirare quoniam habet pulmonem, cum ergo in afferendis partibus definitionis locum nõ habeat demonstratio propter quid ideo nihil absurdum est, si ratio sit vniuersalior conclusione. Est itaq; probatio de concoctione extensione analogica, quæ est cõcoctione vniuoca accõmodata ad cõfirmandam præsentem definitionem. At ad sequentem difficultatem, quod nulla fiat mentio concoctionis vniuocæ in probatione, negandum est non fieri in illis enim verbis, ipsa quoq; continetur, aut assetur, aut elixetur, aut putrefiat, aut alio quodammodo calefiat saltem in hoc vltimo [aut alio quodammo-

dammodo calefiat]continetur etiam vniuoca concoctio.

Arist. Necesse autē est quæ cōcoquuntur crassiora, & calidora esse. Calidū .n. efficit tale melioris molis, & crassius, & siccius. Concoctio igitur hoc est.

Commentarium. Pertinent hæc verba ad integram declarationem, & confirmationem definitionis non vt sint merum corollarium superioribus deductum. Præcessisse verò hæc ad integrandam definitionis declarationē demonstrant postrema verba [concoctio igitur hoc est] quas demonstrant Tum demum constare concoctionem esse id ipsum, quod continet tradita definitio. Repetendum est igitur tres esse particulas definitionis antea distinctas quarum tertia est ex oppositis passiuis. Huius particulæ aliqua declaratio, & confirmatio offulsit ex secunda probatione, dum sumpsit concoctionem esse cum humiditas à caliditate victa fuerit. Et repetit in secunda ratione cōcoctionem esse cum caliditas propria dominatur humido at nulla huiusq; mentio siccitatis. Possumus enim intelligere dominatum caloris humidnm esse, dum calor humorem calefacit, vt totam rem ergo plenius explicaret præsentia hæc verba subijcit in quibus constitutionem patibilium qualitatum inconcoctione plenius tradit. Estq: summa ita vinci à calore humiditatem, vt res crassior, & siccior efficiatur. Fieri enim quæ concoquuntur, calidiora patet ex proximis: at hinc fieri crassiora, & sicciora probat quoniam calor reddit res concoctionis molis adeoq; crassiores. Quoniam verò complicata, & cū conclusione ratio fecer nenda est meo iudicio hunc in modum, quem etiam sequitur Vicomercatus. Calor sicciora reddit mista educendo scilicet humidum, eiusue partem aliquam itaq; mistum siccius redditur adeoq; crassius. Perfectio itaque demum ex oppositis passiuis erit educendo aliquam humidi partem vt siccius, & crassius euadat mistum, calidiusq; pariter reddatur. De huius dicti [concocta crassiora redduntur] veritate explicui sententiam meam in digressione supra de concoctione ad part. 40. & latius difficultates dissoluam in annot. in disputationibus de hoc. 47.

Aristot. [Inconcoctio autem imperfectio est propter indigentiam pro-
» priæ caliditatis: Indigentia autem caliditatis frigiditas est, imperfectio au-
» tem est oppositorum passiuorum, quæ quidem est vnicuiq; naturam ma-
» teria. Concoctio igitur, & inconcoctio determinatæ sint hoc modo.]

Commentarium. Qua ratione alibi ex alterius contrarij definitione alterius definitionem deduci, & ex recto cognosci obliquum docuit Aristoteles eadem nunc ex concoctionis definitione inconcoctionis definitionem deriuat. Erat genus concoctionis perfectio inconcoctionis genus deducit esse imperfectionem. Causa erat concoctionis naturalis & propria caliditas inconcoctionis ergo causa est indigentia caliditatis, priuatiuè scilicet oppositi cuiusmodi oppositum est concoctioni inconcoctio erit priuatiuè opposita causa quomodo opponitur caliditati indigentia eius: Dicit verò eiusmodi indigentiam esse frigiditatem esse. In materia verè non est oppositio, sed eadem est materia nam contraria circa idem subiectum versantur, & in eodem subiecto communicant Secus in se inuicem non agerent. Priuatiuè pariter opposita circa idem subiectum voluntantur cum priuatio sit negatio formæ in subiecto apto recipere suapte natura. Sunt sanè eæ passiuæ qualitates, quæ perficiuntur à calore, quæ omnes imperfectionem à frigore suscipiunt scilicet ab indigentia caloris. 48.

De significatione inconcoctionis In lib. de diff. symp.

Hic verò satius aliquanto est inconcoctionis significatio explicanda. Inconcoctio enim græcè vocatur Ἀπεψία illiq; subijcit ad quod apponitur conoctioni. At Galenus tres in gradus distinguit oppositum concoctionis quorum primum ἀπεψίαν vocat, secundum δυσπεψίαν tertium βραδυπεψίαν primus gradus est omnimoda priuatio concoctionis secundus est mutatio alimenti deprauata. Tertius est debilis eiusdem alteratio. Ἀπεψία ergo significat Aristoteli omnes tres gradus Galeni. At Galeno primum tantummodo. Verum illud adhuc considerandum in concoctione duplicem habere posse significatum priuatiuum, & contradictorium, & contradictorium duplicem adhuc esse alium simpliciter talem cum scilicet res nullam habet aptitudinem, vt concoquatur alium secundum quid cum res secundum se quidem est capax concoctionis at eo respectu non est. Exempli gratia lac nondum sumptum ab animali est per se quidem concoctum at in ordine ad alimentum animalis contradictione se habet ad concoctionem quousque non sumitur, in cibum, nunc ergo priuatiuo in significatu capitur. Priuatio verò solum verè est in subiecto apto, & quando, at quo tempore aptum est ex Aristotele in prædicamentis, vnde cum cōcoctio quæq; tempore fiat non potest etiam in sano, & valido homine, statim atq; sumptus est cibus liquari, neque factus chylus potest etiam eodem momento perfici, idemq; de sanguine & cæteris, sed tanto solum post tempore quanto vis valida eget ad concoquendum. Verè ergo inconcoctio est, cum res concoctilis in debito loco posita, & ibi per debitum tempus morata non est concocta. Cum verò in valido homine nondum expleto tempore requisiio non est concocta, tum neque pure contradictoriè se habet, neq; verè priuatiuè, sed quadam participatione inter vtramq; locatur, vt secundum Aristotelem diuersi gradus rerum ancipiti quodam limite intersarpiuntur. Aristoteles ergo priuationem concoctionis hoc modo acceptam inconcoctionem græceq; ἀπεψίαν vocat. At dubitatio exoritur vtrum tres galeni gradus sub hac Aristotelis inconcoctione contineantur, & ratio dubitandi est quoniam Δυσπεψία hoc est praua concoctio etiam continet supra concoctionem cum sanguis pro concocto adductus eu asserit. Et chylus ab immodico calore in nidores transierit. Fatetur id Galenus lib. 3. de sympt. cau. cap. 1. prauas concoctiones, quæ nidorotæ sunt ex calidioribus, & biliosis fieri. At vero inconcoctio hic Aristotelica à sola frigiditate fit, seu indigentia caloris. Proindeq; in numerandis speciebus inconcoctionis nunquam meminit supra coctionis vt deinde videbimus. Respondeo itaq; secundum plures deprauatam concoctionem, quæ ab excessu caliditatis procedit non includi sub inconcoctione Aristotelica, sed ad adustionem potius reduci, quam supra secreuit à naturali corruptione, & nunc in his mutationinibus non includit, quam demum nectat postremo declarandam quid significet indigentia hic caliditatis, vt etiam constet, qua ratione sit verum frigiditatem esse indigentiam caliditatis, etiam constent qua ratione sit verum frigiditatem esse indigentiam caliditatis quasi frigiditas sit priuatiua, & non positiua qualitas contraquam importent superiora dogmata de quatuor qualitatibus elementa constituentibus, & inter has de duabus actiuis caliditate, & frigiditate, neque priuatiua qualitas potest positiuum corpus constituere, neque esse agens

Cap. de oppositis.

Lib. 4. de i animal.

Sententiã quisque su scepi infra q. 40.

agens. Breuiter igitur dico indigentiam caliditatis non esse accipiendam pro integra priuatione caliditatis, quæ in viuentibus non habet locum, neque etiam in mistis: sed pro diminuta caliditate, infraq; gradum viuenti, vel misto dato congruentem. Frigiditas itaq; etiam hic accipitur ab Aristotele non pro absoluta frigiditate, sed pro frigiditate respectu misti viuentisue dati. Cum scilicet minor sit caliditatis, quam oporteret, & congrueret. Eiusmodi frigiditas est sanè deficientia caloris, ac diminutio eius infra gradum opportunum, non loquitur autem de frigiditate absoluta, quasi ea sit sola caloris priuatio, vt interpretatus est, ac sentit Zabarella quorum erit suo loco disputatio.

CAPVT QVINTVM.

De Maturatione & cruditate.

Egit Aristoteles de concoctione, & inconcoctione in vniuersum nunc ad singulas species explicandas descendit tum concoctionis, tum inconcoctionis oppositas. Primo vero de maturatione, & opposita cruditate agit, quarum etiam primo loco meminit in capite precedente in enumeratione specierum, & certè nulla in er naturales concoctiones æquè nota species. Nimirum ambiguum est vtrum detur naturalis elixatio, & naturalis assatio, & dari naturalem maturationem omnibus est conspicuum etiam in confesso. Quatuor autem de maturatione tradit primo definitionem ipsius iu præcipua significatione acceptæ; secundo considerationem concoctionis minus propriè dictarum. Tertio quomodo fiat maturatio. Quarto species eius summas. Secunda pars ibi, [Dicuntur autem, & concoctorum.] Tertia ibi. Ex spirituosis quidem [quarta ibi] & hoc quidem in ipsam naturam] Singula nunc explicemus.

Aristoteles. Maturatio autem est concoctio quæ 'am. Concoctio enim alimenti in his περικαρπίοις quæ circa fructum maturatio dicitur. Quoniam autem concoctio perfectio quædam est, nunc maturatio perfecta est, quando semina, quæ περικαρπι ineo, quod circa fructum possunt efficere tale alterum, quale ipsum, etenim in alijs perfectum sic dicimus Eius igitur, quod circa fructum hæc maturatio.

Commentarium. Definitionem maturationis adornat hic, & affert, atq; probat Aristoteles progressus hic est. Est prima assertio. Maturatio græce πέπανσις est concoctio quædam: probat verò quoniam maturatio dicitur concoctio alimenti in ijs, quæ circa fructum pro cuius rationis explicatione notandum est totum illud [eo quocirca fructum] esse vnicam vocem græcè scilicet περικαρπίοις, & pluraliter περικαρπια græcè verò fructus dicitur corpos καρπος vt περικαρπιον pericarpium significet id, quod circa fructu a Aristotelis itaq; est fructus semen ipsum quod scilicet in pomo, & malo conditur, pulpa vero, in qua semina conduntur dicitur pericarpium vt ex hoc loco satis patet, & ex secundo de anima tex. 6. de ortu animal. docet succum, & semen idem esse solum autem differre ratione: est enim fructus, quam ex alio generatur est semen, quà ex ipso generatur aliud. Hic est ergo vocis significatus penes Aristotelem, vt fructus significet semen pericarpium significet pulpam, idq; quod est comestibile; non autem corticem, vt malè exponit Olimpiodorus vt mirandus sit lapsus is in græco interprete. Est ergo sensus Aristotelis maturationem dici concoctionem 49.

nem alimenti, quod est in pulpa fructus, & in eo demum corpore, quod complectitur semen, seu semina. Cuiusmodi corpus in varijs fructibus varium est. In piris enim & malis est pulpa in malis aureis succus, vt etiam in vua, in citris, & limonibus succus ambit semina, & pulpa post succum, quoniam verò hæc secunda propositio in prioris probationem adducitur, interpretatur Alexander probari. maturationem esse concoctionem, vt ratio sit. Omnis concoctio alimenti in pericarpio est concoctio. Maturatio est concoctio alimenti in pericarpio. Ergo maturatio est concoctio. Verum non possum ego probare huiusmodi argumentandi genus esset siquidem principij expositio cum actu contineatur maior extremitas in medio termino, est enim hæc ea petitio, quam dicit Arist. cum inest alterum alteri, non debemus autem intelligere continentiam potentialem, qua sub genus continet species, sed actualem, vt ibidem ego declaraui. Et certè qui non credat maturationem esse concoctionem, non etiam dimittet esse concoctionem alimenti in pericarpio. Expono ego itaq; probari hic ab Arist. non quidem maturationem esse concoctionem, sed esse concoctionis speciem, non autem conuenire nomen hoc maturarationis vniuerso generi concoctionis. Id ergo probat quoniam nomen maturationis restringitur ad concoctionem fructuum, non autem extenditur ad omnem concoctionem. Quocirca Aristoteles etiam non dicit maturationem esse concoctionem alimenti in pericarpio sed dici. „ Maturatio inquit dicitur. „ Hucusq; verò habemus definitionem essentialem maturationis. Concoctio alimenti in eo, quod circa fructum siue in pericarpio, vt est græca vox. At definitio hæc est, huiusq; satis leuis hoc est leuem cognitionem tradit instar fermè definitionum, quas dialectico tribuit Aristoteles tex. 16. 1. de anima. Vnde causalem subijcit à fine nempe desumptam. Concoctio ergo alimenti perfectio scilicet in temperie dirigitur ad perfectionem seminis, seminumue contentorum in pericarpio quæ perfectio est, cum semen, seminaue apta sunt facere tale alterum, quale ipsum. Dirigitur enim perfectio pericarpij ipsius ad eiusmodi seminis, seminumue perfectionem. Probat autem perfectionem seminum in eo consistere, quòd possit facere tale alterum: quale ipsum. Quoniam in alijs etiam illud perfectum dicimus, quod potest tale alterum facere, quale ipsum. Innuit verò hic Aristoteles, quod dicit 2. de anima tex. 34. Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus quæcunq; perfecta, & non mutilatata sunt, aut generationem spontaneam non habent facere aliud, quale ipsum, anima quidem animal, plantam autem plantam, &c. ex quo loco hunc explicantes intelligimus ad viuentia restringendam hanc propositionem perfectum est, quod tale alterum facere potest quale ipsum. Erit secundum hanc expositionem meam integra definitio ex essentiali, & causali. Maturatio est concoctio alimenti in eo, quod circa fructum [grecè in pericarpio] ex quo inclusum semen potest facere tale alterum, quale ipsum. Erit hæc postrema definitio causalis in genere finis, nam in genere efficientis est effectus non causa. Id nunc subiungo si latinam significationem sequamur, id quod pericarpium vocat Aristoteles fructum propriè dici, proq; eo, quod fructum vocat Aristoteles semen appellari, expeditior ita erit definitio maturationis dicendo esse concoctionem alimenti in fructibus, ex qua semen inclusam potest facere tale alterum, quale ipsum.

2. prior. analyt. cap. 21.

le ipſum. At hic ſurgit dubitatio. Non enim in omni fructu pulpa, & id quod alimento eſt coctum dat ſemen. Sed in aliquibus fructibus pulpa ipſa eſt ſemen, vt in amigdala in nucibus, item in frumentis, leguminibus, milliaceis &c. Reſpondeo, quando in pulpa ipſa eſt ſemen in ea tamen eſſe tum alimentum, tum virtutem ſeminalem diſtincta licet non ſenſu conſpicua ſit diſtinctio veluti cum ſemen à pulpa mole ipſa, & ſtructura ſeiungitur, vt in ijs fructibus contingit, quos Ariſtoteles in definiendo reſpexit ea ſcilicet ratione, quoniam diſtinctio ibi eſt notior ſequutus faciliorem doctrinæ Methodum. Habere verò omnia ſemina alimentum, & cum ſeminalem, vt pariter diſtinctas licet non ſede, ſemper. Declarat, & confirmat Theophraſtus lib. 1 de cauſ. plant. cap. 7. verba ſunt. „ Semina „ omnia aliquid in ſe alimenti continent, quod vna cum generandi principio „ natura profundit, ſicut in ouis „ Hæc Theophraſtus, qui dictum ſuum probare deinceps ſequitur. In amigdala ergo, & nuce debemus diſtinctum conſpicere intra pulpam in vim ſeminalem: pulpa autem circumdans, eſt pericarpium. *Dubitatio.* *Solutio.*

Ariſtoteles. [Dicuntur autem & concoctorum alia multa matura ſecundum eandem quidem formam, mens latione autem propterea, quod non ſunt poſita, ſicut dictum eſt prius nomina ſecundum vnam quamque perfectionem circa ea, quæ terminantur à naturali caliditate, & frigiditate. Eſt autem tuberculorum, & pituitæ, & talium mutatio à naturali cal do inexiſtentis humidi concoctio impoſſibile enim eſt terminare non dominans.]

Commentarium. Quæ propriè matura dicuntur, definiuit nunc quæ impropriè declarat, ſunt autem quæ nomen extenditur ſecundum metaphoram, ſiue translationem, dicit verò extendi ſecundum eandem formam græcè Ideam, ſed translatione, quibus in verbis idea, & ſpecies non ſignificat verè ſpeciem, ac eſſentialem formam; nam ſpecies conueni propriè, & vniuocè illis, quæ ſubijciuntur non metaphoricè. Significat ergo ſimilitudinem, & extrinſecam quandam formam quomodo forma etiam nomen tribuitur quartæ ſpeciei qualitatis, & alibi prima ſpecies digna eſt imperio. Hoc ipſum expreſſit cum dixit eiuſmodi maturationes, quas metaphoricas appellat Ariſtoteles fieri ſecundum perſimilem ſpeciem: ſimilitudinem ergo ſpeciei non identitatem, interpretatio eſt. Cur verò opus fuerit eiuſmodi metaphorica extenſione vocis cauſam affert, quoniam non ſunt ſingulis perfectionibus miſtorum terminatorum, & præſertim viuentium poſita nomina, vnde ob egeſtatem ſcilicet nominum transferre neceſſe eſt à ſimmilibus rebus quam etiam cauſam attulit Ariſtoteles cap. 1. 1 ſophiſt. elench. cur eodem nomine res diuerſas ſignificemus ex quo præſertim fallaciæ originem ſumunt. Sed dubitatio circa literam ſuboritur, cur ſcilicet immiſceat, nunc in concoctione Ariſtoteles frigiditatis mentionem ſi à calore, & non à frigore procedere concoctionem omnem iam docuit, ac definiuit. Reſpondet Alexander omnem ſanè concoctionem à calore eſſe: nullam à frigore tanquam ſcilicet à cauſa efficiente. At frigiditatem in concoctione concurrere vna cum humiditate tanquam materiam. Verum non video ego quomodo Ariſtoteles qui caliditatem, & frigiditatem cauſas actiuas nunquam paſſiuas aſſeruit operationum in hoc libro memoratarum, ac memorandarum nunc tri- 50 *Cap. de qual. præd.* *Cap. de ſpecie prædicab.*

buamus voluisse in concoctione esse frigiditatem passiuam. Præterea hic vt terminationis causas meminit frigiditatem, at in terminatione agere frigiditatem non pati certè antea Aristoteles docuit. Ego igitur sequor expositionem iam indicatam nimirum hic ab Aristotele significari ijs verbis (circa ea, quæ terminantur à naturali caliditate, & frigiditate) mista perfecta, quę verè terminantur, nam concoctio exquisita fit in viuentibus, vt diximus, quæ sunt terminata verè corpora. Et licet concoctio propria sit etiam humorum in viuentibus, & animalibus, qui non sunt terminati, tamen sunt illi in corpore terminato, & ad illud diriguntur. Et hic Aristoteles dicit circa ea, quæ terminantur, vt indicet concoctionem exquisitè esse intra corpora terminata, non autem semper præcisè esse corporis terminati.

[*Est autem tuberculorum, & pituitæ.*]

Adducit nunc quæ metaphoricè maturantur, vt expositione eiusmodi illustraretur distinctionem suam reddat. Sunt ergo tuberculi, & pituita, & id genus altero tuberculi maturantur pure confecto; pituita cuius hic meminit Aristoteles, eiusq; concoctio, & maturatio est in ordine ad expulsionem, cum scilicet Nheuma tam consistentiam adeptum sit, vnde sit excretioni aptius. Eiusmodi verò maturationes singulas esse à calore naturali dicit, vt nempe à causa efficiente, & esse humidi, vt scilicet materiæ, vt hinc etiam constet frigidum non esse materiam concoctionis vt dicit Alexander, sed humidum. Hinc etiam apparet quæ sit similitudo secundum formam, ideamue, quàm hic tribuit Aristoteles metaphoricis his concoctionibus. Sunt ipsæ quoq; à calore naturali, suntq; circa eandem materiam humiditatem, at in formali, & essentiali perfectione dissentiunt. Vniuoca enim concoctio est perfectio ad retinendum, ac metaphorica est præsertim ad eijciendum.

[*Impossibile enim est terminare non dominans.*]

His Aristoteles verbis confirmat, has quoq; concoctiones methaphoricas esse a calore, quoniam calor in ipsis præualet. Præualet autem quoniam secus non posset terminare humorem, vt terminat. Cum consistentiorem reddat, quod apparet in pure, & in pituita concoctis. At difficultas oboritur non est ea terminatio, sed incrassatio. Respondeo cum ad eam consistentiam humor deuenerit, vt retineat ipsemet suam figuram esse eam terminationem ex superioribus etiamsi non adsit inducatio; pus verò prorsus concoctum: pituita pariter, & nheuma ad eam consistentiam deuenit, vt figuram plus minus retineat. Repetendum verò est ex superioribus tum dura, tum mollia esse terminata, solum verò humida, seu fluida interminata esse, vnde quę ex incrassatione mollia redduntur. ipsa quoq; terminantur. Hæc pro explicatione literæ placet verò subiungere. metaphoricam concoctionem ab Aristotele esse ad ventum ecnephiam extensam scilicet ad procellam hanc enim vocat ventum concoctum sicut Typhonem, Turbinemue, ventum inconcoctum.

Lib. 3. cap. 3. metheorolog.

Aristoteles. [Ex spirituosis igitur aquosa. Ex talibus autem terrestria » consistunt, & ex tenuibus semper crassiora fiunt, quæ maturantur.]

51 *Commentarium.* Hoc est tertium eorum, quæ de maturatione tradit Aristoteles iuxta diuisionem nostram ad initium huius capitis. Quomodo fiat maturatio. Fit autem quod quæ spirituosa, halituosaue sunt si maturentur aqueam naturam acquirunt, & quæ sunt aquea si maturentur terrestria

restria redduntur. Demum concludit hac vniuersali conclusione, quæ maturantur crassiora omnia fieri. Ad huius verò loci explicationem notandum est non omnia halituosa, & spirituosa vlteriore agere concoctione, eaq; fieri aquea. Sed omnia quæcunq; ex illis maturantur aquosa fieri. Sunt inquam aliqua spirituosa, quæ satis per se perfecta vlteriore perfectione non egent vt spiritus animales, vitalesq; qui idcirco neq; aquei reduntur, sed spirituosi persistant, at quæ spirituosa sunt, dum adhuc cruda sunt, & idcirco concoctione egent, ea ex spirituosis aquea euadunt sunt pariter aliqua, quæ vlteriore concoctione non egent. sed perfectionem suam in aqueo fluore persistentia obtinent. Cuiusmodi vrina, quæ in concoctionis suę summo gradu aquea adhuc perseuerat, & fluida nequacquam verò terrestrem consistentiam acquirit. Vnde ad tribuendum sensum in vniuersum dicto Aristotelis, verum debet exponi de eo, cui tribuitur in definitione, maturatio scilicet de alimento in pericarpio est id ab initio spirituosum vnde si acerbum ab initio pomum contundatur, nihil exprimetur, nisi spirassent quæppiam spuma. At dum minus iam acerbum; exprimetur succus aqueis demum ex maturo musteus succus, & consistentiam nactus musteam elicietur, ac fieri crassiora extenuibus, quæ maturescunt, hoc latius extenditur etiam ad metaphoricas maturationes. Vrina enim ipsa concocta crassior præcruda fit.

Aristoteles. [Et hoc quidem natura ducit secundum hoc: hæc autem ,, eijcit: Maturatio igitur dictum est, quid est.]

Commentarium. Hoc est quartum eorum, quæ dicit Aristoteles diuidit nempe maturationem in duas summas species, vel dicamus in duo summa membra in concoctionem, quæ in naturam est. Et in concoctionem, quæ ad eijciendum fit Cum alimentum concoquitur veluti chylus, & sanguis, hæc ad materiam fouendam; ad substantiam instaurandam concoquuntur. At fæces, & pus, & rheuma ad eijciendum ex corpore maturantur. Est hæc ea distinctio quam antea vsurpaui ego; concoctio ad retinendum. Ab Hugone verò exprimitur, & à nonnullis alijs eum sequutis. Concoctio in iuuatiuo, & concoctio in nocitiuo, cuius quoq; supra memini, vt agnoscamus eam nunc puram, puramq; in Aristoteles reperiri, esseq; peripateticam, & antiquam, non barbaram aut nouitiam sententiam, & distinctionem. 52.

Aristoteles. [Cruditas autem est contrarium. Contrarium autem ,, maturationi incococtio alimenti in eo, quod circa fructum. Hoc autem est ,, interminata humiditas: quapropter aut spirituosa, aut aquosa, aut eorum, ,, quæ ex ambobus est cruditas.] τω περι-καρπίω

Commentarium. Maturatione ad cruditatem oppositam illi inconcoctionem transit. Græcè hæc vocatur ὠμότης Ex ijs, quæ de maturatione dixit, nam totam cruditatis eruit, vel loco à contrario, vel potius ex eo fundamento, quod contrariorum eadem est ratio; deducit inquam & subiectum cruditatis, & genus, & causam, quibus declaratis subiungit æquiuocam, & multiplicem significationem cruditatis, non secus, ac multiplex erat significatio maturationis. Primo ergo loco subiectum cruditatis exponit quodnam scilicet sit, id cuius cruditas est inconcoctio. Et esse infert alimentum id ipsum, quod est in principio. Ratio verò; quoniam cruditas est contrarium maturationis, at maturatio erat ipsa quoq; 53. 1. met. c. 3.

alimenti

Ex præd. cap. primo fit finem.

alimenti eiusdē, quod in pericarpio nititur illatio fundamento, ac maximæ contraria circa idem subiectum versatur quodnam verò sit, & quale hoc alimentum, quod cruditati, & dum cruditati subijcitur ad exquisitiorem doctrinam declarat sequentibus verbis. [Hoc autem est interminata humiditas] pronomen hoc, refertur ad alimentum in græca etiam litera pronomen idem ἄυτη refertur ad τροφὴν quæ vox alimentum significat, estq; vna cum pronomine ἄυτη generis fœminini, vt apud latinos vtraq; vox est generis neutri interminata humiditas græcè ἀόριστος opponitur terminatæ quæ græcè ὁριστὸς dicitur. Quomodo verò sit terminata humiditas rei naturæ factæ supra satis declaraui part. 50. indeq; etiam constat cur sit cruda humiditas interminata, & indidem etiam patet quomodo sequatur quod subiungit Aristoteles [esse ergo eiusmodi humiditatem, aut spirituosam, aut aquosam, at ex vtraq; natura compositam] nam fluida sunt, quæ figuram nusquam retinent. fluida verò sunt aut aerea spirituosa vt sit ea, quæ reliqua terream mistionem subeuntia cum mollitiem nanciscantur iam terminata sunt, Compositio verò ex aquea, & spirituosa natura constat in pomis crudis, quæ flatulenta sunt, & cum humiditate sua halitum continent adeoq; dum ad ignem coquuntur plurimum flatus effundunt.

Aristoteles. [Quoniam autem maturatio perfectio quædam est, cruditas imperfectio erit.]

54 *Commentarium.* Ad generis nunc inuestigationem transit, reperitq; esse imperfectionem: ratio vero est; quoniam maturatio est perfectio: ergo cruditas imperfectio. Quod genus argumentandi magnæ est dubitationi obnoxium non enim necesse est contraria sub contrarijs generibus esse cum videamus tum virtutem tum vitium in habitu vt in genere reponi, & nigredinem, & albedinem in calore, calorem, & frigiditatem in qualitate actiua, vt in genere proximo humiditatem, & siccitatem in passiua qualitate itidem, vt in proximo genere, præterea est definitio contrariorum quam memorat Aristoteles contraria esse, quæ maxime distant sub eodē genere demumq; id ipse statuit ibidem contraria in eodem genere esse. Quod si amplectamur eiusdem Aristotelis doctrinam in postprædic. cap. de oppositis, contraria tripertito distinguuntur alia enim sunt in eod. genere, vt albedo, & nigredo in genere coloris: alia in contrarijs generibus, vt iustitia, & iniustitia illa in virtute: hæc in vitio. alia sunt contraria genera vt bonum, & malum, ex hac, itaq; doctrina solum de 2. genere contrariorum vera est maxima cui immititur ratio Aristotelis saltem vero de primo genere falsa est quid ergo dicendum? An respondere oportet procedere argumentum dum in cæteris rebus non est contrarietas, esse in genere: necesse enim est aliquam contrarietatem inter definitiones contrariorum intercedere; aliquando est contrarietas differentiarum, vt albedo disgregatiua: nigredo congregatiua visus; cum vero differentia non sunt contrariæ, quod accidit dum sola differentia ex additamento intercedit, tum oportet genera esse contraria notādum etiam cum genera contraria sunt restringi contrarietatem ad genera proxima genus autem remotum esse idem. Ita nunc maturatio, & cruditas sint in eodem genere remoto, quod est mutatio. At in contrarijs proximis generibus perfectionis imperfectione per quam distinctionem generis remoti, & proximi conciliantur loca Aristo-

Decimo metaphys. sum. 2. c. 2.

Aristotelis specie contraria. Omnia nempe contraria esse in eodem genere, & aliqua contraria esse in generibus contrarijs.

Aristoteles. [Fit autem imperfectio propter indigentiam naturalis calidi, & in commensurationem ad humidum, quod maturatur. Nullum autem humidum ipsum secundum se maturatur sine sicco: Aqua enim non incrassatur sola humidorum; accidit autem eo, quòd calidum sit paucum, aut quia, quod terminatur humidum multum. Quapropter & tenues humores eorum, quæ cruda sunt, & frigidi magis. quam calidi, & nequaquam, & si biles, ac possibiles.

Commentarium. Inuestigat nunc Aristoteles causam cruditatis, colligitq; esse indigentiam naturalis calidi, quam indigentiam quoad cruditatis originem duplici ex causa proficisci declarat. Cum enim oporteat caliditatem naturalem dominari humiditati ad concoctionem duas rationes calor impar esse potest vincendæ humiditati, vel quod ipse sit exiguus: vel quòd etiam si multus vincatur, tamen à copia nimia humiditatis, adeo vt non possit eam terminare, & vincere, atq; ita nascitur cruditas. Totum hoc exprimit in litera, ac particula hac Aristoteles vbi cum prius dicat imperfectionem hanc, quæ est cruditas fieri propter indigentiam naturalis calidi se statim declarat subiunctis verbis, & incommensurationem ad humidum, quod maturatur. Est verò calor humido incommensuratus cum scilicet non potest ipsum vincere, ac terminare. Primo verò loco notat humiditatem omnem puram, & ab omni siccitate secretam esse incommensuratam calori nullam enim huiusmodi humiditatem maturari. Humiditas verò cum aliqua siccitate commista, vel ob caloris imbecillitatem, vel ob sui copiam non est obnoxia calori, vt vincatur, & maturetur. Humiditatem autem per se, & ab omni siccitate secretam non maturari confirmat ex eo, quod cum cæteri humores à calore crassescant, & maturentur sola aqua ipsa per se non crassessit, maturaturue. Probat verò cruditatem nasci cum calor fuerit improportionatus humiditati, vel ob huius copiam, vel ob sui exiguitatem ex obseruatione fructuum crudorum. ipsorum enim succi sunt tenues, & frigidi magis, quam calidi, & minimè præterea idonei ad esum, & ad potum tenuitas ergo, & frigiditas indicat humiditatem non esse victam à calore: quidum vincit, & terminationem aliquam facit, & calorem impartitur; nõ esse verò accomodato alimento pendet ex ipsamet concoctione, videmus .n. ex concoctione reddi commestibilia, quæ prius non commestibilia erant immaturis fructibus id frequens pariter & succus omphacij impotabilis, at succus vuæ, quæ maturauerit potabilis est. Hoc postremum dictum non est pars rationis adductæ, sed additio ad ampliorem doctrinam Caetanus Thenensis pro corollarijs interpretatur tria hæc. Nullum humidum maturari absq; succo nasci cruditatem ex eo, quod calor paucus sit, vel ex eo, quod humor multus. Et humores crudorum esse tenues, & frigidos potius, quam calidos & non commestibiles, neq; potabiles, at prior expositio mihi magis probatur. prius enim declarandæ & probandæ primariæ assertiones, quam ex illis corollaria inferantur. 55

Aristoteles. [Dicitur autem, & cruditas sicut & maturatio multis modis. Vnde & vrinæ, & egestiones, & distillationes crudæ dicuntur propter eandem causam, eo enim quod non victa sunt à caliditate, neque consi-

stunt

„ ſtunt cruda omnia appellantur. Longe autem procedentibus, & fictile
„ crudum, & lac crudum, & alia multa dicuntur, ſi cum poſſint transmu-
„ tare, & conſiſtere à caliditate non paſſa ſint.

56. *Commentarium*. Hic primo noto græco codice meo non eſſe vrinam, ſed ſolum verba reſpondentia duobus quæ ſequantur vocibus egeſtiones. & diſtillationes græcè ὑποχωρήσεις & κατάρροι fortè interpres in codice ſuo habuit vocem etiam vrinæ reſpondentem. Quod verò ad ſemen tum pertinet hanc multiplicem ſignificationis cruditatis affert, ſicuti prius attulerit maturationis, Eſſe verò multiplicem ſignificationem vocis cum contrarij quoq; nomen eſt multiplex, & æquiuocum prius declarauit Ariſtoteles primo Topic. cap. 1. loco primo fit hinc, vt cum maturatio ſit vox multiplex. Sit pariter multiplex cruditatis nomen; pro ſignificatis ergo cruditatis à proprietate vocis recedentibus affert primo loco egeſtiones excrementa ſcilicet ſicca, & fluida fœces, & vrinas, quæ tum crudæ, tum concoctæ appellantur prout fuerint: item diſtillationes græcè catharros; ratio verò cur crudæ vocentur eſt dum à caliditate non euincantur, neque conſiſtant. Vocamus enim vrinas crudas cum ſeruos fuerint, & minus coloratę pariter, & fœces incompactæ, ac fluidiores, & ſubalbidæ crudæ dicuntur. Etenim calor eas nondum affecit, & conſtituit proindeq; & debita conſiſtentia, & congruo caloris gradu deſtituuntur. Secundo loco pro remotioribus adhuc ſignificatis adducit fictile, & lac cum cruda vocantur, & id genus alia. Dicuntur verò hæc cruda cum mutari poſſunt à calore, & conſpicatiora reddi, & adhuc non ſunt mutata; fictile nempe efformatum, ſed in forma ſe coctum dicitur crudum. Lac pariter coctum eſt quomodo in pulmento, aut in placenta comeditur. Crudum quomodo æſtiuo tempore in primis menſis ſumitur. Sed dubitationes oriuntur hic ex quarum ſolutione clarior etiam redditur dictorum nunc Ariſtotelis

Dubitatio. intelligentia. Prima dubitatio eſt quomodo cruditas lactis inter impropria adeo ſignificata numeretur. Cum enim magis propria ſit maturatio lactis quam excrementorum quod hæc ad expellendum illud ad nutriendum concoquantur. Si ergo propriè conuenit maturatio ergo propriè etiam conuenit cruditas. Contrariorum enim eadem ratio, ſeu contraria circa idem ſubiectum nata ſunt verſari cum neutrum contrariorum eſt ſubiecto

Solutio. natura determinatum. Soluit rectè Alexander Aphrodiſienſis. Lac nunc ſumi extra corpus animalis, non intra. nam dum adhuc conſiſtit in animali lac; ibi verè, & propriè maturatur, ſed dubitatio altera ſuccedit, quæ

Secunda dubitatio. etiam militat contra reſponſionem nunc aſſignatam primas dubitationi, eſt verò cur fictile cur lac etiam extra corpus ſumptum: maiore improprietate cruda appellantur quàm egeſtiones, & diſtillationes. reſpondeo id fieri quoniam fictila, & lac extra corpus coquuntur à caliditate externa non à naturali ſui ipſius ſuppoſiti, vt egeſtiones, & diſtillationes concoquuntur à caliditate naturali animalis eius ipſius, in quo reperiuntur, & conficiuntur. non tamen ſecundum Ariſtotelem omnia hæc, quæ à calore ancocta remanent; ſed quæ, ab eo poſſunt traſmutari, & conſiſtentiam ſuſcipere, nec ſuſcipiunt, hoc ſubijcit Ariſtoteles ob aquam, quæ à calore cogi non poteſt, nec conſiſtentiam accipere, vt mox ſubiungit.

Ariſt. Quapropter aqua elixata dicitur cruda autẽ nõ, quia nõ incraſſatur Maturatio igitur, & cruditas dictũ eſt quid, & propter quid vtrũq; ipſorum.

Commen-

Comment. Dicit verò aquas non conuenire cruditatem, neq; eo ipsam nomine appellari, quoniam scilicet neq; maturationis est compos sed elixationis. Non est autem maturationis compos, quoniam incrassatur à calore ie- 57.
rit itaq; ratio si resoluatur. Omne capax maturationis potest à calore incrassari. Aqua non potest à calore incrassari, ergo aqua nō est capax maturationis. Aduersus hūc locum dubitationes nascuntur. Prima quidem ex italica nostra lingua, qua passim aquā crudā vocamus, & à cōcocta distinguimus. Secunda quoniam ex litera hac Aristotelis deducitur aquam concoqui, cum tamen non incrassetur à calore. Vnde erit aliquod concoctum, quod non fiet crassius contra superiora dicta Philosophi, vbi asserit de omni concoctione in vniuersum, & non de sola maturatione quicquid concoquitur crassius reddi. De prima dubitatione id est pro solutione repetēdum, quod antea diximus in diuersis linguis non retinere eandem vocem, eandem vbiq; vim, & significationem. Crudum penes latinos significat inconcocti speciem: at penes nos significat quicquid non est coctum, vt latior multo sit nobis, quam latinis cruditatis significatio hanc vocamus aquam crudam, quæ non est cocta artificiali coct one, & ad ignem. Alia etiam ratione dicimus crudam secundum naturam non secundum artem, nam quæ leuior est, & potui nostro accommodatior: concoctam dicimus crudam verò, quæ grauior, & insensior ventriculo aquæ crudæ alicubi gutturosos multos in colas reddunt, vt Perusijs præsertim fœminas. Vocant barbari Medici eiusmodi. Secunda dubitatio ex superiori disputatione mea 37. facile soluitur aqua est elixabilis elixatione scilicet artificialis, quæ est concoctio secundū analogiam, metaphoricaue. At non est maturationi obnoxia quoniam maturatio propriè significat vniu ocam concoctionem, immò illi soli definitionem concoctionis ab Aristotele traditam assignant verum etiam secundum analog cam, & metaphoricam extensionem restringitur ad concoctionem, in qua calor cōsistentiorem rem reddat, vt proximè in particula docet obiectioni Arist. ergo formiter respondendo. Omnia concocta in vniuersum sumpta concoctione crassescunt vera est assertio de vniuoca concoctione non de analogica, vt in notata disputatione monstraui in maturatione autem verum est tum propria, tum metaphorica, in epilogo verò dum à se dictum perhibet quid, & propter quid sit, tum maturatio, tum cruditas indicata se definitiones perfectas, & integras vtriusq; mutationes adductas definitio enim perfecta accidentis definitionem tum causalem tum essentialem includit, quamobrem vtriq; quæstioni satisfacit, & quid, & propter quid definitio cruditatis essentialis hoc ex dictis elicitur imperfectio humiditatis terminationem debitam tum adeptæ causalis defectus caloris naturalis non valentem humiditatem illam vincere. Tota ergo, & integra definitio estI. mperfectio humiditatis in viuente terminationem debitam non adeptæ ob defectum caloris naturalis non valentis vincere illam humiditatem.

Part. qua solūm prima dubit

Abscessū Botium.

CAPVT SEXTVM

De elixatione, & opposita inquinatione.

Aristoteles. [Elixatio autem est secundum totum quidem concoctio à
„ caliditate humida inexistentis interminati in humido. Dicitur autem no-
„ men propriè solum in his, quæ elixantur.]

Commentarium. Explicata maturatione ad elixationem transit, græcè 53.
dicitur

dicitur epsesis ἕψησις quod nomen retinuit antiqua vertio, sed aliqua corruptum. Habet enim qædam Pepsis loco epsesis retinet etiam reliqua nomina græca, sed maiore fide omnis, nam & perepansis loco maturationis, & omotes loco cruditatis pariter epsesis, & molynsis; opsesis, & stateusis loco elixationis, & inquinationis; assationis, ac semiassationis, non enim coction's nomen significat verè stateusim vt alias dixi: repræhendit autem Buccassereus eiusmodi vsum græcarum vocum, cum latinæ sint obuiæ, & iurè repræhendit. Subijcit verò Aristoteles nomen hoc propriè solum de ijs, quæ elixantur, dici propriè. In quo documento ego hæreo, non enim videtur dignum grauitate Aristotelica. Quis enim dubitatio esse potest, quin elixatio solum propriè dicatur de elixationibus? vereor ego ne ex maygonti vbi fuerit ab aliquo scholium affixũ fuerit in literam traductũ. & moueor præterea, quoniam seriem literæ interturbat an refertur ad interminatum in humido, significatq; propriè interminatum dici in elixatione licet à cruditate meminerit. Hæc de nomine iam ad rei explicationem deueniamus. Debent mutationis tradi genus, differentiæ, & causa; differentia verò postrema sumitur à subiecto; subiectum verò aliud est primum, ceu quod aliud adæquatum, ceu quod vtrumque declarat Aristoteles, & in hoc præsertim occupatur primo verò in his verbis ponit id in quo omnis elixatio conuenit. Esse scilicet concoctionem à caliditate humida inexistentis interminati in humido. Concoctio est genus, iam declaratum. Cæteras particulas mox declarabit primo quæ sit humiditas interminata, est hæc, subiectum quo, & primum concoctionis. Deinde quæ sit caliditas humida.

Aristoteles. [Hoc autem vtique erit, sicut dictum est, spirituosum, & „ aquosum.]

59. *Commentarium*. Declarat quodnam sit inexistens interminatum in humido, & dicit esse spirituosum vel acquosum, sicut proximè scilicet dixerat in cap. proximo de maturatione, cum dixit quæ concoquunt r ex spirituosis aquosa fieri, ex aquosis terrestria. Nempe ibi spirituosum, & aquosum dixit, quæ in maturatione concoquuntur, & hic eadem esse dicit, quæ concoquuntur in elixatione. Quinimo videtur hoc commune omni concoctioni ex dictis antea: nam humiditas esse primum concoctionis subiectum vidimus. Eamque concoquendo consistentiorem reddi, vt oportet dum spirituosa fuerit humiditas in aquam concrescere: dum verò fuerit aquosa in maiorem densari consistentiam qualis est terrea: sed dubitatio oboritur; non enim spirituosum concoqui videtur, sed exire, & educi. Hinc enim in elixatione carnis spuma, quæ incipiente ebullitione fit, & diù durat fit illa ex spirituosa substantia elabente scilicet ex carne, quæ cencoquitur cum aqua commista: ita poscit etiam cogit doctrina ipsiusmet Aristotelis in 2. libro de generatione animal. At sat nunc monuisse nunc legentem. Dubitationem postea soluam.

Aristoteles. [Concoctio autem fit ab eo, qui in humido igne. Quæ „ enim in sartaginibus assantur: ab extrinseco enim calido patiuntur: in „ quo autem sunt humido; faciunt illud magis siccum in se ipsa reassumen- „ te. Quod autem elixatur contrarium facit: excernitur enim ex ipso hu- „ midum à caliditate, quæ est in extrinseco humido. Quapropter elixata „ācciora sunt, quam assa, non enim attrahunt in se ipsa humidum, quæ elixan-

„ elixantur : dominantur enim extrinſeca caliditas ei, quæ intus eſt. Si au-
„ tem vinceret quæ intus, traheret vtiq; in ſe ipſam.]

Commentarium. Tranſit ad decla randam aliam particulam, ſcilicet enim caliditate humida. Illud primo in verſione noto erraſſe interpretes, qui in numero plurali, & rectè ponunt, verba illa duo (aſſantur) & (patiuntur) & in numero ſingulari ponunt [eſt] in quo autem eſt humido cum debuerit pariter in numero plurali eſſe (in quo autem ſunt humido) item verbum ſequens (facit debet eſſe faciunt) (in ſe ipſum) in ſe ipſa vertere oportuit, & reaſſumens, [eſſe debebat reaſſumentia] ſingula enim ad idem nominatiuum. Quæ in ſartaginibus, notandum autem in græca litera nominatiuo huic etiam ſi plurali omnia, & verba, & participia in ſingulari numero reddi. Eſt autem is atticiſmus frequens Ariſtotelis in tertijs perſonis verbi numerum pluralem reddere nominatiuo ſingulari vnde ſi græcam phraſim imitari oportet oportebat etiam in numero ſingulari ponere, aſſatur, & patitur, verum quoniam latina lingua non hoc facilè admittit, ideo neceſſe fuit ſingula in numero plurali collocare, error vero inexcuſabilis eſt partem poſuiſſe in plurali, partem in ſingulari, cum ad eundem tamen nominatiuum omnia referantur, nunc literam ſigillatim expono. Concoctio fit ab eo, qui in humido igne, ſcilicet a calore, qui in humido circumdante, & continente corpus, poteſt vero eſſe corpus in aliquo humido etiam calido, quod ipſum contineat, at concoctio ab eo ipſo calore non fit, ſed à calore extra illud humidum exiſtente, vt in ijs, quæ friguntur ; contingit. Ea ſunt in oleo, vt piſcis in ſartagine, quod oleum, & eſt ſanè humidum ; & eſt ab igne ſubiecto caleſcit attamen non coquitur piſcis à calore olei : ſed à calore ignis extra oleum exiſtentis, & ſartaginem ipſam incendentis, candentemq; reddentis. At verò quæ elixantur, patiuntur ab igne, ſiue à calore, qui eſt in aqua ipſa audiamus verba ſingula Philoſophi. Quæ enim in ſartaginibus ſcilicet coquuntur, aſſantur : frictionem nempe potius aſſationem, vocandamque elixationem profitetur, qui ab extrinſeco enim calido patiuntur, ſenſus eſt pati, quæ friguntur à calore ignis circundantis. & incenſæ ſartaginis non à calore, qui in oleo. Probat autem quoniam „ in quo eſt humido facit illud magis ſiccum in ſe ipſum reaſſumens „ eſtq; vis probationis non pati ab eo humido in quo ſunt quæ friguntur cum contra calore, ac ipſius, quę frigitur humorem circundantem in ſe ipſam aſſumat, & trahat. Cum ergo humoris patiatur à calore re, quæ frigitur non poteſt in eam agere. Signum verò actionis rei frictæ in continentem humorem eſt quoniam exſiccatur humidum in quo eſt. 60.

Ariſtoteles. [Quod autem elixatur contrarium facit excernitur ex ipſo
„ humidum à caliditate, quæ eſt in extrinſeco humido. Quapropter elixata ſicciora ſunt, quam aſſa. Non enim attrahunt in ſe ipſa humidum, quæ elixantur : dominatur enim extrinſeca caliditas ei, quæ intus eſt. Si autem vinceret, quæ intus traheret vtique in ſe ipſam.

Commentarium. Differentiam ponit inter elixata & fricta In eo ipſo, 61.
quod mox de fuxis tradidit. trahi ab illas in ſe humidum in quo ſunt. Elixata enim contrario modo ſe habent non trahunt illa humiditatem continentem, ſed humor ipſorum in eam ipſam humiditatem excernitur. Non probat hoc, vt per ſe manifeſtum : nam huic ius efficitur, in quo & ſapor

& ſubſtan-

& substantia carnis gustatur, & cum elixatio vlterius procedit carnis fermè tota substantia in ius liquatur, iusq; eiusmodi nos ob id consumatum vulgo appellamus. Infert ex dictis Corellarium. Elixa esse ficciora assis: quæ propositio si de illis assis esset, quæ modo in sartagine fieri dixit, careret omni dubitatione propositio, & Corellarium ex demonstratis suapte natura procederet: de illis enim dictum est humorem in se trahere, quem elixa emittunt. Fit ergo vt elixa sint ficciora tanquam quæ ex ficca, partim saltem reddita sunt: humidiora assa; quippe quæ humore, in quo erant, sunt locupletata, at de assatis in veribus non eadem est ratio. Non enim ipsa humorem circumstantem attrahunt, cum nullus adsit, attrahunt sanè eum, quo illiniuntur, asperguntur ue aut liquati laridi aut olei, aut id genus pinguis humoris. Vnde de assis huiusmodi est, qui ab Aristotele recedat: qua de re in annotationibus, & disputationibus agam rationem reddit Aristoteles quamobrem elixat non trahans in se circumstantem humiditatem est verò quoniam caliditas, quæ est in humore circunstante superat caliditatem carnis, reiue, quæ elixatur: vnde magis illa trahit, quam carnis caliditas trahit. Caliditas itaq; am ientis humiditatis trahit humorem rei, quæ elixatur contra calor rei, quæ elixatur trahit humorem circunstantem contrarium fieret si præstaret caliditas rei, quæ coquitur caliditati humoris circunstantis nititur ratiocinatio fundamento iam antea non semel vsurpato à calore trahi humorem.

Aristoteles. [Est autem non omne corpus elixabile, neq; enim in quo
» nullum est humidum, velut in lapidibus, neq; in quibus inest quidem, sed
» non potest vinci ob spissitudinem, vt in lignis, sed quæcunq; corporum
» habent humiditatem passibilem, ab ea, quæ est in humido Ignitione.

62. *Commentarium.* Aristoteles subiectum elixationis primum, & quo attulit Est autem interminata humiditas spirituosa, aut aquosa, deinceps subijciendo causam ex eiusdem causæ declaratione duo deducit, quomdo humiditas eas concoquatur (concoquitur autem excernendo, & nunc quodnam sit subiectum, quod elixationis indicando primum, quæ nam sint corpora non elixabilia. Postea elixabilia circumscribet. Duo ergo genera corporum elixationi nequacquam obnoxiæ declarat primum genus est, quod omni humore caret veluti lapides secundum genus est, quod habet quidem humiditatem, sed non patibilem ab ignitione, quæ in humido, ex quarum duarum conditionum elixationem impedientium sublatione ciruumscribit elixabilia, dicitq; ea esse quæcunque habent humiditatem passibilem, ab ea, quæ est in humido ignitione. Singula hæc explicanda. Primum autem quomodo Aristoteles dicat lapides carere humiditate cum corpora omnia consistentia, & compacta non sine humido consistant tex. 49. 2. de gen. & inter. Respondeo de humiditate interminata loqui Aristotelem, qua tota carent lapides, at obijcietur solutioni eadẽ interminata humiditate carere etiam ligna quibus tamen Aristoteles tribuit humiditatem hic. At erat lignis etiam deneganda humiditas, si de interminata loquatur Aristoteles respondeo non omni interminata carere ligna in sua vniuersitate patet in lignis præsertim viridibus, quæ dum igni imposita iam incaluerunt sybilum nedum, sed etiam aquam emmittunt: at quomodo non est patibilis ligni humiditas ab igne. Respondeo non negari patibilem esse humiditatem ab igne, sed ab ignitione ne, quæ in humido

Dubitatio.
Solutio.
Dubitatio.
Solutio.
Dubitatio.
Solutio.

humido. Ab igne enim patitur lignum, eiusque humiditas, quod combustio demonstrat, at non patitur ab aqua calida etiam si ferueat, vt humor ab ea, & in eam ligni excernatur.

Aristoteles. [Dicitur autem, & aurum elixari, & lignum, & alia mul-
„ ta, non eadem quidem specie, sed translatione, non enim paria posita
„ sunt nomina differentijs: & humida quoq; elixari diximus, veluti lac, &
„ mustum, cum qui in humido sapor in formam aliquam transmutetur ab
„ eo, qui in circuitu, & extrinseco igne calefaciente, quare modo quodam
„ simile dictæ elixationi facit.]

Commentarium. Cum negauerit elixari lignum modo, & tamen dicantur vulgo elixari tum aurum, tum lignum, tum alia multa, quæ non habent humiditatem actioni aquæ feruoris obnoxiam, vt dubitationem, quæ hinc nasci potest, tollat repetit elixationis nomen secundum metaphoram ad non vere elixabilia extendi, vt de concoctione, eiusq; speciebus antea dixerat. Lignum ergo, & id genus elixari dicuntur, sed secundum metaphoram, at non propriè elixantur. Et ita negauit elixari in superiore proxima particula noto autem in litera græca duplicem lectionem indicari à versione communi, ibi secundum speciem non eadem. Alia enim litera habet specie eadem, quam sequuta est interpres communis dicens secundum formam eandem. Licet in margine indicet negatiuam. (non eandem) at codex Vicomercati solum negatiuam agnoscit, quam ego sum sequutus. At quæritur, qua ratione, & quomodo tribuatur ligno, & auro metaphorica elixatio. Respondet Alexander eatenus tribui quatenus excernitur ab ipsis aliquid ignis: nempe ab auro secernitur beneficio ignis argentum, aut æs commista, & purum redditur à lignis excernitur fumus, vel vapor aliquis ex lignis non fumantibus, quæ græcè acapna dicuntur ego antea lignum elixari ideo dici consueuisse exposui, quod in aqua calida flexibilitatem nanciscatur est ea verò elixationis similitudo, quatenus ab igne in humido siue ab aqua calida efficitur. Aurum autem elixari num magis dicitur cum lapides illi gemmas ementientes, sed liquabiles apponuntur, qui liquati liquationem auri adiumentum. Aliud genus affert elixabilium, est autem humidorum, quorum sapor à coctione mutantur. Est mustum, quod dum coquitur in defrictum, vel sapam pertransit dulciorem multi vtrobiq; saporem suscipiens. Lac etiam dum coquitur saporis prioris alterationem patitur. Similitudo verò huius cum vera elixatione est, quod ab extrinseco calore, & ipsa fit, & quod humiditas ipsius rei alteretur, vt in vera elixatione. At in differentia interest, quod non in humido ponitur, quod requiritur, sed in sicco vase, & à circundante igne coquitur. Noto verò hic concoctionem musti non esse illam, qua defricatur in vinumq; iam clarum transit. Est enim ea maturatio non elixatio, at est cum sapa vel defrictum ebulliendo fit. 63.

In cap. præced. pat. 39

Georg. Agricol.

Alexan. Aphrodisiensis.

Arist. [Finis autem non itidem omnibus, neq; his, quæ elixantur, neque
„ his, quæ concoquuntur, sed his quidem ad esum his autem ad sorbitionem.
„ illis verò ad alium vsum, quoniam, & medicamenta elixari dicimus.]

Commentarium. Finem varium elixationis nunc tradit: quæ verò sit connexio possumus duplici modo exponere vno quidem, quod Aristoteles cum essentia huius concoctionis voluerit & causam effectricem tradere, & nunc finalem. Alio autem si dixerimus motum quemlibet ex ter- 64.

mino ad quem speciem sortiri, adeoq; nunc terminum eiusmodi explicari ab Aristotele explicatione finis, cum sit intrinsecus finis terminus ipse ad quē. prima responsio vt est expeditior ita acceptior videtur interpretibus vt Alexander, at secunda cohæret ijs, quæ dixi q. 41. dicit vt ergo Aristoteles non eundem esse finem omnis elixationis. Finem enim aliquando, & alicuius elixationis esse esum, vt scilicet carnium, & leguminum, & oleum elixantur omnia in ordine ad commestionem. Alia verò elixantur ad sorbitionem at quænam hæc sunt? non satis enim patet, quæ elixentur ad sorbitionem vera elixatione cōcoquuntur quidem vina ad sorbitionē, sed nō vera elixatione imò maturatione multa potius aqua coquitur adhibendum, at neque ea est vera elixatio: non enim fit à calore in humido circundante ipsam aquam. Videbitur ergo hanc firmam varietatem applicare Aristoteles elixationi propriæ, & impropriæ, vt fidem eiusdem rei facit, quod mox medicamenta & elixari dicat. Non est ea propria elixatio, vt etiam Alexander attestatur. interim dum Aristoteles ea verba ad comprænhendendos omnes fructus subijcit. [& ad alium vsum] includere etiam finem, quem ego in dicta q. 41. adduxi naturalis elixationis estq; nutrimēti fluidi chyli, & sanguinis elaboratio ad instaurandas animalis partes sicut ibi dixi quem ad locum reijcio nunc quoq; lectorem. Interim confirmo quod ibidem dixeram nullam hic ab Aristotele allatam communem definitionem elixationis cum ex fine mutatio speciem suscipiat. Nullus verò hic communis elixationum finis assignatur imò assignari posse negetur.

Aristoteles. [Quare quæcunque crassiora possunt fieri, aut minora
,, & grauiora, aut hæc quidem ipsorum talia: hæc autem contraria: pro-
,, pterea quòd disgregata hæc quidem incrassantur: illa autem attenuantur
,, sicut lac in serie, & in congulum, omnia elixabilia sunt. oleum autem non
65 ,, elixatur ipsum secundum seipsum, quia horum nullum patitur.

Commentarium. Scripsit antea Aristoteles corpora elixabilia ea esse quæ humiditatem habeant passibilem ab ea, quæ in humido ignitione nunc autem signis eorum dignoscendorum subijcit, tria verò essent. Si crassiora fieri possunt. [Si minora simul, & grauiora.] Si pars eorum maior, & grauior fiat, quòd scilicet incrassetur, & pars contra augeatur, & effundatur. Quod attenuetur quemadmodum lacti accidit. Cuius alia pars crassescit in caseus alia tenuatur in serum: consideremus singula. nascitur in expositione huius loci dubitatio. Num Aristoteles hic loquatur de omnibus elixabilibus, an de solis humoribus, ac de fluidis. De omnibus exponit Alexander. At Vicomercatus licet non repugnet Alexandro, tamen in eam potius sententiam propendit vt de solis humidis, secundum ergo Alexandrum hæc est singulorum expositio quæcunq; crassiora possunt fieri, quæ elixantur, olia elixantur concoctionem interminatè in ipsis humidi, & hæc crassiora fiunt: at alia sunt, quæ per excretionē spirituosi elixantur, quæ & minora fiunt, & grauiora: pars enim spirituosa dum continetur leuius corpus reddit, vt pars ipsa aerea lignum adeoq; dum secernitur & minus corpus relinquit, & grauius. Caetanus Thrennensis disiungit decrementum, & grauitatem legendo minora, aut grauiora, nō autē minora, & grauiora, at non rectè: nam vt dicit Alexander non satis est si res decrescat à calore ad hoc vt elixetur cum oleum decrescat, & tamen non elixetur, vt

tur, vt

tur, vt ſubiunget Ariſtoteles, quæ ergo ſecundo hoc modo elixantur, ſunt quæ indicat philoſophus nunc [autem minora, & grauiora] noto verò aut elixari cum cocta, ſcilicet cocti in aqua, atq; indurati experientiam grauius ſcilicet fuiſſe ouum coctum crudo triginta granis cum crudi pondus fuerit vnciam vnam octauæ tres grana ſeptem, at coctum pependerit vnciam vnam octauas, ſeu dracmmas tres, grana 37. tertium membrum elixabilium eſt, cum partes ſeparentur, & altera craſſeſſit: altera tenuatur, quod lacti tribuit tertium hunc elixationis modum aſſignat Alexander concoctioni alimenti in animalibus, cuius altera pars concreſcit, incraſſaturue in ſanguinem, & poſtea in partes ſolidas; altera tenuatur in excrementum fluidum in vrinam ſcilicet hęc ſanè expoſitio probabiliſſima eſt & Alexandro vbiq; res eſt, cur ab ea recedam in præſentia. Dubium eſt modo, quod Philoſophus ſubiungit. Non elixari oleum ipſum ſecundum ſeipſum, quia horum nihil patitur, nam craſſius fieri à calore dicet infra Ariſtoteles cap. de concretione, participat ergo primum ſignum, & primam conditionem elixabilium. Imò & participat cauſam, & rationem elixabilitatis quæ eſt ſpirituoſam, & aeream partem in aquam tranſire ex ſuperioribus dictis de elixatione oleum enim ideo reddi, Ariſtoteles dicit: quoniam pars aerea in aquam mutatur ab ipſo craſſius à calore, verba ſunt infra cap. de concretione [incraſſatur autem (ſcilicet à calore) quoniam marceſcente calido ab aere fit aqua.] Quid ergo in tam apparente repugnantia dicendum? Vicomercatus reſpondet oleum ex accidentia calore craſſeſcere, at per ſe nec craſſeſcere nec elixari dum negat ergo hic craſſeſcere, & elixari à calore exponendus eſt per ſe; dum infra affirmat craſceſſere exponendus eſt per accidens hæc Vicomercatus Pomponatius has de oleo in Ariſtotele repugnantias apparentes inſolutas, & quaſi inſolubiles dimittit verè multam ambiguitatem patiuntur, ſed num verbum, & tempore, quod ſubijcit Ariſtoteles in loco cap. de concretione anſam ſoluendi præbet: dicit enim ibi. Ab igne enim, eo tempore incraſſatur, & albeſcit; ex quo loco, & ibi ex verbis elicimus calorem ex quo incraſſatur oleum eſſe calorem ambientis, & ſenſum, non verò calorem aerem, & qualis concoquit, vel elixando, vel aſſando res, nam oleum ſi ad ignem ponatur, liquatur non incraſſatur, neq; etiam ab igne remotum Contraquam Vicomercatus dicat incraſſatur niſi frigus aeris cogat. Secus enim, vt æſtiuo tempore ſemper oleum fluidum perſiſtat, contrahamus ſolutionem. Calor præſentem vim coquendi habens non incraſſat oleum, proindeq; non elixatur. Sed calor ambientis, & lentus incraſſat, quod ad elixationem eius non eſt ſatis, ſed dilucidius adhuc ſolutionem declaro ex illis, quæ tradit Galenus notatq; hoc in loco & Valleſius. Oleum in vaſe poſitum cui ſubinde ſubijciantur cineres calidas craſſeſcere, & ab excremento tenui expugnari. Pariterq; ſi in vaſe latioris ſoli exponatur, atq; agitetur craſſeſcere, & albeſcere dicit à calore ergo etiam craſſeſcit oleum, ſed non à calore ignis vim habente elixandi, at à calore, qui eiuſmodi vi caret. *Lib. 2. de ſmp. med. ca. 18.*

Ariſtoteles. [Secundum elixationem igitur dicta concoctio hoc eſt, &
,, nihil differt in inſtrumentis artificialibus, aut naturalibus ſi fiat propter
,, eandem enim cauſam omnia erunt.]

Commentarium. Ariſtoteles à ſe iam naturam explicatam elixationis 66.

 indicans

indicans definitionem eius traditam non quod ipse collegerit, sed quoniam colligendam reliquit, indicando genus subiectum & causam. Genus quidem. Concoctionem. Subiectum primum, & quo humiditatem interminatam spirituosam scilicet & aquosam. Subiectum quod corpus habens humiditatem à calore in humido vincibilem. Causam. Calorem eiusmodi in humido existentem. Subijcit postremo non differre vtrum in instrumentis naturalibus, aut artificialibus fiat eiusmodi concoctio, in qua admonitione continetur etiam distinctio elixationis in duas species in naturalem scilicet, & artificialem. Dicit ergo non differre vtrum elixatio fiat in naturalibus instrumentis, aut artificialibus propter ea, quòd vtrobique propter eandem causam. Declarat Alexander elixationem, quæ in naturalibus instrumentis fit, esse concoctionem alimenti in viuentibus, fieriq; propter eandem causam eo, quod fit vtraq: elixatio à calore externo, non enim inquit, est in alimento calor alimentum elixans; sed est illi extrinsecus naturalis verò, & proprius nutribili. Sed non videtur ratio hæc, quod sit extrinsecus calor, satis esse ad pronunciandam identitatem causæ in vtraq; elixatione secus dici etiam posset eandem esse causam assationis, & elixationis cum vtriusq; causa sit calor extrinsecus propterea ratio hæc intrinseci, & extrinseci potius distinguunt, quam coniungant, nam naturalis elixatio ex definitione communi concoctionis debet esse à calore proprio, & naturali non extrinseco. Declaraui autem esse ex naturali, & proprio suppositi at extrinseco humori, & parti eiusdem suppositi, quæ concoquitur. Hæc in naturali concoctione, at in artificiali est ab extrinseco calore nedum parti, & rei, quæ concoquitur, sed etiam supposito eiusdem rei, siue ea res sit suppositum ipsum, siue pars suppositi. Fortè præstat dicere esse à calore humido vtramq; elixationem tum naturalem, tum artificialem. De artificiali conspicuum est, at de naturali etiam, nam calor ventriculi chylum concoquentis est humidus, & operatur nedum, vt calidus, sed etiam, vt humidus idem de calore concoquente in venis sanguinem: est verò hæc conuenientia in definitione causali, at non infert conuenientiam in essentiali nisi forte addamus causam naturalē nempe interminatam humiditatem vtrobiq; elixari, & in hac quoq; conuenire, vt in genere, differentia, causa conueniant analogica tamen non vniuoca communione, vt iam non semel prædiximus. Quod verò dixi calorem ventriculi esse humidum, sicut etiam venarum hæc videtur statuenda differentia inter artificialem, & naturalem calorem, quod naturalis sit ipsemet ex indicta crasi talis: at artificialis non est nisi in humore incendatur, reponaturq; verbi gratia calor ventriculo ipsi à natura tributus est naturali crasi humidus. nempe calori membratus, & parietibus illius membri addidit natura ibi, & coniunxit crasi ipsa humiditatem. At ars reddit calorem humidum nonnisi cum in humore circumfuso ipsum incendit calorem, & quod de calore ventriculi, idem de calore venarum, & id genus partium dicendum. Galenus hoc ipsum agnouit, & protulit in libro de assuetudinibus calorem alium humidum esse, alium siccum.

Aristoteles. Μολυνσις Inquinatio autem inconcoctio quidem contraria elixationi, erit autem contraria primæ dicta inconcoctio eius, quod in corpore interminati propter defectum caliditatis quæ in humido, quod circumscripsi.

Comm.

Commentarium. Exposita elixatione ad oppositam inconcoctionem transit, quod græcè vocat Μώλυνσιν latinus interpres inquinationem vertit, & nomen in scholam passim recipitur, at non video penes latinos verè auctores vsum nominis in eadem significatione. Vicomercatus nomen græcum retinuit, & pro latina appellatione perephrasi vsus est imperfectæ elixationis. Μώλυνσις. idest [imperfecta elixatio] & Vallesius versit, & ipse perephrasi. Leuis elixatio. At nihil prohibet retinere nomen, quod vsus iam non infrequens intulit (inquinationis) ad rem transeamus. Tria dicit de inquinatione esse inconcoctionem contrariam elixationi. Esse contrariam primæ scilicet exquisitæ, & primo loco dictæ elixationi. Demum esse inconcoctionem interminati scilicet humidi, quod in corpore propter defectum caloris in humido circundante, Primum dictum circumscribit inquinationem genus eius afferendo. Est autem inconcoctio. Et contrarietatem elixationi. Conuertitur descriptio cum descripto; at non indicat essentiam, & materiam inquinationis. Secundum dictum ad explicationem spectat prioris. Cum itaq; elixatio analogicam multiplicitatem subeat inquinatio, quam hic describit ad illam contrahit, quæ aduersatur elixationi exquisitæ sumptæ, primumq; locum, ac membrum analogiæ occupatis. Eamq; ita captam definit. Tertio loco esse inconcoctionem humiditatis interminatæ corporis propter defectum caloris in humido circundante id ipsum corpus. 67.

Aristoteles. [Defectus autem à frigiditate, quod sit, dictum est. Fit „ autem propter motum alium, expellitur enim concoquens. defectus au„ tem est, aut propter multitudinem frigiditatis in humido, aut propter mul„ titudinem, quæ in elixabili. Tunc enim accidit eam, quæ in humido cali„ ditatem, ampliorem quidem esse, quam vt moueat: minorem autem, „ quam, vt æquet, & simul concoquat.

Commentarium. In his sequentibus verbis Aristoteles tum causam ipsam tum motionem inquinationis magis aperit. Id verò repetit ex superioribus cum putredinem de finiebat deffectum, & inopiam caloris ex frigiditate prouenire, vnde infert frigidum esse humidum circunstans in inquinatione, quam frigiditatem distinguit alia si quidem est positiua frigiditas, quia eius verè gradus sint præualentes in humido gradibus caloris. Alia est relatiua tantum; eo, quod scilicet pro abbundantia humiditatis interminatæ, quas in elixabili non sit tantus calor quantus ad eam concoquendam exigitur. Expono ego autem vocem multitudinis in secundo distinctionis membro (aut propter multitudinem, quæ in elixabili) de multitudine humiditatis interminatæ non de multitudine frigiditatis in elixabili: licet de hac multitudine frigiditatis interpretetur Alexander. At contrariam sententiam tribuit Alexandro Vicomercatus verum quam ego habeo Alexandri literam frigiditatem non humiditatem elixabilis exponit. Vicomercatus & ipse humiditatem interpretatur & Vallesius, ratioq; suadet, nam in quod calor humidi agit, dum elixationem aggreditur est humidum interminatum ipsum per se non frigidum, nisi ex consequenti. Verum subiungit, & notat Aristoteles oportere tantam esse in humido caliditatem, vt aggrediatur, & inceptet elixationem, vt fiat inquinatio si enim nullum esset concoctionis exordium non esset inconcoctio inquinatio, vt hinc intelligamus sublationem omnem elixationis, eiusq; omnimodam 68.

negationem, haud ad inquinationem pertinere, sed solum exortam,& in completam elixationem: hoc ergo est, quod in postremis verbis tradit Philosophus, & hæc pro explicatione causæ. Ad explicationem autem motionis illa spectant. [Fit autem propter motum alium: expellitur enim concoquens] quorum verborum sensus est: duplicem motum in inquinatione accidere alterum, & primum caloris, qui in humido circumstante corpus elixabile, dum concoctionem aggreditur, ac elixationem humiditatis interminatæ. Secundus motus est insurgentis frigiditatis, quæ est in eodem humido circundante, dum reprimit caliditatem, eiusq; actionem concoquendi, quæ respectio est expulsio concoquentis, quam dicit Aristoteles, qui duplex motus ex ijs, quæ de causa postremo loco dicit, nosque proximè exposuimus, conspicuus redditur, quod scilicet calor sit tantus, vt moueat, at non tantus, vt æquaret concoquatur. Restat illud vnum verbum explicandum æquet, quæ sit eiusmodi æqualitas. Vicomercatus de æqualitate concoctionis interpretatur parcior inquit calor, quàm vt concoquat, & æquabilem illi rei afferat concoctionem, at idem significabunt duo verba æquet,& concoquat. Fortè ergo æqualitas hæc est æquatio humiditatis, & siccitatis, dum humiditas interminata quam excedit tollitur, aut compingitur.

Aristoteles. [Quapropter duriora quidem inquinata fiunt elixis. Hu-
„ mida autem disterminata sunt magis. Elixatio igitur,& inquinatio dictum
69. „ est, & quid, & propter quid est.]

Commentarium. Corellarium infert ex proximè dictis, esse scilicet inquinata duriora elixis, pendet Corellarium ex proximè dictis iuxta meam expositionem. Nimirum in elixatione, siue & humidæ partes prorsus commiscentur; at in inquinatione restant, siue nondum commistæ, quæ ideo duriorem rem reddunt, ita in pulsu ex pane recocto duriora sunt frustra panis, dum nondum ebulijt, & profecto est elixatio, quam cum absoluta fuerit: at excipit ex eiusmodi doctrina humida, de quibus proximè dixit partem eorum crassiorem fieri partem tenuari cum elixata fuerint exemplo lactis. In his ergo iam elixatis pars aliqua durior fit, quàm corpus antea nondum coctum fuerit; colostium enim durius, quàm lac; hoc sibi volunt verba [humida autem disterminata sunt magis] vt etiam explicat Alexander, quæ sequuntur pro epilogo [elixatio igitur & inquinatio dictum est & quid, & propter quid est] demonstrant traditam esse definitionem vtriusq; tum essentialem, tum causalem: quarum illa quid est: hæc propter quid continet. Non est ommittenda Alexandri admonitio Aristotelem hic non meminisse inquinationis methaphoricæ, vt elixationis methaphoricæ meminit, sed restrinxisse sermonem suum ad inquinatio nem contrariam exquisitæ elixationi non quod non detur metaphorica etiam elixationi opposita inquinatio. Sed quoniam breuitatis is causa relinquit nobis ex dictis de elixatione deducere, quæ de inquinatione sit dicendum cum contrariorum eadem ratio, & speciatim si alterum contra-
1. Topic. c. rium multiplicem significationem obtineat. Pariter obtinet, & alterum.

CAPVT SEPTIMVM.

De assatione, & opposita inconcoctione.

De assatione postremo loco, & opposita inconcoctione agit.

Aristoteles. [Assatio autem est concoctio à caliditate sicca, & aliena,

Propt

Propter hoc, & siquis elixans faciat transmutari, & concoqui non ab humidi caliditate, sed ab ea, quæ ignis cum completum fuerit, assum sit, & non elixatum, & excessu adustum esse dicitur, à sicca autem caliditate fit, cum siccius sit complectum: quapropter,& exteriora ficciora interioribus elixata autem contrarium, & in his, quæ manu fiunt, operosum est magis assare, quàm elixare difficile enim interiora, & exteriora æqualiter calefacere semper enim propinquiora igni exiccantur citius quare, & magis, coeuntibus igitur exterioribus mentibus non potest externi intus existens humidum sed includitur, cum meatus clausi fuerint.]

Commentarium. Tertiam demum concoctionis speciem aggreditur, qum græcè οπτησιν vocat duas vero in partes diuiditur hæc de assatione dissertatio in prima de assatione, sola differit in secunda de ipsa simul, & aliena, quod declarando confirmat indeq; duo sit subinde deducit primum, est in assatis exteriora ficciora esse interioribus. secundum est difficilius esse assare quam elixare. Ad elixationem modo singulorum accedendo id repeto quod in annotatione ad part. 49. præmonui Aristotelem hic describere assationē artificialem, ex eaq; tamquam notiore velle à nobis deduci cognitionem naturalis assationis. De assatione ergo artificiali verum sanè est, & conspicuum esse a caliditate sicca, & aliena: est enim à calore ignis qui calor est siccus, estq; alienus à carne, quæ assatur cum sint duo distincta supposita id quod assatur, & ignis assans. Confirmat id ipsum declarando etiam si res coctilis in humore aliquo in olla vel eiusmodi vase coquatur, dum actio coctionis fecerit tota à caliditate ignis, nihilq; in ea operata sit humiditas aquæ, adhuc eam assationem futuram, non elixationem, siq; coctio excesserit, in adustionem transituram, qua in re doctè monet Alexander assari res nedū in veru, sed in vase etiamsi,nihil humoris ponatur. immò, & si ponatur,vt oleū in sartagine, vbi quæ friguntur assari dicuntur à philosopho in superiore capite. at etiamsi posita sit aqua dum aqua minor tanto sit actione ignis, vt exficcetur adeoq; coctio sit tota ab ignis caliditate: nulla ex parte ab aquæ humiditate, hinc olla repletur subinde aqua ne caro pro elixata frixa euadat: quomodo autem dignoscatur in propositis casibus assatum, ab elixato,argumentum, ac signum exhibet si complecto concoctionem siccius euadit quod concoquitur, intelligemus autem siccius esto in partibus exteriorum, secus enim etiam elixa ficciora fiunt, vt antea dixit potest ex hoc eici, confirmo dictorum coquuntur nempè aliqua in humore sunt aliquo, sed exiguo vuulgo sotestare eiusmodi coctionem vocant, estq; species quædam assationis hoc est inter elixationem, & assationem interponitur, sed ad assationem amplius vergens, ficciora siquidem quæ ita coquuntur, euadunt quod pro assationis argumento in eiusmodi casibus ponit Aristoteles. Hinc infert corellario primum autem esse in assatis partes exteriores ficciores interioribus, & contra in elixis se habere ratio est in promptu, in elixatione enim humiditas interior excernitur proindeq; siccescit res, at partes exteriores ex ambiente humore humidiores conseruantur,in assatione vero partes exteriores, vt propinquiores igni quam interiores, eius actionem amplius suscipiunt, & citius ideoq; prius exficcantur quocirca pori clauduntur clausiq; inhibent ne interior humiditas elabi possit. Secundum corellarium quod ex primo ipso dependet est difficilius esse rectè assare quam elixare ratio est quo-

70.

q.41. in solut. rationū con rariorum.

quoniam difficile est id curare, vt exteriora, & interiora æqualiter calefiant cum propinquiora igne celerius exiccentur adeoq; & celerius calefiant ipsa, & exficcata, & clausa minus præbeant aditum ad calefacienda interiora. Notandum autem in Aristotelis verbis (coeuntibus igitur meatibus nõ potest excerni intus existens humidum, sed includitur, cum meatus clausi fuerint nõ id sibi velle, vt ad integrã assationem is excernatur humor interior eiusmodi enim excretionem tribuit supra elixationi: negauit assatio ij, sed humore eo agit, qui interminatus, & redundans, & remouendus est à re quæ concoquitur, quam etiam effluere ab assatis res ipsa manifestat.

Aristoteles. [Assatio igitur, & elixatio fiunt quidem arte. sunt autem sicut dicimus species vniuersaliter eædem, & natura, similes enim quæ fiunt passiones, sed innominatæ: concitatur enim ars naturam, quoniam, & alimenti in corpore concoctio similis elixationi est, & enim in humido, & calido à caliditate corporis fit: & inconcoctiones quædam similes supra inquinationi.]

Commentarium. Hic communem sermonem de assatione, & elixatione ferit estq; earum distinctio in naturales, & artificiales dicit ergo dari
71. vtramque speciem concoctionis dictam naturalem & artificialem probat in communi. Quoniam similes passiones fiunt in arte, & in natura: probat eiusmodi similitudinem. quoniam ars imitatur naturam, vt sit ratio. similes sunt passiones artis imitatricis, & eius, quam illa imitatur. at ars est imitatrix naturæ ergo in arte, & in natura sunt similes passiones. probat vero deinde in particulari de elixatione eandem similitudinem: quoniam concoctio alimenti est similis elixationi est enim tum concoquens in corpore calor humidus. ex quo loco confirmatur id, quod in explicatione part. 66. supradixi calorem ventriculi concoquentis esse crasim calidum, & humidum, subiungit aliam probationem ad confirmandum rursus esse similem elixationi concoctionem alimenti quoniam eidem concoctioni opponuntur inconcoctioni similes inquinationi, vt sit ratio. oppositæ inconcoctiones concoctione alimenti sunt similes inquinationi ergo concoctio alimenti est similis elixationi, modo quærendum quænam sint inconcoctiones oppositæ concoctioni alimenti. Alexander duas agnoscere videtur alteram cum à ventriculi frigiditate diminuta est concoctio: alteram cum ex superabundante calore exiccatio quadam si assatio inducitur ex qua alimentum adustum etiam fit verba sunt Alexandri [cum vero amplior scientia caliditas exficcando humiditatem ipsam opprimet tunc aliquid optesi simile coniuget fieri, atq; Quare non solum alimenta indigesta sunt, cum à frigido euincuntur: sed etiam quando à calido secundum prædictum modum opprimuntur] videtur ergo inconcoctiones has interpretari Aristoteles dico autem videtur: quoniam dum dicit optesi sicco assationi similem supracoctionem cibi, & adulationem non videtur eam inconcoctionem subijcere inconcoctioni, quam similem inquinationi profert, vt anceps sit hac in re explicatio Alexandri, sed illud præterea non probo in eius dictis similem inconcoctionem facere optesi seu assationi, quæ est concoctio non inconcoctio Aristoteles hic inconcoctionem inconcoctioni similem artificialem, scilicet naturali non concoctioni inconcoctionem. An forte inconcoctiones alimenti similes inquinationi in numero plurali protulit Aristoteles, vt varios cruditatis gradus indicaret,

qui

qui in inconcoctione ciborum accidit dum, vel cibus non satis liquatur, vel liquatur quidem, sed postea chylus non ad debitam concertentiam redigitur hinc ructus varij, vel accidi, vel vitiati pro varietate cruditatis, erunt autem omnes eiusmodi gradus inquinationi similes notat interim Philosophus affectiones, & passiones, quæ natura contingunt carere nomine, vnde patet cur ipse ex artificialibus concoctionibus nos ad naturales cognoscendas duxerit quod antea, quoq; præmonui.

Aristoteles. [Nec animal inconcoctione ipsa fit, quemadmodum aliqui dicunt, sed in excretione, quæ putrescit in inferiore ventre, deinde sursum ascendit, fit enim concoctio in superiore ventre: at putrescit in inferiori ventre id, quod excretum est propter, quam autem causam dictum est in alijs.]

Commentarium. Connexio eorum, quæ nunc dixit, cum illis, quæ antea dixit, non satis patet, Vicomercatus eam vnam conijcit quod occurrat errori, qui facilè possit in legentium animis oboriri interpretando non esse concoctionem, quæ fit alimenti, sed potius putredinem cum videamus vermes in eiusmodi alimenti permutatione gigni tollit errorem Aristoteles monendo non gigni in ventriculo, vbi fit concoctio, vermes: sed in ventre inferiori in quem fæces excernuntur, ex quo loco sursum postea ascendunt in ventrem superiorem, & ad os interdum, vsq; progrediuntur interdumq; euomuntur. An forte cum inconcoctionem dixerit fieri elixationi contrariam in ventriculo scilicet nunc monere voluerit non esse eius inconcoctionis effectum vermes, qui generantur, sed esse effectum putredinis, quæ fit in ventre inferiori, qui sint eiusmodi vermes, qui generantur in excrementis intra animantem adhuc contentis indicat Aristoteles lib. 5. de historia animalium cap. 19. Lumbrici (inquit) appellantur quorum sunt tria genera latum, teres, & quod ascarida appellatum est ex
,, quo nihil aliud procreari potest,, latum autem illud solum intestino adhæ-
,, rens parit simile cucumeris semini, quo indicio medici genus id lumbrici
,, inesse intelligunt,, dum vero dicit Philosophus à se alibi dictum propter quam causam Alexander interpretatur in problematibus dictum quamobrem vermes in inferiori ventre geniti sursum interdum ascendant. at notat Vicomercatus in problematibus nunc extantibus nihil horum reperiri quocirca alios fortasse problemata etiam edita à Philosopho quorum meminit Alexander ad cuius manus peruenerint. Albertus Magnus arbitratur actum hac de re fuisse in libro de alimento quam Aristoteles ipse aliquando adducit in testimonium tamquam iam conscriptũ, at est hoc diuinare, fortè in animo habuit Arist. scribere de hoc argumento latius, quod postea non præstitit, vel opus interijt, quodcumq; illud fuerit. At de veritate dictorum hic Arist. maior controuersia nascitur vtrum vermes possint nasci in superiore etiam ventre nedum in inferiore, videtur .n. negare Philosophus posse in superiore nasci ea ratione quoniam in concoctione non nascuntur, sed in putredine, at in superiore ventre est concoctio, ac putredo in inferiori, quæ ratio importat nedum in concoctione ipsa qua concoctio est vermes non fieri, sed etiam in loco concoctionis non gigni, sed in loco tantum destinato putredine rerum controuersiam ipsam, & penitiorem Aristotelis mentis explicationem, quæ ex controuersiæ explicatione orietur in annotationes, & disputationes reijcimus.

Aristoteles.

Aristoteles. [Inquinatio igitur elixationi contraria est: Ei autem concoctioni, quæ vt assatio dicitur est, quidem aliquid oppositum similiter minus autem nominatum, erit autem vtiq; si fiat stateusis, sed non assatio propter defectum caliditatis, quæ accidet vtriq;, aut propter paucitatem exterioris ignis; aut propter multitudinem aquæ, quæ in eo est, quod assatur tunc enim amplior quidem est, quam vt non moueat: minor autem quam vt concoquat, quid igitur est concoctio, & inconcoctio, & maturatio, & cruditas, & elixatio, & assatio, & contraria his dictum est.]

73. *Commentarium*. Oppositam assationi inconcoctionem nunc tradit, quam innominatiorem asserit idest innominatam sumens comparatiuum pro positiuo, vt senior interdum pro sene primo verò id animaduersionem ad se trahit concoctionem hanc ipsam postremam non simpliciter assationem vocare, sed tamquam assationem cum prius absolutè assationem vocauerit, an respondendum est, id magno artificio ab Aristotele factum, vt ab artificiali coctionem ad naturalem nos ducat, naturalis enim non participat nomen assationis pari proprietate cum artificiali, sed cum aliqua improprietate sensus ergo est Aristotelis naturali illi concoctioni, quæ assationis nomine licet non prorsus propriè designatur opponi innominatam inconcoctionem, quæ tamen instar sit stateusis inconcoctionis oppositæ assationi. Declarat autem quæ sit eiusmodi stateusis, & quomodo contingat, fit ergo ob caloris defectum, & imbecillitatem, quæ imbecillitas, & qui defectus, vel nascitur ex caloris exiguitate, vel ex multitudine humiditatis interminatæ (quàm nunc aquam vocat) in re concoquenda. cui multitudini vincendæ impar sit calor etiamsi per se robustus, at necessariam aliam postremo subiungit conditionem, estq; non adeo imbecilem oportere esse calorem, vt non possit aggredi adeoq; mouere humiditatem rei obiectæ, debet enim posse eam mouere, & afficere, at non eo, vsq; vt concoquat. postremo epilogum facit eorum, quæ de concoctione, & inconcoctione, eiusq; speciebus disseruit rectè verò monet Alexander de hac postrema inconcoctione pauciora dixisse, quam de inquinatione: quoniam ex dictis de illa possunt facili negocio, quæ de hac nunc reticentur, elici.

CAPVT OCTAVVM.

De principijs, & primis speciebus passiuorum. Hinc tertia pars libri exorditur. De speciebus passiuorum. Continet secundam, & tertiam summam iuxta sectionem Auerroidam.

Connexio, & propositio proposuit Aristoteles in initio cap. secunde de operationibus actiuarum qualitatum calida, & frigida actuum, & de speciebus passiuorum humidi, & sicci, actiones verò, quas ipse proposuit, fuerunt actiones non in elementa ipsa, sed in mista, generatio scilicet mistorum. eorumq; corruptio, ceu putredo deinde concoctio, & inconcoctio, ac species earum, species passiuorum explicandæ restant, quæ pariter in mistis sunt accipiendæ non in elementis ipsis, species autem passiuorum ex passiuis principijs constituuntur sunt autem in triplici discrimine passiua nimirum. Passio ipsa secunda potentia passiua, res ipsa cum ea potentia passiua. hoc tertio modo est species. secundo est differentia speciem constituens. primo modo est passio solum v. g. concretio est

est passio concretile est differentia mistum concretile est species ipsa, ac est scilicet mistum passiuum; non secus (vt rem exemplo illustrem) atq; ratiocinatio est actio. Rationale est differentia: animal rationale siue homo est species Aristoteles ergo hic de speciebus passiuorum agendum proponit, non de passionibus ipsis, nisi vt in differentijs continetur de differentijs autem agit, vt species constituunt proinde de speciebus passiuorum agendum solummodo proponit, sunt autem in mistis primæ, ac summæ species passiuorum tres. Durum molle, & humidum, siue fluidum, at species sequentes, in quas primæ subdistinguuntur sunt 18. combinationes, tum primarum autem scientiæ secundarum specierum principia, sunt Propositum cap. huius 8. primæ qualitates passiuæ siccitas, & humiditas, in præsenti ergo hoc cap. 8. primo loco principia hæc refert passiuarum specierum, in secunda tres dictas species recenset. & declarat.

Aristoteles. [Passiuorum autem humidi, & sicci dicendum species sunt autem principia quidem corporum passiua humidum, & siccum alia autem mista quidem ex his, ex quocunq; autem magis huius magis secundum naturam sunt, vt hæc quidem sicci magis hæc autem humidi omnia autem hæc, hæc quidem actu erunt. hæc autem in opposito, habet autem sic liquatio ad liquabile.]

Commentarium. Proponit primo loco, quæ dicenda sint, deinde sternit sibi viam ad propositam tractationem præmittendo, quæ ad eam requiruntur. Quæ proponit ergo tractanda sunt passiuorum species non autem passiones passiuorum, vt dicit Vallesius multo minus operationes passiuorum, vt asserit Pomponatius, qui idcirco contra Aristotelem dubitat, & dubitationem in solutam dimittit quasi insolubilem, species inquam passiuorum tractandas, & aperiendas proponit non passiones, neque operationes passiuorum quarum solum meminit, vt ad specierum constitutionem ordinantur remotè pulsiones: proximè autem potentiæ passiuæ ad easdem passiones suscipiendas: cessant ita dubitationes Pomponatis, & Vallesij, quæ iuxta eorum expositionem valdè Aristotelem vrgerent, erat dubitatio Vallesij. Quomodo Aristoteles quas numerabit passiones tribuat passiuis, vt eas consequentes, & superiores operationes trubierit actiuis cum, & ea quas hic memorabit ab actiuis procedere supradixerit, scilicet humectare, exiccare, indurare, mollificareque, quod si respondeatur procedere ab actiuis, vt a causa effectrice, ac à passiuis, vt à suscipiente, & patiente causa pariter dicetur, generationem, & concoctionem à passiuis per modum patientis ab actiuis per modum efficientis procedere, vt Aristoteles ipsemet in definienda generatione, & concoctione apertè expressit, neq; sana est responsio Vallesij concoctiones essentiam esse inperfectione à calore, at passiones liquationis mollificationis, & oppositas habere essentiam in passiuis, falsa est, inquam hæc responsio nam essentia concoctionis est, in perfectione passiuarum, qualitatum calor vero naturalis est causa non essentia, vt in explicatione definitionis vidimus. Responsio ergo vera est Aristotelem hic species quæsiturum passiuorum non autem passiones nisi aut ad eas species constituendas per passiuas potentias ordinantur. Ita etiam soluitur dubitatio Pomponatij cur scil. Aristoteles tribuat has passiones potius passiuis facultatibus, quàm generationem, & concoctionem, nam si causalitatem effectricem capit neutræ à

74. (margin, beside "Commentarium" line)
Dub. 55. (margin, beside "Pomponatius" line)

passi-

passiuis procedunt, sed omnes ab actiuis si passiuam, ac subiectiuam capit ambæ æquè à passiuis eo modo procedunt. Non agit de his, nisi vt concernit earum tractatio ad constituendas species passiuorum, ad quas constituendas nõ pertinent generatio concoctioue, ac eius species quas vt operationes actiuarum Philosophus tractauit. Sunt autem principia quidem corporum passiua humidum, & siccum[alia autẽ mista]principia iam propositæ tractationis instruit. Primo ergo loco hoc statuit principia passiua corporum scil. mistorum esse humidum, & siccum. Illud autem humidum & illud siccum itelligit, quod duo ex quattuor primis principijs, seu primis qualitatibus tangibilibus in principio recensuit, at cuius generis principio sint subiungit dum dicit mista esse ex his. Sunt itaq; materialia principa mistorum ex quibus scilicet mista componuntur, ex quocunque autem magis huius magis secundum naturam sunt, vt hæc quidem sicci magis: hæc autem humidi in his verbis aliud fundamentum ponit denominationis mistorum, quæ scilicet humida, quæ sicca sint appellanda potius, in qua ergo humidum præualet secundum constitutionem naturalem sicca sunt ea humida, in quibus verò siccum sicca. ex quo loco colligimus mistum humidum: & mistum siccum non excludere contrariam penitus qualitatem; sed eius prædominium, vel æqualitatem tantum excludere ossa ergo sunt sicca; quoniam in eis siccitas præualet; non quòd nulla insit humiditas cùm certè humiditas continuans insit, contra cerebrum est humidum; non quod nulla insit siccitas; sed quoniam præualet humiditas. Omnia autem hæc alia quidem actu erunt: alia in opposito. [Habet autem sit liquatio ad liquabile.]Hoc tertium fundamentum ponit distinguens humida, & sicca, in sicca actu, & potestate, scilicet proxima, exemploq; liquabilis declarat distinctionem, sensusq: est liquabile est actu siccum, at potestate, eaq; proxima humidum glacies scilicet actu est sicca cum & dura sit, ac potestate humida, quin statim, atque liquatur humida, at fluida euadit Aristoteles pluribus verbis declarat distinctionem lib. 2. de part. animal cap. 3. „Gelu (inquit) omnemq; humorem concretum siccum dici-
„ mus actu, & per accidens: Cum tamen potentia, & per se humidus sit;
„ contra terra, & cinis, & reliqua generis eiusdem mista humori humida
„ actu, & per accidens redduntur; quanquam potentia, & per se sicca sunt. „

Primum fundamẽtum, ac principiũ. 1. cap.

2. fundamentum.

3. fundamentum.

Aristoteles. [Quoniam autem humidum quidem benè terminabile:
„ Siccum autem difficile terminabile simile aliquid oponsio, & condimen-
„ tis ad inuicem patiuntur. Humidum enim sicco causa est vt terminetur,
„ & vtrunque vtrique velut gluten fit sicut & empedocles fecit in physici
„ farinam aqua conglutinans, & propter hoc ex ambobus est terminatum
„ corpus.]

75. *Commentarium*. Quartum est hoc fundamentum rationem, & modum exponens, quo ex sicco, & humido resurgat terminatum corpus. Repetit ergo humidum facile terminabile esse; siccum verò difficile terminabile tex. nempe 9. 2. de gen. & inter. definiuit humidum esse, quod interminabile proprio termino facile terminabile existens. Siccum verò definiuit facile terminabile proprio termino; difficulter autem terminabile. Ex quibus definitionibus id communiter schola elicit. Humidum facile terminabile alieno termino: & siccum contra difficile terminabile alieno, cum ergo humidum suapte natura fluat, nullamq; figuram retineat, in eaque consi-

consistat. Siccum contra per se in alienam figuram non transeat si ex illis aliquid consistens efformari, ac effingi debeat necesse est humorem ex sicco consistentiam quærere, & siccum ex humore quandam fluiditatem, vt extendi, & effrangi possit, atq; ita fiet ex ambobus instar glutinis: Confirmat idem, & declarat testimonio Empedoclis, qui res naturales conglutinari dixit, non secus atq; farinam aqua conglutinari videmus. Quoad verba autem Aristotelis (simile aliquid opsonio, & condimentis) similitudinem exponere debemus in eo, quod vtrobiq; fit mistio non quod idem sit modus mistionis: non enim ad corpulentiam constituendam, sed ad saporem potius alterandum condimenta adhibentur, at siccum, & humidum ad corporaturam ipsam commiscentur.

Aristoteles. [Dicuntur autem elementorum maxima propriè, proprijssimè siccum quidem terræ. humidum autem aquæ propter hoc omnia terminata corpora hic non sine terra, & aqua, cuiuscunque autem plus secundum potentiam huius vnumquodq; videtur & in terra, & in aqua animalia solum sunt: in aere autem, & in igne non sunt, quia corporum materia hæc.]

Commentarium. Ex humido, & sicco constitui terminata corpora docuit: at siccitas inest, & terræ, & igni, humiditas autem tum aquæ, tum aeri. Explicat nunc itaq; ex quonam sicco, & quonam humido resultent terminata corpora. Et ex terra pro sicco, ex aqua pro humido resultare asserit idq; probat quoniam terra maximè propriè proprijssimè sicca dicitur, & aqua humida, vt sic vis rationis. ex maximè propriè proprijssimè sicco, & humido corpora terminata constant. Terra, & aqua sunt maximè propriè siccum, & humidum. Ergo ex terra, & aqua corpora terminata constant siue. Quæ constant ex maxime propriè proprijssimè sicco, & ex maximè propriè proprijssimè humido constant ex aqua, & terra. Corpora terminata constant ex maximè propriè proprijssimè sicco, & ex maximè propriè proprijssimè humido. Ergo corpora terminata constant ex aqua, & terra. Maior ab Aristotele exponitur. Terra, & aqua sunt maximè propriè, proprijssimè hæc humida illa sicca. Minor ab Aristotele hic supponitur, & inniti videtur illi maximè. Quod in vnoquoq; genere est maximè: tale cæteris est eiusdem ipsius causa vt ignis, vt summe calidus est cæteris causa caliditatis. Rationis huius Aristotelicæ maior est illa (elementorum maxime proprie siccum quidem terræ: humidum autem aquæ. Conclusio autem in illis est verbis [propter hoc omnia terminata corpora hic non sine terra, & aqua] at quæ sequuntur verba. Cuiuscunque autem plus secundum potentiam huius vnumquodq; videtur, obiectioni tacitæ occurrunt. Alia enim corpora terrea nobis videntur. alia aquæ vt hæc terream non habere videantur illa non habere aquam. Respondet Aristoteles terrea non adeo aliqua dici, alia verò aquea, quod in illis sola terra sit; in his sola aqua, sed quod in illi terra dominetur in his aqua. hoc inquam sibi volunt verba Philosophi. Cuiuscunq; autem (scil. durorum elementorum dictorum terræ, & aquæ) plus secundum potentiam (scilicet inest) huius nempe elementi, vnumquodq; mistum scilicet ipsum videtur esse, & in terra, & in aqua. Secunda ratio hæc esse videtur ad idem probandum, est autem animalia solum in terra, & in aqua existere videntur. In igne autem, & in aere ne-

76. 2. metaph. cap. 1.

nequacquam apparet hinc corporatā materiam esse hæc ipsa duo elementa solum quasi sit ratio. Ea sola elementa sunt materia corporum terminatorum hoc est ex illis solis elementis componuntur resultantq; corpora terminata in quibus solis animalia reperiuntur. At in terra solis animalia reperiuntur. Ergo terra, & aqua solæ inter elementa sunt ex quibus componuntur, & resultant corpora terminata. Alexander tamen non facit hanc secundam rationem propositæ conclusionis, sed pro Corellario exponit inferri, scil. in solis terra, & aqua animalia reperiri eo, quod ex ijsdem elementis corpora terminata constituuntur. Id ipsum importat esse ea elementa materiam corporum, quæ expositio est præferenda, neq; ratio hæc subsisteret, cum non sit mens Aristotelis, quod sola dua elementa terra, & aqua sint materia corporū mistorum, sed quòd sint materia corporum terminatorum qua terminatorum nempe eatenus mistum terminationem suscipit quatenus terra ab aqua funditur, & aqua à terra sistitur: aer, & ignis non summa eiusmodi terminationis licet sint materia eiusmodi terminationis licet sint materia misti terminati inde mel aereum ducitur pipes igneum propter ea elementa, at non propter ea terminatur. Quoad verò propriè Aristotelis. Non esse in aere, & igne animalia nterpretatur dictum Suessanus aduersus Platonē, qui in aere, & igne reponebat animalia, scil. dęmones penitus Inuisibiles: in aqua verò semideos interdū visibiles, at arbitror hic Aristotelem solum respexisse animalia sensu prorsus conspicua, & elementaria. Vnde & vsus est pronomine. Hic in conlusione [propter hoc omnia terminata corpora (hic) non sine terra, & aqua] vt se restringere sermonem indicet ad hæc corpora inferiora non verò extendere ad astra, & ad cælestia multò minus ad ea, quæ sensum effugunt: at excipit etiam eadem ratione cometas, qui figuram suam, & formam retinent, & si quæ alia sunt eiusmodi consistentiæ, inter metheora videatur annotatio ad part. 76. in §. quoad primam partem ratio afferti.

In Epinomide.

Aristoteles. [Corporalium autem passionum has primas necesse inexistere terminato duritiem, aut mollitiem. Necesse enim quod ex humido, & sicco aut durum esse, aut molle. Est autem durum quidem, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem. Molle autem, quod cedit non circumobsistendo. Aqua enim non mollis, non enim cedit compressione superficies in profundum, sed circumobsistit.]

71. *Commentarium.* Duas hic summas species passiuas misti terminati exponit ex dictis verò eius elicitur præterea tertia species in quam cadent mista non terminata. Nimirum mista omnia quæcunque illa sunt, aut resistunt impressioni superficies scil. eorum non cedit primenti, vt lapidis superficies non cedit digito, aut cedit & retinet foueam, vt cæra superficies cedit digito comprimenti retinetq; digiti foueam, vel cedit, & circumobsistit vt aqua, quæ digito cedit, at refluit, & digiti partem superiorem tegit, primæ speciei corpora dura vocantur. Secundæ speciei vocantur mollia. tertiæ fluida vocari merentur. Terminata ergo omnia ad duas priores species pertinent, vel enim dura sunt vel mollia, vt in sequentis capitis initio disertè profert ipsemet Aristoteles, in hac ergo particula Aristoteles quinque assertiones affert, quarum prima est necessaria inexistere terminatis corporibus has primas passiones duritiem, aut mollitiem. Secunda ad eius probationem adducitur, quod ex humido, & sicco est aut durum esse,

esse, aut molle. Vt sat ratio omne quod est ex humido, & sicco est durum, aut molle, omne corpus terminatum est ex humido, & sicco; ergo omne corpus terminatum est durum, aut molle. Tertia est definitio duri, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem. Animaduertendum autem ad definitionis intelligentiam. cedete posse durum loco verbi gratia pillula ferrea cedet impellenti in contrariam loci partem abeundo, at non est hoc cedere in se ipsum, & secundum superficiem, sed est cadere secundum totum: & in locum alium. Quarta est definitio mollis [est verò molle quod cedit non circumobsistendo] debemus verò in definitione hac repetere, quæ in definitione duri reposuerat scilicet secundum superficiem in se ipsũ vt sit tota definitio. Molle est, quod cedit in se ipsum secundum superficiem non circumobsistendo. Declaraui iam quid sit circumobsistere exemplo aquæ, quæ præssa refluit et præmentis manum cooperit id ipsum declarat Aristoteles sequenti assertione, quæ est quinta, & vltima. Aqua (inquit nõ est mollis; non enim cedit compressione superficies in profundum, sed circumobsistit. Exemplo igitur aquæ Philosophus declarat quid sit circumobsistere, vt phantasma nobis obtrudendo circumobsistentiæ, eius notionem eliciamus. Aqua ergo superficies à nobis compressa cedit: at non in profundum rectam, sed reflectitur, ac refluit sursum vsquequo præmens operiat superficiem superiorem. In his propositionibus illa est dubia [quod ex humido, & sicco aut durum: aut molle] sunt enim mista aliqua fluidà, quæ siccitatem cum humiditate continent, neque tamen sunt dura, aut mollia, vt vinum, &c. an dicendum est de siccitate terrea & humiditate aquea exponendam propositionem esse, vt scilicet quicquid ex sicco terreo, & humido aqueo constat sit durum, aut molle. Sed contra ita restrictam etiam propositionem rursus Nam in vino reperiri aliquid etiam terreæ portionis apertum est, cum vinum euertitur in dolio enim turbulentiam mutatur. difficultatem non leuem facit replicatio. fortè verò dici potest terream in vino portionem reperiri per modum iuxta rationes non per modum mistionis vnde subsidentiam facit, quasi sit ab humido ea portio diuulsa; eiq; potius contigua, quam continua.

Aristoteles. [Simpliciter igitur durum, aut molle, quod simpliciter
„ tale ad alterum autem, quod ad illud tale est. Ad inuicem igitur indeter-
„ minata sunt per magis, & minus. Quoniam autem ad sensum omnia
„ iudicamus sensibilia palam, quod & durum, & molle, & simpliciter ad
„ tactum determirauimus, tanquam medietate vtentes tactu, quapropter
„ excedens quidem ipsum durum: deficiens autem molle esse dicimus.]

Commentarium. Aliam hic differentiam ponit definitioni duri addendam etenim videmus dura etiam multa cedere secundum superficiem valentiori impressori aurum siquidem, & argentum & æs in monetam cudentur impressionem sumentia figurarum, & literarum pro arbitrio cudentis, vt si durum esse oporteret, quod nullatenus, nulliq; omonino imprimenti cederet vix daretur in mundo durum. Si verò datur aliquid, vt adamas, & quippiam eiusmodi, quod nulli cedati est id durum simpliciter: at quæ alicui cedunt, alteri non cedunt: sunt hæc dura non simpliciter, sed ad alterum, nempè dura respectu eorum, quibus non cedunt, at quodnam sit illud cui quæ non cedunt nomen absolute duri obtineant etiam si aliquibus alijs cedant determinat hic. Et tactum nostrum esse asserit, quæ ergo 78.

tactui

tactui nostro dum ea præmemus cedunt superficiem in profundum absolutè dura vocamus, etiam si valentioribus impressionibus, & impræmentibus deinde cedant. Quæ contra eidem tactui nostro cedunt, & non circumobsistunt, mollia pariter dicimus. Est itaq; tactus medium illud, ad quod res referimus iudicantes vtrum duræ sint, an molles. Quoad verba autem Philosophi [simpliciter igitur durum, aut molle, quod simpliciter tale] hic simpliciter durum significat, quod nullatenus cadit, molle quod omnibus cedit, vel ferè omnibus non circumobsistendo. Est autem aliud simpliciter, aut absolute vocatum durum, quod in ordine ad tactum nostrum definiet, quod quidem est species duri ad alterum attamen durum & ipsum simpliciter, & absolutè vocatur, quoniam ad sensum omnia sensibilia iudicamus, vt ipsemet subijcit Aristoteles verba sunt [quoniam autem ad sensum omnia iudicamus sensibilia palam, quod & durum, & molle simpliciter ad tactum determinauimus] Ex his ergo verbis elicimus id, quod iam dixi durum simpliciter duplex esse aliud, quod nulli cedit præmẽti: aliud, quod non cedit tactui. quod sanè durum est species duri ad alterum attamen ea ratione absolutè durum vocatur qua sensibilia ad sensum iudicantur sensibilia.

CAPVT NONVM.

De causis concretionis, & liquationis.

Inquinatio, & cõnexio. Cum ergo Arist. aliquas minutiores species terminatorũ mistorum tradere debeat; terminatio verò mistorũ fit ob concretionem hinc de concretione antea agit in duobus his sequentibus capitibus, in præsenti scilicet de causis concretionis, ac principijs prioribus in sequenti de concretione ipsa causisq; propioribus in præsenti ergo capite duo facit, adeoq; caput in duas partes diuiditur in prima concludit nullum esse corpus terminatum sine concretione, proindeq; de concretione dicendum, in secunda principia eiusmodi tractationis præmittit. Secunda ibi [sunt itaq; causæ.]

Aristoteles. [Necesse autem durum, aut molle esse terminatum corpus proprio termino aut enim cedere, aut non adhuc concretum esse: hæc enim ipso definitur: quare quoniam omne quidem terminatum, & consistens, aut molle, aut durum: hæc autem concretione sunt. omnia vtique erunt corpora, & composita, & terminata non sine concretione. de concretione igitur dicendum.]

79 *Comment.* Hac ergo in particula Arist. concludit de concretione esse agendum, & rationem adducit quoniam omne corpus terminatum nonnisi cõcretione tale est. Probat verò: quoniam omne corpus terminatum durum est, aut molle. Omne verò corpus durum, aut molle concretum est, seu nonnisi concretione tale. Ergo omne corpus terminatum concretum est, seu nonnisi concretione tale. In verbis verò Philosophi notandum est non simpliciter terminatum corpus ab Aristotele dictum, sed terminatum proprio termino: nam scimus etiam corpora liquida aerem, & aquam, & id genus alia terminari termino alieno, cum per eam etiam particulam definiatur humidum 2. de gen. & inter. idem significat ly consistens cum dicit [omne quidem terminatum, & consistens] Est enim sensus. Omne corpus terminatum, proprio termino est id enim quod suam figuram retinet, adeoq; consistens est, & non diffluit. De voce verò concretionis, & concreti animaduertendum est latius hic videri sumi vocem ab Aristotele, quam

quam vsus communior ferat videtur siquidem nobis concretio duritiem significare, & nonnisi cum duritie concipi, vt etiam cæra nonnisi cum indurauerit concreta dici posse videatur, etiam si in mollitie sua figuram retineat, vel Mercurij, vel spæræ, vel aliam quamuis datam. At Aristoteles in præsentia vox græca πεπηγὸς significat omnem consistentiam quæ opponitur liquidis, & fluidis, communisq; est tum duris, tum mollibus, & eousq; consistens corpus reddit vt figuram suam ipsum per se retineat. nobis in præsentia id constet. pro sana Aristotelis intelligentia, quæ sit penes ipsum vocis acceptio. Vter verò maiorem proprietatem vocis vsis seruet noster. An Aristoteles debet controuersia discuti de voce græca πεπηγὸς non delatoria [concretio] non enim voces in diuersis linguis sibi respondentes æqualem semper significationem obtinent: Herus in latina lingua significat dominatum in seruos eos, quos nos *schiaui* vocamus, at *il padrone* Italicè quæ latinæ illi respondet nedum in seruos (schiaui) dominatum, sed etiam in ingenuos stipendio conductos ad domestica famulitia imperium significat. id certè arbitror peritiem puræ linguæ græcæ fuisse Aristotelem, qui in purgatioris dialecti græcia, & meliore sæculo vixit, sed quid Galenus ipsemet concretionis hanc latiorem significationem suscepit lib. 3. cap. 4. inter ea, quæ concrescunt, carnem ponit: imò quæ cum diuulsa fuerint, rursus concrescere debeant, mollia esse oportere asserit.

Aristoteles. [Sunt itaque causæ, quæ circa materiam duæ agens, &
" passio. Agens quidem, vt vnde motus: passio autem, vt forma, qua-
" re, & concretionis, & diffusionis, & exiccationis, & humectationis.]

Commentarium. Fundamenta hinc tradit ex indagine causarum concretionis, & liquationis. Primum autem est. Tres esse eiusmodi affectionum causas, scilicet materiam efficiens, & formam. Quod antea dogma stabili vocat lib. 2. de gen. & inter. tex. 51. & 52 vbi causam effectricem necessariam esse, at ab antiquis sub nube cognitam, ac tanquam à somniantibus non autem clarè agnitam, ac traditam. Esse igitur omnium rerum naturalium tres illas causas ibi ostendit, & hic repetit; vnde concludit totidem esse oportere etiam causas concretionis, & liquationis, siue fusionis subiungit præterea & exiccationis, & humectationis, quoniam mox declarabit exiccationem esse genus concretionis; sicut liquationis humectationem, vt ad causas concretionis, & liquationis indagandas, & tradendas oporteat exicationis, & humectationis causas nosse. Dubium autem nascitur: cur Philosophus pro forma passionem afferat. Cum contra significet illa motum non formam. num ergo dicendum est passionem hic sumi pro qualitate non pro ea, quæ in prædicamento passionis reponitur iuxta significationem prima vocis huius positam in 5. lib. metaphis. cap. 21.? an fortè latius sumi, quatenus etiam motum significat, ad illumq; extendit, vt possit tribui pro forma concretioni, & cæteris eiusmodi affectionibus, quarum forma non est aliqua qualitas, sed motio, & passio. Id vero hic interim pro certo accipiatur (cum se ipsum apertè declaret Aristot. passionem pro forma sumi? Agentis verò, & efficientis definitionem hic repetit ex 2. phys. vt sit efficiens causa vnde motus. Inde scilicet principium motus, seu mutationis est resolutio textus esse continetur in eo vnicum enthymema cuius ponitur propositio, eiusq; declaratio, & conclusio. Propositio est. sunt causæ, quæ circa materiā duæ agens, & passio, cuius est

sensus tres esse causas materiam,agens,& passionē,quarū posteriores duæ circa materiam sunt : declarat terminis eiusmodi antecedentis, scil. agens ipsum definiendo.& passionem dicendo esse formā.Conclusio verò ea est. Quare & concretionis, & diffusionis, & exiccationis, & humectationis. [sunt scilicet eædem tres causæ]quod enthymema si resoluatur in syllogismum elicienda est minor, quæ deest ex canone, ergo resolutionis erit. Concretio, & diffusio, exiccatio, & humectationes sunt res, & affectiones naturales, eritq; totus syllogismus. Omnium rerum affectionumque naturalium tres sunt causæ materia, forma, & agens. Concretio diffusio exiccatio, & humectatio sunt res affectionesue naturales. Ergo concretionis, diffusionis, exiccationis, & humectationis tres sunt causæ materia, forma, & agens.

Aristoteles. [Agit autem agens duabus virtutibus, & patitur patiens
» passionibus duabus sicut dictum est agit quidem calido, & frigido. Passio
» autem præsentia, aut absentia calidi, & frigidi.]

Commentarium. Secundum fundamentum,quod ex superioribus repe-
81. tit est agens agere duabus facultatibus calido scilicet, & frigido. Sunt enim hæc duæ qualitates actiuæ, & patiens pati duabus passionibus, vt à se antea dictum testatur. Hic animaduertit Vicomercatus non dici ab Aristotele calorem, & frigus esse causas efficientes. Sed efficiens illis agere qualitatibus, vt indicet esse instrumenta actionis eiusmodi facultates non autem agens id quod redarguit lib. 2. de gen. & corrup. tex. 55. Alexander verò videtur hic facere comparationem inter agens, quo, & quod non inter primarium, & instrumentarium agens. Declaro exemplo Aristotelis 2. de anima tex. 41. & 1. de anima tex. 64. in tex. 41. 2. de anima negat calorem esse simpliciter causam nutritionis. at contendit animam esse causam. Est ea comparatio inter causam primariam,& instrumentariam. At tex. 64. 1. negat animam esse causam, sed hominem anima causam esse asserit. tum de causa quæ non de causa, quia loquitur, & ita videtur hic interpretari Alexander Aristotelem non est calor agens, quid, sed principium quo agit, at est agens corpus ipsum. Verum est vtrumque dictum & Vicomercati,& Alexandri.at arbitror ego expositionem Alex.quadrare magis hoc in loco sensui Arist.Nā Philosophus in hac parte sensatioris philosophiæ.& in hoc præsertim libro qualitates primas pro primis agentibus, ac principijs agendi vt plurimum memorat. In vltimo ferè capite solū admonet nos ad formas substātiales esse sustollendā cōsideratione.Patiēs autem passionibus duabus]duas has passiones Alexander interpretatur de præsentia, & absentia calidi, & frigidi, quas mox subijciet Aristoteles, est itaq; sensus Philosophi de Alexandri mente. Agens agit duabus facultatibus actiuis, & patiens patitur dum duas ab agente passiones suscipit præsentiam caloris, & absentiam frigoris. præsentiam frigoris, absentiamq; caloris à frigore. hacq; ratione in agente principia actiua, seu facultates quibus agit, at in patiente non exprimit facultates, quibus patitur, sed passiones ipsas, quas patitur. At alia expositio contra exponit verba illa[& patitur patiens passionibus duabus]de facultatibus passiuis,scil.de humiditate,& siccitate,de quibus antea dixit,vt nunc in mētē nobis à se dictū reducit. In verbis verò sequentibus.[Passio autem præsentia,aut absentia calidi, & frigidi.] Vocem (passio) non amplius pro facultate patiendi, vel verius

pro

pro impotentia accipiunt iidem Interpretes, sed pro affectione ipsa, quæ ab agente in patiens imprimitur. Ita Vicomercatus, & Caetanus Then. atq; in subiunctis verbis præsentia, aut absentia calidi, & frigidi discrepant rursus expositiones. In recto enim alij exponunt, vt scilicet passio ipsa sit absentia, aut præsentia frigidi, aut calidi. Alia expositio accipit in obliquo, vt scilicet passio non sit ipsa absentia, & præsentia calidi, aut frigidi, sed per eam fiat, atq; ita legunt in ablatiuo non in nominatiuo voces præsentia, & absentia in græco, autem voces illis respondentes παρουσία & απουσία in ablatiuo intelligunt, non in nominatio, hanc secundam expositionem probabilem admodum arbitratur Vicomercatus; & Albertus etiam Magnus videtur eodem modo voces sumerent, certè ita sumit Alexander, qui idcirco dicit passionem fieri per præsentiam calidi, aut frigidi. Ego cogor sequi expositionem Alexandri in prima controuersia de passiouibus duabus quibus patitur patiens secus Aristoteles æquiuocè eadem voce vteretur in eodem verborum contextu, contraquam ipse iubeat, sed cur non meminit facultatum passiuarum, sicut actiuarum meminit? Debebat enim facultatibus actiuis opponere facultates passiuas, & actionibus actiuorum, passiones passiuorum. An fortè Aristoteles hic passiones considerat respondet vniuocas actionibus actiuarum facultatum scilicet calefactioni, & frigefactioni; sunt autem receptio calidi, & frigidi, quas passiones patiens subit, non qua humidum, & siccum, sed qua calefactibile, & frigefactibile, quæ cum impotentiæ potius sint ex cap. de qualitate libro præd quam potentiæ, ideo pro potentijs non numerauit: passionibus verò contentus ad eiusmodi expræssionem fuit, ad quas, à quibus potentiæ dicuntur. Si cui minus placet responsio per me recedat: neque enim pro certa vendito; dum verò recipiatur absentia, & præsentia calidi, & frigidi sunt in recto accipiendæ; non in obliquo.

Aristoteles. [Quoniam autem concrescere exiccari aliquo modo est,
„ de hoc dicamus primo patiens itaq; humidum, aut siccum, aut ex his. Po-
„ nimus autem humidi corpus aquam: sicci autem terram: hæc enim hu-
„ midorum, & siccorum passiua.] 82.

Commentarium. Deducit quæstionem, & indaginem in sua principia. Cum itaq; concretio sit quędam exiccatio inquisitionem causarum concretionis adducit in inquisitionem causarum concretionis, primoq; loco subiectum exiccationis declarat postea causas. Ad subiectum ergo tradendum exiccationis repetit primo loco corpora passiua esse in triplici discrimine; humida, & sicca, & sicco, & humido mista. Quoniam verò in ordine ad terminationem, atq; ad corpora terminata hic loquitur Aristoteles declarat humidi corpus esse aquam. Sicci autem terram, notandum autem ignem quoq; esse siccum & aerem humidum: vnde si simpliciter loquamur falsum est humidi corpus esse aquam, imò in lib. 2. de gener. & inter. humidum tribuitur aeri, & frigidum aquæ. At verò de humiditate, & siccitate agendo, quæ ad terminationem spectant humiditas aquæ & siccitas terræ solæ sunt, quarum siue subiectorum illis corporum sit terminatio. Noto in verbis Aristotelis exponendis, patiens itaq; aut humidum & siccum labi Vicomercatum, qui pati ibi concrescere, & liquari exponit quasi Aristoteles dicat concrescens tum siccum (terram) tum humidum

 (aquam

(aquam) tum mista ex illis, at falsum est, & Aristotelis dictum, neq; enim aqua concrescit, neq; terra, si pura elementa accipiamus, sed solum qua in mista iam transierunt. Sensus ergo Aristotelis est exiccari,& humectari scilicet aquam, & terram, at non concrescere, & liquari. Aqua enim ideo exiccatur, quia euaporat, & difflat adeoq; abit locum, & vas vbi erat exiccatum relinquens. pariter exiccatur aqua in mutua generatione elementorum, dum in terram, vel in ignem transit; & contra terra dum humectatur in aquam, aeremue transeundo, fateor tamen ea verba negotium mihi facessere, sicut dictum est. Antea enim dictum est humiditatem, & siccitatem esse passiuas qualitates non autem absentia, & præsentia frigoris, & caloris pati corpora Alexander interim non est accipiendus, qui dicit ab Aristotele terram sicci, & aquam humidi asseuerare, non autem aerem humidi, & ignem sicci eo, quod terra specificatur sicco, & aqua humido; non autem superiora elementa qualitatibus passiuis specificantur Nam hæc doctrina repugnat Aristoteles, qui aquam non humido, sed frigido specificari asserit, at aerem humido constitui. Pomponatius etiam distint. 69.

Aristoteles. [Quapropter, & frigidum passiuorum magis, in his enim
„ est: etenim terra, & aqua frigida supponuntur. Actiuum autem frigi-
„ dum, vt corruptiuum, aut secundum accidens sicut dictum est prius ali-
„ quando enim, & vrere dicitur, & calefacere frigidum, non vt calidum;
85 „ sed quia congregat, aut quia circumobsistit calidum.]

Commentarium. Quæ hic dicit Aristoteles sunt ceu Corellarium ex proximè dictis pendens de frigore eius actione Corellarium ergo est; frigus magis passiuorum esse. Probat verò quoniam frigus est in passiuis scilicet in terra, & aqua. ea autem elementa frigida sunt, eritq; ratio. Terra, & aqua frigida sunt. Frigus est terræ, & aquæ. Sunt enim ea frigida. Ergo frigus est passiuorum. In cuius conclusionis intelligentia duplex expositio occurit, nam esse passiuorum potest exponi bifariam, vel vt subiecti, vel vt generis, subiecti inquam si intelligamus in corporibus passiuis reperiri frigus. generis verò si intelligamus frigus esse qualitatem passiuam, adeoq; illi, vt speciem generis subijci. Ratio quidem vt subiecti concludit: at que sequuntur verba ad genus potius pertinent: videtur enim eo pertinere vt Aristoteles obiectioni occurrat. dixerat antea frigus esse qualitatem actiuam. nunc asserit, passiuam ergo sibi ipsi repugnat. Respondet itaq; frigus esse actiuum, vt corruptiuum, & per accidens: at non per se, & ad generationem; quomodo actiuus est calor in. hoc ergo sensu negat nunc frigus esse actiuum: in illo affirmauit supra. huiusmodi tacita responsio indicat potius, vt generi, quam vt subiecto frigus attribuisse passiuis, & plures ita exponunt, Alexander præsertim in sequentibus modo verbis. [Acturum autem est frigidum vt corruptiuum, aut secundum accidens] quomodo actiuum sit frigus declarat, duosq; eius rei modos affert. Ego de modo, quo frigus operetur in rebus naturalibus egi in disput. 13. in hunc librum. Interim dum dicit frigus esse agens, vt corruptiuum videtur mihi illud exprimere, quod in definienda putredine, eiusq; definitione declaranda dixit scilicet putredinem esse à frigore proprio rei, quæ putrescit, est (inquit) putrefactio communis passio, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ. „ Quod verò dicit esse actiuum secundum accidens declarat

,, clarat ipsemet subiunctis exemplo cum dicitur frigus vrere, & calefacere. Ex circumobsistentia enim id interdum fit. Est pulcherrimum Theophrasti testimonium lib. 4. de hist. plant. cap. 17. de vredine, quam vocat.
,, Alij verò apud alios flatus interimere, ac exurere noti sunt, vt in calcide
,, eubææ olympias cum fluerit frigidus ante solstitia, aut post solstitia hyber-
,, na: arbores enim exurit, atq; adeo aridas, siccasq; facit, vt ne sol, tem-
,, pusq; longum reddere ita possint; quocirca vredinem vocant. ,, Declarat ergo Aristoteles hoc ipsum vrere dicendo, & calefacere frigidum non instar calidi, sed eo, quod congregat, aut quia circumobsistit calidum: duos ita modos exprimendo, quorum alter est, quod frigus congregat calidum adeóq; scilicet ipsum intentius reddit, hocq; accidit cum res ipsa in se calorem continet, qui ab ambiente frigore cohibetur ne dilabatur: sed intus manere cogitur, ac consistere. Hinc ventres nostri hieme sunt calidiores, nosq; edaciores reddimur, quam æstate. Secundus modus est antiperistasi; cum calor frigoris cum frigens in eum locum refregit vbi suapte natura non reperitur. Sic hieme interiora terræ calent, & aquæ puteales calidæ sentiuntur, contraquam estate. Ita ego expono locum duos modos distinguendo congregationis, & antiperistasis, vt prior etiam eos distinguit Alexander in expositione huius loci. Vicomercatus autem confundit nec meminit distinctionis Alexandri, vt videatur parum diligenter, & Aristotelis verba, & alienas expositiones præsertim grauissimi interpretis Alexandri hac in re considerasse. Dum verò calorem in antiperistasi frigere contrariam qualitatem intelligendum est de corpore calido, non de qualitate ipsa, quæ non mouetur calescunt ex antiperistasi hieme interiora terræ, qua calidiores vapores, exhalationesue vim frigoris declinantes in concaua ea loca confrigiunt.

Aristoteles. [Exiccantur autem quæcunq; sunt aqua, & aquæ species,
,, aut habent aquam siue superinductam, siue connatam. Dico autem su-
,, perinductam quidem velut in lana: connatam autem velut in lacte. Aquæ
,, autem species talia; vinum, vrina, serum, & omninò quæcunque nullam
,, aut paruam habent subsidentiam; non propter viscositatem: quibusdam
,, enim causa non subsidendi aliquid viscositas, sicut oleo, aut pici.]

Commentarium. Præmisit remotiora principia, nunc ad proximiora accedit; sunt autem subiectum, & causa efficiens quæq; ad hanc redigitur 84.
affectio ab efficiente impressa, quam exiccatio consequitur subiectum nunc exiccationis refert. dicit itaq; exiccari aquam, eiusq; species, & quæcunq; habent aquam; quę subdistinguit in habentia aquam superinductam, & in habentia connatam adeo vt ea sola exiccentur, quæ aquam habent, aut aquea sunt. hoc quod Aristoteles absq; ratione, necne sumpsit, probare nititur Vicomercatus ratione. est autem eius ratio. exiccatio est ad aliquid, diciturq; ad humorem, ergo solus humor exiccatur. Verum falsa vtitur prorsus ratione. Falsum enim est exiccationem referri ad humorem secus si referrerentur humor, & exiccatio, esset exiccatio humoris exiccatio. et humor exiccatione humor, quod est omninò erroneum. Falsa etiam est consequentia, & exiccatio humoris, ergo aquæ, & habentium aquam nec prodest probatio Vicomercati, quoniam humor est maximè proprius aquæ. nam scientia, & scibile sunt reditiua; & inter scibilia datur maximè scibile, & minus scibile, & magis scibile, & tamen scientia non

dicitur ad maximè scibile, sed ad scibile in vniuersum. Probo ergo mihi esse debere videtur, quæ ex superioribus pendet: Siccum exiccari nequit, quia generatio, & mutatio omnis fit ex contrario, vt siccum oporteat fieri ex humido, vel simpliciter, vel participatione. Siccum verò hic, & humidum in ordine ad terminationem sumuntur; quæ idcirco sunt terra, & aqua vnde cum humor aquæ inesse debeat exiccabili, nisi sit aqua ipsa opportet saltem habere aquam. [Dico autem superinductam quidem velut in lana connatam autem velut in lacte.] Declarat nunc membra distinctionis, primoq; quænam habeant aquam superinductam exemplo lanæ irrigatæ, scilicet & quæ imbutæ Aristoteles in 2. de gen. & int. distinguit, quæ alienam habent humiditatem in vda, & in irrigata; vda sunt, quæ alienam habent humiditatem tantum in superficie; irrigata, quæ etiã in profundo. Lapides aspersi primo modo sunt humidi, Lana, & spongia secundo modo: humiditatem verò connatam declarat exemplo lactis. Lac enim hæc humiditatem inditam à primo ortu eamq; perpetuo seruiat, quousq; lac esse perseuerat. [Aquæ autem species, talia, vinum, vrina, serum, & omninò quæcunq; nullam, aut paruam habent subsidentiam.] Declarat secundo loco primam distinctionis partem scilicet species aquæ, easq; esse dicit vinum, vrinam, serum, & in vniuersum, quæ nullam, aut paruam habent subsidentiam, quale etiam est lotium; dicit verò nullam, aut paruam; quia verè non est humor sensibus nostris obnoxius, qui nullam omninò subsidentiam habeat nam aqua etiam si nitida, tamen si diù in vase detineatur aliquid in fundo vasis demum deponit etsi etiam distilletur, aliquid terrei subsidet in alembicco. Subsidentia itaq; est illa ceu ramenta terrea, siue redimentum terreum, quod in fundo vasis residet. Eiusmodi subsidentia est multa, & magna in reliquis; at in ijs, quæ instar aquæ fluunt parua est. Quomodo verò, & cur voces has species aquæ Aristoteles rationem refert Vicomercatus in euaporationem, quia nempe in vapores attenuari possunt, sicq; exiccari non secus, atq; aquæ contingit, quæ pariter in vapores dissoluta exinnanitur tandem, atq; ita exiccatur, an fortè aquæ species vocat ob vniformem penes cum aqua fluorem? (Nõ propter viscositatem) perficit nunc descriptionem eorum, quæ sunt aquæ species supplendo differentiam, quam omiserat dixerat esse aquæ species, quæ nullam aut paruam habent subsidentiam: vt etiam oleum, & pix liquida nullam penè subsidentiam habent, nec tamen sunt aquæ species ideo aliã differentiam adijcit, non propter lentorem. Erunt ergo aquæ species, quæ paruam subsidentiam habent, non autem ex lentore impediente, atq; ita excluduntur oleum, & pix à speciebus aquæ licet paruam illa subsidentiam habeant, ob enim lentorem viscositatemue id illis accidit. à qua viscositate continentur partes grauiores ne secernantur à fluidis, atq; ita descendant separatæ.

1. phys.

Aristoteles. [Exiccantur autem omnia aut calefacta, aut frigefacta:
» ambo autem calido, & ab interiore caliditate, aut exteriore. Etenim quę
» in frigidatione exiccantur, sicut vestimentum si fuerit separatum ipsum
» secundum se ipsum humidum ab interiori calido coeuaporare fauente,
» humidum exiccatur, si paucum fuerit humidum exeunte caliditate à cir-
» cunstante frigido. Exiccantur igitur sicut dictum est omnia aut calefacta,
» aut frigefacta, & omnia calido aut exteriore, aut interiore coeuaporare

faciente

faciente humidum. Dico autem extra quidem sicut quæ elixantur. Intra autem quando ablato humido à caliditate, quam habet expirante consumptum fuerit.]

Commentarium. Causam efficientem exiccationis nunc tradit; primo autem affectionem, quam imprimit patienti præcedentem exiccationem, deinde causam aperit, quoad affectionem ergo dicit eam esse, vel calefactionem, vel refrigerationem rei exiccabilis; nimirum quod exiccatur primo calefit, vel refrigeratur ab exiccante causa. Hæc est. præcedens affectis, vel hæc sint præcedentes affectiones exiccationem frigefacta exsiccantur, veluti vestes, & panni madefacti hyeme aeri expositi poterat iam credi cum res, quæ exiccatur alias frigefacta, alias calefacta exiccetur causas esse duas exiccationis frigus, & calorem. Aristoteles tamen ad vnum calorem causam exiccationis reducit, tum eorum quæ refrigerata exiccantur; tum eorum, quę exiccãtur calefacta; cum eo tamen discrimine, quod quæ refrigerata exiccãtur à calore interno suo exiccentur: quæ calefacta exiccantur à calore externo exiccentur. Modus autem vtriusq; caloris in agendo, & exiccando diligentius explicat. De ijs ergo quæ in frigidatione exiccantur sicut vestimentum, &c. dicit exiccari ea ab interiore calido coeuaporare faciente humidum sensus est. Calor interior intensior ex coactione, & vnione factus (cogit autem externum frigus) superat vinculum mistionis, quo in misto detinebatur, & euaporat, secumq; ducit humorem subiectum, atq; ita res exsucca, & exsiccata redditur. Duas tamen conditiones ex humido exigit esse separatum, & esse exiguum. Prima conditio est ibi (si fuerit separatum ipsum secundum se ipsum humidum.) Alexander exponit si fuerit aduentitius, vt pannis madefactis non connatus vt lacti, & sequitur Vicomercatus, neque ego repugno. Secunda conditio est si fuerit exiguum humidum: nam si humor in madidis multus fuerit cõgelatur pardus; non autem succus euadit, vt linteamina cæteraq; linea sicca fiunt, cum expressa prius sereno aeri exponuntur nullatenus gelu concreta. Verba verò [exeunte caliditate à circumstante frigiditate] expono ego calorem intensiorem redditum à circumstante frigore exire ruptis vinculis mistionis, at Vicomercatus interpretatur extrudi calorẽ internum à circumstante frigore, vt calor ita internus non suapte nutu exeat, sed vi à frigore præualente expulsus. at si admittamus expositionem non erit calor agens in exiccatione, sed patiens, & causa tantum per accidens exiccationis, at iuxta meam explicationem frigus erit causa per accidens, vt caloris congregationem operatur. At calor deinde ipse suapte nutu exit, & secum humorem ducit. Antea q. 28. id ipsum significauit licet de putredine ibi loquutus. Locus videatur; confirmans procul dubio hanc meam nunc expositionem. [Exiccantur igitur (sicut dictum est) omnia aut calefacta, aut frigefacta; & omnia calido interiore; aut exteriore coeuapore faciente humidum] concludit hic omnia, quæ exiccantur siue calefacta, siue refrigerata à calore exiccari vel externo, vel interno coeuaporare faciente humidum. quibus verbis, & causam communem explicat, est siquidem calor, & modum communem, estq; quod vterq; calor coeuaporare faciat humidum. in coeuaporatione tamen est differentia, nam interdum calor internus exit, & secum humidum ducit; exit verò calor internus obauctus, vel à frigore externo per vnionem, vel 85.

F 4 à calo-

à calore externo per nouum gradum impressum. interdum verò potius exit humor præceptus pro vocabulo à calore externo, ac adurente. qua de re, atq; differentia in annotat quæstione 28. interim verò Philosophus hic subijcit exemplum eductionis humidi cum prius ipsum educitur, estq; elixationis exemplum. Calor enim elixans prius educit humidum ex eo, quod elixatur, quam calorem. Verbum autem (extra quidem non debet accipi de humore quasi sola ab exteriore calore exiccata extra humorem emmittunt, nam etiam quæ ab iterno calore exiccantur extra emmittunt, sed debet illud aduerbium extra referri ad calorem, & significat cum à calore exteriore fit exiccatio. sicut quod sequitur aduerbium (intra) significat calorem interiorem exiccantem. Verba demum, quæ sequuntur [Quando ablato humido à caliditate quam habet expirante consumptum fuerit] difficultatem faciunt, licet superiora ea verba [ab interiori calido coeuaporare faciente humidum] declarent sensum, qui demum meo iuditio est. quando difflatio iam humido à calore, qui exiens secum illud coeuaporare fecit res ipsa iam sine humido remansit. Et hoc est quod corruptum vocat humidum, scilicet vnde res ipsa humida erat, ante exiccationem. humidum itaq; idem, & ablatum dicitur, vt scilicet difflauit sequens calorem abeuntem, & corruptum dicitur respectu rei, in qua omninò cessauit amplius esse. Alexander autem non legit ablato humido, sed ablato igne, applicatq; elixatorum exiccationi cum remouetur ab ipsis ignis, tum enim demum calore interiore expirante, humidum etiam elabitur: cæteri codices omnes legunt ablato humido.

Aristoteles. [Humectari autem est vnum quidem cum quid in aquam
» cogitur alterum autem, cum quod concretum est liquescit. Horum autem
86. » in aquam cogitur frigefactus spiritus. De liquefactione autem simul, &
» concretione erit manifestum.]

Commentarium. Postquam de exiccatione dixit nunc ad humectationem transit, eamq; duplici modo fieri docet. Primo quidem dum vapor, tenuoq; eiusmodi corpus in aquam cogitur, ita pluuia ex vaporibus, quod subiungit Philosophus cum dicit frigefactum spiritum in aquam cogi, quã ortum ex vaporibus aquæ flumine tribuit Philos. 1. met cap. 1. sum. 4. eodem modo in operculis ollæ bullientis vapor in aqueas guttas densatur. Secundus modus est cum concreta iam liquantur. Ita scilicet ex gelu liquato aqua ita adeps liquatus fluit metalla pariter dum liquantur fluunt. ad eiusmodi liquationem ego credo posse reduci seri, & lotij generationem. Licet diuersam reputet Vicomercatus. dum sit verò Philosophus eam humectationem, quam facit humidi comistio, vt humectatio lanæ, nam humectationem eam hic respicit, quæ cum fluore est, & vnde fluidæ res sunt. vnde de liquefactione hinc constituta asserit: quam concretioni opponit. Certum autem est concretionem, & dura, & mollia complecti, vt liquefactio opposita humida, ac fluida sola continent. Hæc pro explicatione Dubitationes verò in annotationibus, & quæstionibus quærantur.

CAPVT DECIMVM.

Posteaquam Aristoteles de exiccatione, & humectatione agit de concoctione & liquefactione agere aggreditur, sicut antea proposuerat cum de concretione agendum esset, prius de exiccatione tractandum posse. Iam ergo de ambabus affectionibus concretionis, & liquefactionis sermonem insti-

instituit. Tria verò de illis tradet, vel saltem cognoscenda exibebit: quænam sint, quæ concrescant, à quibus causis concrescant, & quomodo concrescant intesceret iam sermonem etiam de incrassatione, quam concretione seiunget.

Aristoteles. [Concrescunt autem quæcunque concrescunt aut aquæ existentia, aut terræ, & aquæ.] *Ar. t. 35.*

Commentarium. Primo itaq; loco Aristoteles quæ concrescant, adducit, & duplex eorum genus constituit. Quæ aquæ scilicet sunt, & quæ sunt simul terræ, & aquæ. Eget vtrunque membrum explicatione. Vel enim Aristoteles hic de prædominio solum agit, vel includit omnimodam etiam naturam. & rursus si de prædominio, vel in ordine ad omnia elementa agit, vel ad duo inferiora se restringit; declaro dicta. dicit quæ concrescunt alia esse aquæ, dubitatur vtrum intelligat esse aquæ puræ. aquam scilicet puram posse concrescere. vel intelligit esse aquæ ex prædominio. Si primo modo falsum esset dictum, nam cõcretio est passio misti, cuius solius est terminatio. Si primo modo est diminutus Aristoteles, nam etiam quæ terræ sunt ex prædominio concrescunt Secundo difficultas contra hanc eandem expositionem esset. quoniam secũdum membrum importaret æquale prædominium in eodem misto terræ, & aquæ; quod esse posse non videtur. nam prædominaretur simul (siccitas terræ, & humiditas aquæ) rursus dubitatur, vtrum comparentur solum duo elementa inferiora aqua, & terra, in præsentia an omnia; si restringit se ad duo illa, non affert omnia subiecta concretionis. quia ligna concreta sunt, & tamen sunt terræ; & aeris, vt infra in hoc ipso capite. Si ad omnia refert, etiam ad superiora comparationem totam non exprimit. adeoq; est diminutus in expressione materiæ suæ. In multiplici adeo controuersia sententiam meam, explicationemq; breuibus aperio. Quoad primam aquæ existentia secundum prædominium non simpliciter exponere debemus. Nam tamen in mistis solum habere locum concretionem, & terminationem vidimus. Et Aristoteles verbotenus id ipsum fatetur cap. 8. ibi propter hoc omnia terminata corpora hic non sine terra, & aqua. Sed nascitur dubitatio ex cometis etiam id genus alijs iuxta dictam in annotatione mea ad part. 76. in disputatione 9. quoad primam partem ratio asserti. posse scilicet cometas ex aere fieri sunt verò cometæ terminati cum figuram suam retineant. Ergo aer ipse terminatur. Huic dubitationi plures peripatetici respondebunt negando cometas ex aere fieri, sed ab exhalatione solum docet Aristoteles. Quod si admittamus posse etiam ex aere fieri cometam; tum aliter respondendum est hic agi ab Aristotele solum de corporibus terminatis, quæ circa vnum sunt, quæ scilicet sunt in hoc inferiore loco, & deorsum mouentur: iuxta annot. eandem ad tex. 76. §. tertium assertum probatur: sed cur Aristoteles dicit ea solum aquæ? respondeo eo modo dixisse hæc aquæ, quo antea species aquæ vinum, & serum vocauit quoniam scilicet tota ad sensum fluida sunt, & nihil habent consistentis, portio ipsa terrea inspersa nusquam apparet. vocat ergo aquæ aquam ipsam apud nos consistentem, quoniam nihil nisi aquæ in ipsa conspicimus. Vocat verò aquæ, & terræ, in quibus vtramq; naturam conspicimus, vt in luto dilutiore, & etiam in massa, atq; primæ dubitationi solo formides apponatur. Aristoteles intelligit ex prędominio non ex omnimoda natura. Verum prædominium aliud est in *87.*

misto

misto conspicuo, aliud est in misto penitus latente secundum primum prædominium, vocat Aristoteles aquæ in quibus nihil conspicitur. iuxta secundum prædominium, alia ex aqua, & terra esse asserit: cessant ex his duæ aliæ dubitationes. Ea etiam in quibus terra prædominatur concrescere, & non posse æqualiter prædominari terram & aquam. Cessat inquam hæc posterior non dicit Aristoteles esse ex aqua,& terra ea,in quibus æqualiter elementa ea prædominantur, sed ea in quibus vtrumq; elementum conspicitur, vtrum postea eorum prædominetur cessat prior. quoniam ea etiam in quibus terra prædominatur continentur in eodem membro. Sunt enim aquæ, & terræ tum ea in quibus terra prædominatur: tum eo in quibus prædominatur aqua dummodo vtrumq; elementũ in miscella sit conspicuum: Vtrum verò hic misto refertur ad sola inferiora elementa an ad omnia? respondeo referri ad inferiora solam, vt ad materiam terminationis, & concretionis, ipsa enim sunt quæ terminationem verè suscipiunt, & ex quibus gluten efficitur, quod gluten est solum eorum, quæ hic sunt, & huc ferantur mistorum. Est enim densatio, & gluten, id quod cometas continent eos præsertim qui aerei si ex solo aere darentur, essent.

Aristoteles. [Et hæc aut calido sicco. Quapropter & soluuntur contrarijs quæcunque soluuntur concretorum à calido, aut & frigido. quæ enim à sicco calido concreuerunt, ab aqua soluuntur, quæ est humida: quæ verò à frigido concreuerunt ab igne soluuntur, qui est calidus.]

88. *Commentarium*. Nunc ad causas transit concretionis vna & liquationis. Duas ergo causas concretionis ponit, si verba Spectemus alteram simplicem, alteram compositam, & complicatam ex duabus. simplex est frigus. Composita est calor siccus. in meo Alexandri codice est error impressionis. Habetur enim concrescere, quæ concrescunt, aut frigido, aut calido, aut sicco distinguendo calidum, & siccum, at ex progressu verborum eiusdem Alexandri legendum est, vt in litera Aristotelis coniunctè à calido, & sicco, non autem disiunctè aut à calido, aut à sicco. Licet hoc modo legat Caetanus Then. imò antiqua versio, vt testatur etiam Suessanus qui eandem lectionem tribuit Alexandro, vt eadem impressione sit is etiam fortè vsus. Careo codice græco nunc Alexandri. at certè expositio eius non sequitur nec redolet eiusmodi lectionem. Vnde hanc propositionem, huncq; numerum causarum desumpserit Aristoteles ab experientia, ne & obseruatione, an à ratione à signo considerandum est. Alexander in hanc secundam opinionem abit videmus scil. a contrarijs inquit frigidi, & à contrarijs calidi sicci. Nam ab aqua soluuntur, quæ à calido sicco concreuerunt. vt sales in aqua soluuntur: sales verò à calido sicco concrescunt. Est verò humido aqua, adeoq; opponitur calido sicco ratione siccitatis, at quæ à frigido concreuere (vt scilicet glacies) ab igne soluitur, qui calidus est. At ego potius credo ab obseruatione hæc sumpsisse Aristotelem. Ratio enim hæc à signo claudicaret nisi obseruatione niteretur, arbitrorq; non pro ratione hæc adduci, nunc de solutione à contrarijs, sed pro Corellario, vt vna cum causis concretionis constent liquationis. Causæ vt in calce capitis præcedentis dixit eas vnà constitutas. Experientia ergo ipsa docet aliqua à frigore concrescere, vt aqua dum in glaciem cogitur, à calido etiam sicco videmus alia concrescere, vt scilicet concrescit autem à calido sicco: quoniam à calore humido non concresceret. ab

ret. ab aqua enim calida non concrescit sal, sed soluitur, at à calore sicco, ab æstu scilicet, caloreue solis æstiuo. aqua in salinis in sal cogitur artificiati etiam sales in alembicco à calore sicco ignis ex rebus varijs extrahuntur. At hic dubitationes oriuntur admodum vrgentes, & de dictis ab Aristotele, & de ommissis, de dictis verò est qua ratione nunc inter causas effectrices concretionis ponat siccitatem, quæ est qualitas passiua, superiusq; solum inter causas materiales sit numerata? De ommissis autem est dubitatio cur cum calori ad concretionem adiunxerit siccitatem non etiam adiunxerit frigori siquidem frigus humidum nō videtur operare concretionem, sed solum frigus siccum; Cęlo enim pluuio etiamsi hyberno tēpore non fit glacies, sed sereno Cælo, & siccis aquiloni flatu. Secundo dubitatur, estq; dubitatio Vallesij cur pro duabus causis concretionis frigore scilicet, & calore sicco tres simplices non distinxerit frigus scil. calorem, & siccitatem cum siccitas ipsa per se sit causa exiccationis. augetur dubitatio. Si enim erant adiungendæ causæ complicatæ quinq; erant enumerandæ scilicet frigidum, calidum, siccum, posteaq; complicando frigidum siccum. Et calidum siccum: primæ dubitationi satisfacit Caetanus, & Suessanus pariter. Siccum causam esse concretionis per accidens, non repugnant verò hæc inter se; non esse siccitatem causam scilicet per se, & esse causam per accidens concretionis. at contra solutionem facit quoniam causa per accidens non attenditur. sicut etiam humidum erit causa per accidens, nam dum terra sicca ab aqua infusa liquidior redditur amplius disponitur, vi à superueniente frigore congeletur. Buccafereus com. 36. dicit siccum esse causam instrumentariam, & secundariam non scilicet principalem. Hic ergo causam asserit, vt instrumentalem supra negat, vt principalem, & primariam, at dubitat ipsemet contra suam solutionem eo, quod etiam humiditas causa instrumentalis, & dubitationi cedit, concedit inquam pari rationi esse causam concretionis humiditaem, atq; siccitatem. defendit autem ommissionem humiditatis quòd satis Aristoteles sit esse has qualitates humiditatem, & siccitatem causas secundarias, quæ defensio Aristotelis est simulata defensio, at vera repræhensio vnde ipsemet dicit. Si quis hoc obijceret Aristoteles futuram esse difficilem redargutionem. Pomponatius dupliciter soluit, ac vt quoquo pacto defendat Aristotelem cui tamen hac in re ex animo non credit prima solutio est, vt plurimum esse passiuas siccitatem, & humiditatem, at in aliquibus etiam esse actiuas. Secunda est siccum non habere proprium modum agendi, ac habere propriū modum actionis quatenus retinet humidum, & hoc est agere. at cum neutri solutioni Pomponatius aquiescat, non est cur conemur refutare, quæ non placent authori ipsimet. Meam hac de re sententiam supra in annot. ad part. 85. indicaui. quam nunc vt præsenti controuersiæ applicatur amplius declaro. Siccitas, & humiditas non agunt per modum alterationis in disiunctum mistum ipsæ per se vt ibi dixi. at modo subiungo, vt adiungantur caliditati, & frigiditati modificando earum actionem agere. Indeq; Aristoteles non disiungit caliditatem, & siccitatem, vt duas causas, sed in vnam coniungit,

Caetani solutio.

Buccaferei solutio

Pōponatij.

Authoris.

[*Quapropter & soluuntur contrarijs quæcunq; soluuntur concretorum.*]

Alexander hæc ad probationem prioris assertionis suscipit: at perlstoin mea expositione iungit nunc causas liquationis causis concretionis eo, quod

dixerit

dixerit concretionem, & liquationem simul iri explicatum liquatio ergo solutionem concretorum fit à contrarijs causis, quam contrarietatem causarum explicat aliqua concrescunt à calido sicco: aliqua à frigido: quæ à calido sicco concreuerunt, ab aqua soluuntur, vt sales, vt lutum. Est autem aqua, vt humida contraria calido sicco, qua siccum est. Quæ verò à frigore concreuerint, soluuntur à calore, vt glacies ab igne, & sole. causas itaq. duas liquationis enumerat humiditatem, & calorem. quarum humiditas corporea sui mistione soluit concreta, in quę penetrare queat. at

Dubitatio. calor se ipso, & alteratione absq. mistione soluit, ac obijciet quispiam salem etiam solui ab humido, & frigido aere absq: vlla aquæ commistione, vt pateat aeris humiditatem sola alteratione liquare sales, ac soluo.

Solutio. vapor ipse humidus in leuem salis superficiem incidens rorescit aqua factus, & soluit sales non secus atq: videmus in leni marmoris superficie densari insidentem aerem in guttas, dum in loco opaco sit marmor, & humidum sit, ac frigidiusculum Cælum. Soluitur hinc etiam dubitatio, quomodo Aristoteles nunc pro causa agente ponat humiditatem, quam solum passiuam qualitatem asserebat. Agit enim & soluit mistione, & corpulentia non qualitate sola, ac alteratione.

Aristoteles. [Concrescere autem quædam vtiq. putabuntur ab aqua,
„ vt mel elixatum. Concrescunt autem non ab aqua, sed ab eo, quod in
89. „ ipsa est frigido.]

Commentarium. Dubitationi hic tacitæ occurrit. Videbitur enim fortè inter causas concretionis etiam reponendum humidum cum aqua concrescere appareat mel elixatum in eam iniectum, ac soluit Aristoteles concrescere ab aqua elixatum mel ratione frigiditatis eius non scilicet ratione humiditatis. De hac concretione melis ab aqua duplex dubitatio nascitur prima est vtrum de aqua frigida, an de aqua calida verum sit. Secunda est num Aristoteles petat in probatione, quam adducere ex eiusmodi concretione videtur. Quoad primum Buccaferreus de aqua frigida verum interpretatur dictum Aristotelis non de calida, & prior idem dicit Aphrodi-

Vallesij. seus „ mel, inquit, elixatum aqua frigida congulat, at Vallesius dicit in aqua calida mel concrescere non in frigida verba sunt. Nam mel in frigidum iniectum non densatur „ Licet neque velit à calida concrescere nisi ratione caloris quocirca in hæc verba concludit. „ Non ergo ab aqua den-

Cõfutatio. satur mel, sed ab igne „ At Vallesius valdè labitur, & in re obuiæ experientiæ sese præbuit indiligenter. Mel concoctum in aquam frigidam inijciatur velociter concrescit vsq; ad indurationem. Si super lapide frigido ponatur induratur quoq; sed non æquè celeriter. Si in aquam calidam demittatur ad conspissationem solum cæræ calefactæ deuenit, quæ non est concretio, sed conspissatio infra concretionem. Noto vero esse mel ab aqua tollendum statim post concretionem secus ibi permanens rursus liquesceret. vera igitur dicit Aristoteles & de aqua frigida est exponendus, & in ea mel concrescere ratione frigoris non natione humidi, demonstrat alia experientia lapidis super quo positum concrescit dum sit is frigidus: certum verò est lapidem ratione frigoris tum agere non ratione humidi, quod abest ab eo, vt doctrina Aristotelis experientiæ, ac veritati respondeat. Interim noto multorum in exponendo Aristotelem hic errorem. Alberti, Caet. & Vallesij interpretantur, Aristotelem hic intelligere mel

concre-

concrefcere ab aqua, in qua elixatur, & dum elixantur. & mellis hic elixatio eft concoctio mellis abfq; aqua, quę ob ingenitam mellis humiditatem elixatio dici poteft cum ea tamen improprietate cum qua, & elixationem, & alias concoctiones fæpè fumi profitetur ipfemet Ariftoteles, mel verò ita concoctum (vt fcilicet communiter coquitur, & defpumatur) pofitum in aqua frigida durefcit, & ita intelligit Ariftoteles, ceffantq; hoc modo difficultates quomodo aqua calida in qua mel elixetur fit frigida; & cæteræ, quæ torquent eiufmodi expofitores. Mel fi in aqua ponatur ad ignē liquefcit, & cum aqua dilabitur, fitq; hidromes. Non autem cogitur, etiam frigiditas, que indurat mel eft frigiditas actu, non virtute. Quoad dubitationem de petitione: refpondendum non induci hic probationem ab Ariftotele, fed obiectioni refponderi. inter caufas concretionis non repofuit humiditatem, at videntur aliqua etiam ab humiditate concrefcere, quoniam mel elixatum ab aqua concrefcit. Refpondet ergo inftando confequentiæ vel maiori, fi cathegoricè refoluatur ratio: erit enim quæ ab aqua concrefcunt ab humiditate concrefcunt; Aliquid ab aqua concrefcit: Ergo aliquid ab humiditate concrefcit; refpondet inftando maiore, poteft enim concrefcere à frigore id, quod ab aqua concrefcit; non neceffario ab humiditate.

Ariftoteles. [Quæcunq; igitur funt aquæ, non concrefcunt ab igne: „ Soluuntur enim ab igne. Idem autem eidem fecundum idem non eft cau„ fa contrarij. Amplius, dum abfcedit calidum, concrefcunt: quare palam 90.
„ quod dum ingreditur, foluentur: quare agente frigido concrefcunt.

Commentarium. Quæ fint concretionis caufæ in vniuerfum edocuit. *Cap. præc.* nunc fingulis crafibus rerum fuas caufas accomodat. Prima ergo de illis agit, quæ funt aquæ. Ea verò aquæ effe nunc intelligit, quæ aqua funt, vel fpecies aquæ, quas fcilicet fpecies aquæ fupra memorauit. aquam tamen non intelligamus puram, fed quam videmus, & quæ in rerum natura reperitur actu non autem in idea concipitur: hæc aqua, & fpecies eius non concrefcunt à calido, fed à frigido. Hoc ergo eft præfens Theorema, quod duas partes habet non concrefcerè à calore, quæ eft prima pars, & concrefcere à frigore, quæ eft fecunda pars primæ partis, ergo duas probationes affert. Prima eft. Quoniam foluuntur ab igne à calido, fcilicet natura etiam à fole foluuntur, idem autem eidem fecundum idem non eft caufa contrarij vt fit ratio. Quæ foluuntur à calore, non concrefcunt à calore. Idem .n. eidem, &c. quæ funt à calore. Ergo quæ funt aquæ non concrefcunt à calore, fecunda ratio. Quę abfcedente calore cõcrefcunt ab ingrediēte calore foluuntur. Quæ funt aquæ abfcedente calore concrefcunt. Ergo quæ funt aquæ ab ingrediente calore foluuntur. vocat hic caloris ingrefsū cum calor agendo in rem fubiectum caliditatem in ea excitat. Non ergo à calore concrefcere, quæ aquæ funt Ariftoteles duabus rationibus. deinceps fecundam partem Theorematis confirmat à frigoris actione concrefcere: de duabufq; rationibus, hanc quoq; probat prima nititur ratio pofito in initio huius capitis principio. Quæcunque concrefcunt aut frigido, aut calido ficco concrefcere. At quæ fint aquæ non concrefcere à calido (ficco nempe) monftrauit. Ergo quæ funt aquæ concrefcunt à frigido. Principium autem. Idem eidem fecuudum idem non eft caufa contrarij. tex. 56. 2. de gen. & int. fermè habetur his licet alijs verbis idem fimiliter

fe ha-

se habens semper natum est facere idem, & tex. 53. 8. phis. dicitur idem, vt est in contrarijs locis, & formis præstat contrariè, vt moueantur res.

Aristoteles. [Quapropter & non incrassantur talia concreta. Incras-
„ satio enim humido quidem abeunte fit. Sicco autem consistente. Aqua
„ autem humidorum non incrassatur sola.]

91. *Commentarium*. Hæc est secunda ratio ad demonstrandam eandem partem Theoremmatis à frigore concrescere aquea, quoniam non incrassantur concreta aquea. Eritq; ratio. Concreta à calore incrassantur. Concreta aquea non incrassantur. Ergo concreta aquea non sunt concreta à calore. Confirmat rationem hoc prosyllogismo quoniam incrassatio fit abeunte humido, & consistente sicco. Quæ ratio videtur esse probatio minoris. quasi scilicet argumentetur. In ijs, quæ incrassantur exit humiditas, permanet siccitas. at in aqueis id non accidit. Cum nulla scilicet sit siccitas. Ergo Aquea non incrassantur, atq; ita rationem inducit Aphrodisiensis. At fortè alius inducet. In ijs, quæ incrassant exit humiditas. at humiditas non exit nisi à calore aperiatur aditus, & educatur. Attamen hæc ratio non haberet vim penes etiam Aristotelem qui à frigore exiccari res fatetur, eo quod coactus à frigore calore calor exit, & humiditatem secum ducit. Primam ergo structuram suscipiamus. [Aqua autem humidorum non incrassantur sola,] Hæc propositio duplicem potest habere sensum vel quod inter species humidorum aqua vna non incrassatur, vel quod aqua ipsa per se absq; mistione rei siccæ incrassari nequeat. Vtroq; modo vera est propositio. dum aqua ad eius etiam species extendatur vrinam vinum resinam ad differentiam olei, & id genus aliorum aqua non incraslatur etiam vera est. Secundo modo siquidem nisi aliud siccum admisceatur vltra terrea ramenta, quæ inspersa continet non potest incrassari ob eiusmodi ramentorum paucitatem, seu subsidentiæ, vt vocat Aristoteles. vtraq; etiam expositio videtur nunc accomodari sententiæ Aristotelis posse. At secundam multi suscipient ex sequentibus verbis quæcunq; autem [communia terræ, & aquæ] quasi mox (sola) respondeat voci [communia terræ] proindeq; significet depurationem, & puritatem, & nos hanc eandem propositionem eodem modo exposuimus supra part. 55.

Quid incrassatio, & concretio.

92. Com. 30. Videamus nunc quæ differentia intercedat inter concretionem, & incrassationem. Vicomercatus itaq; describit concretionem hunc in modum concretio est rei liquidæ, aut mollis induratio quædam, quæ calore, aut humore à re abeunte efficitur calore quidem exitu si à frigore profesfatur: humoris si ab igne, aut corpore calido. Crassationem vera dicit esse. mutationem eius, quod est tenuium partium in substantiam magnarum partium At in neutra descriptione mihi probatur in descriptione sanè concretionis repugnat Aristoteli, sibiq; ipsi paucis antea verbis. Nam com: ipse suo 43. vna cum Aristotele apertè fatetur. Concretum aliud esse durum, aliud esse molle. Falsum ergo est, quod nunc in descriptione asserit concretionem esse indurationem, concretumq; ad durum restringit. In descriptione pariter crassationis non laudo, mutationem in substantiam quasi omnis incrassatio sit cum mutatione substantiæ, ac oleum cum à frigore incrassatur substantiæ nullam mutationem patitur. Prętecet sit

rea glacies partes maioris habet aqua, & tamen non est crassior aqua licet sit concreta Aristoteles ipsemet in hac particula nos id docet dum dicit aquea concreta non incrassari. Vallesius crassitiem remouet substantiam partium. Concretionem quam densationem vocat in angustia pororum sicut rarietatem in amplitudine pororum verba sunt. „ Nam raritas, in-
„ quit, aut densitas consistit in amplitudine, aut angustia pororum. Cras-
„ sities, aut tenuitas in propria partium substantia, quę ex aerea facta
„ sit aquea, aut terrea, aut denique ad crassiorum elementorum natu-
„ ram inclinans. „ Quę quoque explicatio incrassationis eandem subit obiectionem, quam patitur Vicomercatus quoad concretionem autem primo male eam cum densationem confundit, deinde nescio an sit admodum verum glaciem minores poros quam aquam habere cum contra videatur aqua magis in se ipsam considere. At certè concretionem angustia pororum non constituit. nam se accerrimè contingant partes, at non sit gluten vllum non erit concretio ex cap. 8. nulla enim erit terminatio, ac omnis terminatio concretione fit cap. 9. Ego itaq; aliter differentiam inter incrassationem declaro. Iam dixi Aristotelicum, & verum dogma esse in Iria distingui omnia corpora in mollia dura, & fluida quorum duo priora corpora sub corpore terminato sunt. Incrassatio itaq; cum à concretione distinguatur neque durorum est corporum, neq: mollium, vt necessario, sed fluida corpora pertineat; expiscanda est nunc differentia qua fluida ad crassa redigantur. Primo vero rem determinemus phantasma incrassionis exhibendo. Est id in oleo dum constringitur à frigore, non enim est ea concretio, sed est incrassatio ex Aristotele insit in hoc eo cap. incrassatur etiam pulmentum dum concoquitur sicut etiam mustum, dum in sapam coquitur, demum omnia, quę concoquuntur crassiora redduntur ex superioribus. nullum ex his terminatum est, neq: scilicet figuram suam retinet, sed figuratur ab ambiente fluorem tamen consistentiorem consequitur ab initio habuerit, & quam aque fluor sit, eiusq: specierum, aer non & olei nonnisi astricti gelido ab aere. Si ergo hinc definitionem assignemus dicendum erit. incrassationem esse coactionem humorum in corpulentiorem naturam, dum adhuc fluorem retinent. Vel aliter esse coactionem humorum in corpulentiorem naturam infra terminationem. at quoniam corpulentior natura, & crassior idem videri potest. contrahamus hunc in modum dicendi definitionem incrassatio est mutatio humoris in consistentiorem infra gradum terminationis; hoc itaq; modo incrassatio, neq: ad mollitudinem efficiendam perueniet, neque & multò minus ad duritiem inducendam consistentior autem significat minus fluidum. at verò vox consistentię magis exprimit notionum incrassationis. Colligimus hinc incrassationem fieri eo, quod humoris aliquid excernatur: siccę verò partes,, quę in re sunt magis in metalla emineant hoc exprimunt verba Aristotelis. Incrassatio enim humido quidem abeunte fit: sicco autem consistente: Verum consistentia, quam nunc dicit Aristoteles ex his. quę modo habuimus, declaratur. Est consistentia quidem, sed infra gradum terminationis. Secus etiam terminatio, & concretio, quę saltem à calore fit per eductionem humoris, & consistentiam sicci. At dum ita dicimus non satis rem explicamus implicamus fortè, nam ita videretur quicquid concrescit ex fluido incrassare prius necessa-

rium

rium enim quisq: credet priusquam ex quicquid concrescit incrassabitur etiam contra Aristotelem, qui dicit aliqua concrescere, vt fictilia, & non incrassari. adijciamus dicam postremam est maiorem, consistentiam aliam aquiri cum glutine aliam sine glutine, & hanc esse incrassationem hinc mihi videtur cessare difficultas Pomponatij, qui dicta hac in distinctione Aristotelis pro declaramentis habet.

Aristoteles. [Quæcunq; autem communia terræ, & aquæ, & ab igne
„ concrescunt, & à frigido: incrassantur autem ab ambobus. Est quidem
„ vt eodem modo: est autem vt aliter; à calido quidem humidum educente.
„ euaporante enim humido incrassatur siccum, & consistit. à frigido au-
„ tem calidum exprimente, cum quo coeuaporante humidum simul re-
„ cedit.]

93. *Commentarium.* De aqueis à quo concrescant, & soluantur preterea vtrum incrassentur iam disseruit: nunc ad secundum genus rerum transit, quę sunt communes terrę, & aquę deq: his duo Theoremmata tradit. tertium est: Concrescere ipsas à calido sicco (ab igneis dicit) & à frigido. secundum est. Incrassari easdem res ab ambobus à calido scilicet sicco, & à frigido. Declaremus singula Theoremata. Subiectum ergo Theorematum hoc est, quę sunt terrę, & aquę communia cum opponantur membro eorum, quę sunt aquę, accipi debent pro ijs, in quibus aqua, & terra reperiuntur, & commiscentur. dico commiscentur ad differentiam aquę huius nostratis in qua est terrea portio, sed inspersa non commista nimirum per iuxta positionem non autem per commistionem. Hęc ergo omnia tum à calido sicco concrescere; tum à frigore asserit: hoc de luto constat. Tum .n. congelatum riget. Tum ab æstiuo sole cogitur in multam duritiem. Item fictilia primo à frigore consistunt. Postea in fornace ab igne indurantur excocta. At hic dubitatio nascitur, nam vox: Quæcunq; indicat distributiuè, & vniuersaliter dictum de omnibus mistis ex aqua, & terra, inter quæ sanè sunt metalla, & tamen metalla à frigore coguntur, at non à calore, à quo liquantur, vt de plumbo præsertim, & de stamno patet, sed aurum quoq; & argentum liquantur ab auris cibus, à campanarum structoribus æs, & reliqua metalla funduntur. Vel ergo vniuersalitatem tribuimus, & falsum est Theorema, vel vniuersalitatem negamus, & voce (quæcunq;) abutitur Aristoteles alia præterea est dubitatio. Nam iuxta eandem vniuersalitatem. Et iuxta particulas coniunctiuas prædicati sensus est singula musta ex terra tum à calore, tum à frigore concrescere. Verum sensui eiusmodi repugnat particula aduersatiua (autem) in sequenti Theoremate. Incrassantur autem ab ambobus. importantautem eiusmodi aduersatiua concretionem non fieri ab ambobus. Est tertia dubitatio de secundo Theoremate cum enim videatur ab Aristotele sub eadem vniuersalitate pronunciari. Tamen ipsemet postea vniuersalitatem negat cum mollia concrescere non incrassari subiungit. Sunt tamen mollia, & ipsa mista ex aqua & terra. Respondeo præfinitiones huiusmodi vniuersales omnes; quicunq; 4 in numero singulari distributionem semper importare, at in plurali numero modo distributionem importare modo collectionem. Cum dicimus omnes Apostoli sunt duodecim est sensus collectiuus cum dicimus omnes Apostoli sunt Sancti est sensus distributiuus. In præsentia ergo possumus dicere quæcunq; communia terræ,

Dubitatio prima.

Dubitatio secunda.

Dubitatio tertia.

terræ, & aquæ à calido & frigido concrescere in sensu collectiuo proferri, significariq; vniuersitatem eiusmodi mistorum in se habere quæ à calore, & quæ à frigore concrescunt contraquam aquea quorum nulla à calore consistunt, sed omnia à frigore. Quoad secundum dubitationem dico (autem) non aduersari quatenus ab vnaq; qualitate concretio fit, sed quatenus incrassatio cum fiat, & ipsa à calido, & à frigido fit tum eadem ratione, tum diuersa subiungit. Ad tertiam dicitur iam cessare, non enim in sensu distributiuo ponitur primum Theoremma, vnde neq; secundum ponitur, at in alio sensu satis est. Si in vniuersitate mistorum contineantur quæ incrassentur à calido, & frigido. Certum sanè est, non omnia, quæ terræ, & aquæ sunt incrassari cum mollia non incrassentur, vt mox dicet Aristoteles, & mox cum eo explicabimus.

Est quidem, vt eodem modo est, vt aliter.

Declarat quomodo idem effectus incrassationis à contrarijs causis calore, & frigore procedat. Declarat ergo id fieri & eadem ratione, & diuersa. Eadem quidem ratione quatenus ab vtroq; contrario incrassatio procedit recessu humidi, at diuersa ratione quatenus calor humidum educit ipse per se. at frigus non educit humidum nisi vt calorem exprimit, quem ideo euaporantem sequitur humor. at quomodo calor educit per se humorem antea declaraui q. 8. in hunc librum. Solum est esse tollenda dubitatio, quæ ex ibi dictis nascitur. ibi enim monstrauimus à calore externo præripi pabulum ante eductionem caloris interni cum solum calor est combustiuus. At calor incrassans non est combustiuus. Ergo non rectè hic Aristoteles calori incrassanti tribuit eductionem pabuli immediatam. Et si dicamus non tribuere immediatam eductionem, vt explicare videtur Alexander. Nulla erit differentia assignata ab Aristotele inter calorem, & frigus incrassantia, si etiam calor prius eliciat calorem internum, & is exiens ducat humidum, idem enim tribuit frigori quod exprimat calorem, & is coeuaporans ducat humidum, vt patet in litera. Fateor hunc locum valde facere pro illis. qui volunt calorem externum immediatè agere in humorem internum, non in calorem internum, de qua sententia supra egimus retinendam tamen sententiam antea expositam dicimus differentiam non in eo consistere, quod frigus per eductionem caloris educit humidum, nam etiam calor externus idem facit. Sed quoniam cum quadam violentia educit calorem frigus. at calor naturale quodam ductu educit. significat violentiam Aristoteles verbo illo exprimente quasi extrudente, nam frigus auget quidem calorem cogendo sicut auget eundem internum calorem calor externus alterando ad nouum incrementum, & nouis gradibus impressis, at frigus constipat superficiem simul corporis, vt quasi claudat viam exeunti calori, quam sibi vi quadam aperire cogatur: nisi etiam dicamus calorem externum ex interiore quadam naturæ humorem internum educere pro suo pabulo quantum ab interno educto non absumitur. at frigus nullatenus pro pabulo dicit humidum; eo enim nullo modo pascitur. Noto Buccafnrreum interpretari hæc postrema de concretione non de incrassatione, at verba Aristotelis de incrassatione manifesto sunt ibi, euaporante enim humido incrassatur siccum.

Aristoteles. [Quæcunque igitur mollia, sed non humida, non incrassantur, sed non concrescunt exeunte humido, velut assatum fictile. Quæ-

„ cunque aut mistorum humida sunt, & incrassantur veluti lac. Multo au-
„ tem & humectantur primo: quæcunq; aut crassa, aut dura à frigido præ-
„ extiterint, quemadmodum & fictile primo dum assatur euaporat, &
„ mollius fit, quamobrem & inuertitur in fornacibus.]

94. *Commentarium*. Quæ aquea sunt non incrassari; quæ terræ, & aquæ incrassari dixerat, at quoniam non est hoc vniuersale, vt quæcunque sint aquæ, & terræ incrassentur ideo distinguit, & quæ ex illis incrassantur, & aquæ non incrassantur. Primum ergo Theorema est exprimens, quæ terræ, & aquæ existentia non incrassantur. est. Quæcunque sunt mollia non autem humida non incrassantur, patet ratio dicti ex proximè dictis part. 91. Incrassatio ad minorem consistentiam, quam mollitiei perducit. Vnde mollia dum ad maiorem consistentia perducuntur pro eo, quod crassescit indurantur. Hic est enim gradus vnus consistentiæ maioris, quam mollium. Dictum ergo Aristotelis hoc est planum, dum constat verò quid sit incrassatio. At qui in eius notione erant torquentur ex hoc dicto, vt Vicomercatus, qui etiam ea dicere cogitur, quæ parum subsistunt: at non vacat omnia examinare. Probat ergo Aristoteles dictum expositione fictilis quot molle cum sit dum assatur concrescit, indurescit autem & solidatur: At duo dubia in litera Aristotelis oriuntur. Primum est quomodo Aristoteles dicat mollia non humida, cum in secundo de gen. & corr. molle inter humidi species reposuerit? respondeo humidum in sua vniuersitate prædicare etiam de molli. at eo in sensu, in quo sumpsit Aristoteles in cap. 8. & sumit in hac parte pro fluido scilicet quod cedit secundum superficiem, & circumobsistit, in hoc ergo sensu molle non est humidum, & ita nunc loquitur Aristoteles. Secundum dubium est quomodo dicat Aristoteles mollia concrescere, sunt enim mollia iam concreta, at non concreta non concrescunt. Respondeo negando concreta non concrescere, sicut etiam falsum est calidum non posse calefieri; in ijs enim quæ suscipiunt magis, & minus cum nouos gradus qualitatis acquirunt, dicuntur alterari eadem secundum speciem alteratione, quam passa erant, sed tamen gradum inferiorem. Secundum Theorema est quæcunq; mista sunt humida incrassantur etiam, hoc est nedum concrescunt, sed etiam incrassantur. Probat inducendo lac. Lac enim dum concoquitur sine congulo incrassatur · vnde lac aliud alio dilutius cernitur, vt aliud alio concoctus, aut minus concoctum fuerit. Concrescunt etiam hæc ipsa, vt de lacte imposito congulo patet. Multa autem hic primi, quæcunque aut crassa, aut dura à frigido, &c. Nunc modum concretionis, quæ ab igne illis superuenit, quæ à frigore prius aut incrassata sint, aut concreta exponit. Hoc subiuncto Theoremate quæcunq; mistorum præextiterint crassa, aut dura à frigido. Primo humectantur, & sensus est Theorematis eorum, quæ communia sunt aquæ, & terræ [hoc ipsum vix mista significat] & paucis à frigore, aut incrassata, aut concreta fuerint, & postea à calore debeant nouum concretionis gradum suscipere prius quam concrescant à calore ipso humecta redduntur. Probat expositione vtens fictilis, rationemq; adhibens duplicem à priori primam à posteriori secundam. Fictile ergo primo consistentiam suscipit à frigore, cui exponatur aplasse prius quam in fornace ponatur. Fictile verò primo humescere in fornace, quam assetur, probat à priori quidem quoniam, quod scilicet in conco-

ctione

ctione fornacis absumi debet prius euaporare necesse est qua ex euapo atione fit, vt humectat fictile. hæc est ratio à priori. Secunda ratio à posteriori,, & ab effectu est quoniam vasa eiusmodi à plaste facta interdum in fornace distorquentur a figura, quam plastes dederat, at quæ distorquentur humecta esse oportet, flexibile enim est, quid distorquetur; & flexibile est humidum.

Aristoteles. [Quæcunq; igitur à frigido concrescunt communium
„ terræ, & aquæ: plus autem habentium terræ, quæ quidem quia calidum
„ egreditur concrescunt hæc liquefiunt calido, ingrediente rursus calido ve-
„ luti lutum cum concretum fuerit. Quæ autem refrigerationem, & cali-
„ do coeuaporante omni (hæc insolubilia sunt nisi exuperante calore) sed
„ molliuntur, vt ferrum & cornu.]

Commentarium. De concretione dixit nnnc de liquatione sermonem interserit, primoq; de solutione eorum, quæ concrescunt frigore postea loquitur de solutione eorum, quæ concrescunt calore, nunc ergo de ijs agit, quæ concrescunt frigore, quorum duo membra facit satis inter se expressione propinqua, quæ idcirco multa cum diligentia sunt disting uenda. Primum membrum ergo est eorum, quæ concrescunt frigore, quia calor exit. Secundum est eorum, quæ concrescunt propter refrigerationem, quoniam calor vniuersus coeuaporat; vtrunq; autem membrum est eorum, quę sunt communia terræ, & aquæ, plus autem habent terræ, quæ primi membri sunt, solui dicit à calore, quę secundi membri dicit esse insolubilia. Cum verò prædicatis contrarijs subijciantur quæritur quæ differentia inter eorum subiecta intercedat, cum ambo à frigore concrescere dicantur & ex ambobus calor exeat. tres modi dicendi penes interpretes sunt qui Alexander & qui cum facit in participio coeuaporante quo in secundo membro vtitur. Exponit ergo in primo membro calorem euaporare, at non simul educere humidum vt idcirco magna pars humidi supersit in misto, quod humidum ab externo calore se in mistum insinuante soluitur. At in secundo membro calor cum humido euaporat id quod significat coeuaporat, quam dicit Aristoteles. Cum ergo humor abierit insolubile mistum redditur. Caetanus, & alij multi vim faciunt in præfinitione omni, quæ in secundo membro ponitur [& calido coeuaporante omni], vt scilicet in primo membro non euaporet omnis calor. In secundo euaporet omnis. At Vicomercatus vim facit in differentia tia inter frigus à quo dicit concretionem fieri in primo membro, & inter refrigerationem à qua dicit fieri in secundo membro: quasi concrescere à frigore importet frigus ipsum esse effectricem causam. At concrescere à refrigeratione dicantur à quibus cum calefacta prius fuerint, posteaq; refrigerata calor ipsorum suopte nutu expiret. Eiusmodi sunt ferrum, & cornu. Hæc enim prius si calefiant deinceps refringerentur eorum calor ex illis totus euaporat, & insolubilia, illiquabiliaue inde redduntur. Hæc est Vicomercati expositio, Sed omnes expositiones difficultates patiuntur non leues. Expositio quidem Alexandri nam ex ea fieret, vt ferrum omni humore spoliatum esset, at metalla sunt aquæ, seu in metallis aqua preualet tertio libro horum. præterea quæ molliuntur quomodo omni humore destituta esse possunt? Expositio secunda Caetani repugnat exemplis Aristoteles nam si omnis calor expirasse debet potius ille expirauerit

rauerit, quod in primo membro cuius exemplum est lutum congelatum; quam ferrum, & cornu: nam si cunde totus exit calor, certè ex glacie, & ex gelatis exit. nam autem ex misto terminato, quale ferrum est & cornu. Tertia expositio Vicomercati eandem difficultatem patitur: vult enim ipse quoq; quæ perfrigeratio concrescunt; totum ex illis calorem abire. Ego (fateor) hæreo in loci expositione, quæ etiam 12. infra capite de concretili etiam inconcretili dicet non satis his corona videntur esse. Sed in sequentibus fusius. Hic interim dicit, quæ in primo membro collocat calido liquefieri vt lutum gelu astrictum. At quæ in secundo membro esse insolubilia, nisi calor exuperet molliri autem vt ferrum, & cornu, quæ adducit pro expositione, & inductione ad confirmandum dictum suum. Declarandum autem hic est illam exceptionem (nisi exuperante calore) cuius sensus est. caloris efficaciam adeo intendi posse vt ferrum, & cornu, & omnia liquet. Fictilia enim vsq; liquantur, & funduntur. vt in chymicorum operibus patet. Vitrarij quoq; cinerem, & saxa fundunt pro vitro. de calore ergo summæ potentiæ non loquimur cum illiquabilia aliqua à calore dicimus. at de calore consuetæ potentiæ. dico verò potentiam non gradum. quoniam ignis omnis est summi gradus, sed non summæ potentiæ. ab igne ergo impositum ferrum mollitur non funditur: at ab igne dum potentia eius summæ intenditur ferrum, vel appositum funditur.

Aristoteles. [Liquescit autem, & elaboratum ferrum, ita vt humidum
» fiat, & iterum concrescat, & stomomata faciunt sic. Subsidet enim &
» purificatur subtus recrementum. Cum autem sæpè patitur, & purum fit
» hoc stomoma fit. Non faciunt autem sepè ipsum: propter ea, quod de-
» finitio sit multa, & pondus minus purificato. Est autem melius ferrum,
» quod pauciorem habet purificationem.]

Commentarium. Subijcit hic Aristoteles declarationem proximi dicti de ferro sui. Dixit ferrum non liquari nisi à superabundante caliditate nunc declarat id esse verum de ferro non purificato. Nam purificatum ferrum ad id deuenit, vt appositum igni soluatur non secus scilicet quam plumbum, & stamnum, vel non multo saltem difficilius stomoma hic vocat Aristoteles, quod chalybem dicimus, & vuulgo acciaio fit stomoma cum ferrum repurgatur subsidenti recremento quod nos spumam vocamus vulgari lingua scilicet *schiuma* latini verò scoriam appellant. Ferrum ergo ita repurgatum ad ignem funditur, & liquescit. Digreditur autem cur non frequenter purificetur ferrum. Causa verò est quoniam ex puri-
161. ficatione multum ferri, multumq: ponderis deperit, damno itaq; est artificibus, mercatoribusue purificatio. Ita ego exponendo duco Aristotelem, vt stomoma sit liquabile ab igne, licet non ad summam potentiam arte euecto. Contraquam cum ferrum nondum purificatum esse perseuerat. At Alexander intelligit stomoma nonnisi ab exuperante calore liquari quasi ferrum nondum purificatum, ne à calore quidem summè incenso secundum potentiam liquari nequeat. Quod tamen est falsum, adeoq; expositio reijcienda. Liquatur enim ab exuperante calore etiam ferrum non purificatum immo, & vena liquatur ex qua ferrum extrahitur.

Est autem melius ferrum, quod pauciorem habet purificationem.

Exponit Alexander de ferri purificatione per artem, vt quod purificatum amplius

amplius est, melius fit minus purificato, neq; ego id nego, sed arbitror. verum etiam esse de ferro secundum naturam suam, nimirum vena minus recrementi obtinente, vt fit melius id ferrum eo, quod ab ortu itidem amplius recrementi obtineat.

Aristoteles. [Liquescit autem, & lapis Pyrimachus, vt stillet, & fluat. „ quod autem concrescit, cum fluxerit. iterum fit durum, & molæ liquan- „ tur, vt fluant, fluens autem concretum colore quidem nigrum. Simile „ autem fit calci, liquescit autem & lutum, & terra.]

Commentarium. Prosequitur eorum liquationem, quæ à frigore 95. concrescunt, suntq; terræ, & aquæ, & amplius habent terræ, & sunt lapides aliqui, necnon & glebæ. Lapidum fusibilium duo genera commemorat Pyrimachum, & molus. De Pyrimacho frequentes conueniunt Interpretes esse, quem Pyritem passim nunc dicimus, & vulgo Marchasitam, quod nomen ab Arabibus inuenit est Pyrites varius, & colore, & virtute ex alio enim aurum ex alio alia metalla eliciuntur artis, & ignis vi. Sunt etiam aliqui Pirites metallorum steriles, quibus proscilicibus vtimur præsertim in fistulis nostris æneis ad eliciendum ex attictu ignem vnde pirius puluis accenditur, & globi immissi eijciuntur, dicuntur autem vnde parietes græcæ απο τῦπυρος scilicet ab igne eo, quod ex illis ignis extrudatur aliud genus lapidis fusilis, & liquabilis quod molas vocat græcè mylas μυλας Aristoteles, quæ sint eiusmodi molæ, seu mylæ non satis constat inter Interpretes Alexander apertè monstrat sibi vocis ignotam significationem Albertus qui molares lapides exponit merito reprehenditur; nam pauca post verba molares negabit Aristoteles liquescere nec satis se ab auctoritate explicat Albertus dicendo alios lapides molares esse liquabiles, alios non liquabiles. de liquabilibus nunc loqui; de non liquabilibus paulò post. Est enim gratuita distinctio, & quæ implicat non explicat Aristotelem, & accusat non excusat: nam si molares alij sunt eliquabiles, alij non eliquabiles, debebat cum primo eos proponit, distinguere, & non absque vlla distinctione simpliciter eliquabiles, & ineliquabiles asserere. Præterquam quod non eodem nomine hic & ibi vtitur Aristoteles, ibi enim mylias: hic milas. Ex rebus itaq; ipsis æquum est nomine hæc Philosophi exponere. produco ergo Georgium Agricolam in metallicis rebus verum experientissimum, is ergo pyretem, ex quo per liquationem metalla extrahuntur memorat Galenam (quæ est præsertim vena plumbi) & argentum, rude ruscatum: sunt hi lapides liquabiles, at præter hos memorat gemmas, quos fluidos à Germanis dici asserit tres eorum species memorat primi repræsentant, & simulant alij carbunculos, alij amethistos; alij alias tum calore, tum perspicuitate solum duritie cedunt, & sunt liquabiles imò multi in concoquendis metallis ponuntur eo, quod metallorum ipsorum liquationem adiuuent. alij non adeo similes gemmis, vt plurimum enim non sunt diaphani tertij sunt ex quibus vitrum conficitur. Omnes tamen in eo conueniunt quòd fusiles sunt, ac eliquabiles. Opus ergo est huiusmodi lapides præter Pyrites liquabiles eo nomine, aliquos eo nomine significari ab Aristotele, qui verò significentur nisi consistit Alexandro Græcæ linguæ adeo græcæ perito certè neque nobis constat, & verisimile est irreptisse aliquem errorem libros verum, ex quo vocis nullus accomodatus significatus pateat. certè Theophrastus, quos lapides cũ

De subter lib. 5. versus finem.

In Bermano et fossibilibus lib. 5.

Pyritibus liquabiles facit, eos mylias, non mylas vocat, cumq; contrarium modo voces adhibeantur in Aristotelis codice verisimile est ex Theophrasto literam Aristoteles emendandam cum huius libri tandiu sepulti manserint, & nonni si multis maculati mendis extracti. Veruntamen significatus adhuc vocis myliæ non adeo est apertus, in præsenti sensu satis ergo sit multos esse lapides etiam præter Pyrimachum, seu pyritem liquabiles, vt dum esse aliquem afferat Aristoteles verum dicat.

[*Colore fit nigrum.*]

Ex hoc loco possemus duci in cognitionem vocis si iugi obseruatione quæreremus, qui ex memoratis lapidibus dum concrescit nigrum colorem consequetur. Verba quæ sequuntur simile autem calce interpretatur. At de Pyrimacho, & calcem viuam interpretatur, at ego potius de mortua calce acciperem, quæ primum fit mollis deinde & indurescit. Huic ergo simile fit lapis, qui fluit, dum concrescit colore solum differt. Nigrescit lapis concretum.

Liquescit verò lutum, & terra.

Lutum liquescere antea dixit non est cur aliam expositionem quæramus, at quam terram nunc liquabilem dicat non æquè planum est. Alexander dicit eam esse ex qua vitrum conficitur. Sed eam nos inter lapides cum Agricola proximè reposuimus. Expositio Vicomercati probabilis admodum est de gleba metallica, quæ ex metallorum admistione fundi potest huiusmodi glebarum, & terrarum metallicarum latè meminit Agricola de fossibil. lib. 10. post medium placet exscribere loca Agricolæ tum de lapidibus liquabilibus tum de gleba metallica Sunt autem.

Aristoteles. [Quæcunque autem à sicco calido concrescunt: hæc quidem insolubilia: hæc autem soluuntur humido fictile igitur, & lapidum quorundam genera, quæcunque ab igne combusta terra fiunt, veluti molares, insolubilia Nitrum autem, & sales solubilia humido, non omni autem sed frigido. Quapropter aqua, & ijs, quæcunq; aquæ species liquescunt, oleo autem non liquescunt. Sicco enim calido contrarium frigidum humidum. Si igitur coegit alterum, alterum soluet: sic enim contrariæ erunt causæ contrariorum.]

96. *Commentarium.* Loquutus de solutione eorum, quæ à frigido concreuerunt, nunc agit de solutione eorum, quæ coucreuerint à calido sicco, dicitq; eorum alia esse insolubilia, alia solubilia, insolubilia sunt fictile, & quædam genera lapidum, inter quos lapides numerat ipse molares ex quibus scilicet molæ conficiuntur hos lapides μυλίας vocat; sicut quos in proxima antecedente particula solubiles, & liquabiles dixit μύλας appellauit contraquam appellet Theophrastus, qua de re iam dixi quid sentiam: certè lapides ex quibus molæ efficiuntur sunt illiquabiles ab igne secundum communem eius potentiam. Secus si ad summum potentiæ arte euehatur ignis etiam fictile soluit, vt proximè ex Aristotele monuimus notanda verba contrahentia lapides à calido sicco concretos ad insolubiles eas ergo esse dicit, quicunq; generantur à calore ex terra combusta, eaq; videtur esse ratio: quod exsucci ab humore omni redditi sint. At solubilia dicit esse nitrum, & sales concrescunt enim ea quoq; à calore, & tamen soluuntur ab humore si frigus fuerit videmus siquidem nitrum, & sales in aqua solui imò & in vino, & in sero, & in cæteris aquæ speciebus, quas ipse

ipse supra memorauit: non soluuntur autem oleo eo, quod oleum est calidum, & humidum; non frigidum, & humidum. reddit autem rationem, quoniam sicco calido, quod fuit causa concretionis apponitur humidum frigidum, non autem humidum calidum, at oportet contrariorum contrarias esse causas. ex hac mea expositione notanda ex primo, quæ verbis Aristotelis planè accomodatur patet de frigiditate, & caliditate temperamenti hic loqui Aristotelem non de actuali, secus enim etiam oleum potest esse, & plerunq; est frigidum actu, & aqua calida actu illud tamen non soluit salem hæc soluit qui autem negant solui ab aqua calida salem repugnant experientiæ euidenti. Aliqui distinguunt solui quidem salem ab aqua calida, at non reddi fluxilem, quæ est distinctio Buccaferrei. at duplici nomine est hic repræhendendus Buccaferreus primo in distinctione ipsa. secundo in causa distinctionis, in distinctione ipsa quoniam gratuita est, & non est assignare cur munus fluidus reddatur sal in aqua calida, quam in frigida: æquè enim vtraq; aqua fluit, & minimè quæque vtriusq; particula falsa est vt nusquam sensus distinctioni faueat imò repugnet potius simul cum ratione nam si in aqua calida dissolutus esset in ramenta terrea, at in frigida in fluorem dissolutus in aqua calida demum subsideret pro recremento sal sicut ramenta terrea in vase vbi diutius aqua permanserit subsident, ac non magis in calida subsidet sal, quam in frigida imò minus vel nihil est repræhendendus in causa. Nam vt tueatur dictum hoc Aristotelis eam distinctionem commentus est quasi Aristoteles neget ab aqua calida salē liquari à quo lōgè abest Philosophus, qui negat ab oleo, & ab humore demum temperamenti calidi solui non ab aqua cuiusfare speciebus actu calidis. Suessanus, & alij distinguunt in qua caliditatem actualem, & virtualem est virtualis, quæ in aqua calida reperitur à qua ad frigiditatem actualem restituitur. dicunt ergo dissolui salem simul cum ratione ab aqua calida, sed non qua calida, sed qua frigidam illam virtualem obtinet ac distinctio supponit negari ab Aristotele salem liquari ab aqua calida, quod non est verum. malè etiam hic reprehendit Vallesius Aristotelem tanquam dicentem ab aqua calida non solui salem, at debebat potius repræhendere suam expositionem falsitatis idem de Pomponatio dicendum, qui pariter Aristoteli errorem hunc tribuit, quem illi affinxit aliena expositio non propria sententia. Dubit. 83

Aristoteles. [Crassantur igitur ab igne solum quæcunq; aquæ plus habent, quam terræ concrescit autem quæcunq; terræ quapropter & nitrum, & sales terræ sunt magis, & lapis, & fictile.]

Commentarium. Contrahit nunc quæ dixit de mistis communibus aquæ, & terræ distinxerat ergo supra in ea, quæ plus habent aquæ & in ea quæ plus habent terræ, & aquæ plus habent aquæ (dixit supra humida) incrassari nedum concrescere, at quæ plus terræ, concrescere non incrassari, vt fictile, & sales, & nitrum nunc in Epilogum quendam contrahendum dicendo quæ plus habent aquæ ea solum incrassari à calore. Sensus verò est à frigore incrassari etiam quæ non sunt aquæ, at à calore solum, quæ sunt aquæ, & terræ, at magis aquæ incrassari, quæ verò sunt magis terræ ea non incrassari à calore, sed concrescere. Vnde pro Corellario infert sales & nitrum, & lapidem, & fictilē magis terræ esse quippe quæ scil. à calore concrescant, & non incrassentur. 97.

Aristoteles. [Maximè autem dubia est olei natura. Si enim aquæ
„ oportebat concrescere à frigido vt glacies: si autẽ terræ plus ab igne, vt fi-
„ ctile. nunc autem concrescit quidem à neutro, incrassatur autem ab am-
„ bobus: Causa autem est quia plenum est aere, quapropter & in aqua
„ supernatat. etenim aer fertur sursum. Frigidum igitur ex inexistente
„ spiritu aquam faciens, incrassat. semper enim cum mista fuerint oleum,
„ & aqua ambobus fit crassius. Ab igne autem, & tempore incrassatur, &
„ albescit. albescit quidem euaporãte aqua, si quæ inerat: incrassatur autem,
„ propter ea quòd marcescente calido ex aere fit aqua. Vtroq; igitur modo
„ eadem fit passio, & propter idem, sed non eodem modo, incrassatur igi-
„ tur ab ambobus exiccatur autem à neutrò, neq; enim sol, neque frigus de-
„ siccat non solum quia viscosum, sed quia aeris est. Non exiccatur autem
„ aqua, neque elixatur autem aqua, neq; elixatur ab igne, quia non euapo-
„ rat propter viscositatem.]

Commentarium. Inserit dubitationem de olei natura, quę dubitatio re-
95. flectitur in quandam dictorum repræhensionem. Nam cum dixerit, quæ sunt aquæ concrescere à frigore, quæ terræ à calore. Oleum neque concrescit à frigore, neq; à calore, sed incrassatur ab vtroq;, quæ etiam incrassatio dubitationem aliam excitat; nam à calore incrassabantur solum quæ aquæ, at illa non incrassabantur à frigore, sed concrescebant solum. Tollit dubitationem Aristoteles eo præstituto fundamento; quòd oleum sit plenum aere: primo autem probat fundamentum deinde ex eo dubitationem soluit, probat itaq; fundamentum statutum hac ratione, oleum supernatat in aqua, ergo oleum est plenum aere. Probat consequentiam supernatat in aqua, ergo est plenum aere, quoniam aer fertur sursum, quæ
Dubitatio. ratio tamen dubia est, etenim si cathegoricè resoluatur in secundam figuram ex duabus affirmatiuis reducitur. Aer siue aereum supernatat in aqua. Oleum supernatat in aqua. Ergo oleum est aereum, neque verò conuertitur maior quidquid supernatat in aqua est aereum, potest enim & esse igneum. patitur præterea instantiam de ligno, quod significat aquę & licet contineat in poris aerem, & Aristoteles dicat esse terrę, & aeris. tamen ob duritiem, & rigorem negari non potest quin sit amplius terræ, & soluitur dubitatio omnis pensando verba Aristotelis dicit esse plenum aere oleum non esse aereum, quod idem de ligno dicendum est plenum aere lignum non aereum, estq; sensus, quod aer eius temperamentum non constituat, sed quod in eius poris contineatur multus idem de oleo dicendum. Ad priorem ergo dubitationem potest esse igneum dicitur non posse ingnem replere poros misti: potest quidem mistum esse ex temperamento igneum, at Aristoteles de pororum repletione, quæ ab igne non contingit, nisi in corpore ad corruptionem tendente loquitur contraho responsionem. Propositio omne mistum, quod supernatat in aqua est plenum aere, scilicet habet multum aerem in poris est vera. at non est verum omne, quod supernatat, at est complexionis aereæ ex hoc fundamento rationem reddit, quamobrem oleum tum à frigore, tum à calore crassescat. Crassescit ergo à frigore vt aer ipsius in aquam à frigore cogitur. Dum verò aqua, & oleum commiscentur, quod inde fit, crassius est singulis: hæc est causa quamobrem oleum à frigore crascescit. At causam quamobrem crassescat à calore hanc reddit, cum primum tamen vinxerit
cum

cum calore tempus dicendo ab igne, & à tempore crascescere, & cum effectu crassitiei iungit etiam effectum alboris asserit, scilicet à calore, & tempore oleum crassescere, & albescere. Videmus siquidem oleum vetustate crassius reddi, & albius; vnde vulgo dicitur oleum ex vetustate longa in balsamum transire. Complicati ergo problematis complicatam causam reddit Philosophus hunc in modum. Aquirit albedinem, dum euaporat aqua si quæ inerat, at incrassatur, quia calore marcescente ex aere fit aqua. Duplex autem est caloris interitus alius à contrario, & dicitur extinctio. alius à se ipso cum nimis intenditur, vt suffocetur, estq; marcor. A calore ergo & vetustate calor olei internus marcore perit, eoq; pereunte aer contentus in aquam transit, & fit idcirco crassius oleum ex præcedente ratione, quæ fert oleum, dum cum aqua commiscetur crassius reddi: quoad causam albedinis quæritur quomodo, & cur aqua euaporante oleum albescat. Respõdetur communiter aquam suapte natura inferre nigredinem, quocirca ea sublata oportet oleum albedinem cousequi. at mihi videtur melior suipsius interpres Aristoteles is 2. de gen. animal. cap. 2. vbi de semine disputans cur album è corpore animalis exeat, & extra liuescat ita oleum simul includens decernit. „Non „ solum enim inquit, quod ex aqua, & terra constat crassatur, sed etiam „ quod ex aqua, & spiritu vt spuma crassior, albaq; existit, & quo ampul„ læ pauciores, interioresq; sunt, eo etiam albior, & rigidior factus con„ spicitur, quod idem in oleo quoq; fit. Crassescit enim mistum cum spiri„ tu; quamobrem crassius redditur, quod albescit, cum humor in eo conten„ tus discernatur à calore, efficiaturq; spiritus. Galena etiam aquæ mista, aut „ oleo amplũ ex paruo erigit fastum, & spissũ ex liquido, & album ex nigro „ causa est, quod spiritus immiscetur, qui fastum efficit &, albedinem dilucidè „ aperit, vt in spuma, & nuce: nam & nix spuma est: aqua etiam ipsa permista „ cum oleo crassa, albaq: redditur, per concussum .n. attritumq; includitur spi„ ritus, & ipsum, oleum quoq; multum spiritus continet: pingue .n. nec terræ „ est, nec aquæ, sed spiritus, ex quo fit, vt per summa aquæ fluitet. Aer enim „ contentus in eo, veluti in vase effert, per summaq. sustinet, & causam „ leuitatis præbet. Quin etiam frigore, & gelu crascescit oleum, non con„ gelascit. Calor enim facit ne gelu cogatur; aer namq; calidus, & incon„ gelabilis est: sed quoniam à frigore is quoq; consistit, & densatur: hinc o„ leum crassius redditur. „ Ex his verbis Philosophi patet, & causa albedinis, & crassitiei in oleo. Spiritus ergo dum cogitur albedinem facit, & ideo album fieri oleum dum aqua in spiritum mutatur, isq; in ampullis cogitur vnde intelligimus ad albedinem generandam non conferre, si aqua ex oleo ipso euaporet, & exeat, sed si in vaporem mutata, qui vapor & spiritus inclusus in oleo ipso ob eius lentorem maneat: ita enim alborem facit. Patet etiam cur crassescat, & quomodo oleum, dum scilicet spiritus, & aer densatur; ita ipsemet dicit: ac densatur, ne in aquam? nequacquam ex his verbis (is quoq; consistit, & densatur) dum enim consistit aer, non corrumpitur. Prætèrea si fieret aqua, non simul incrassaretur, & albesceret cum aqua potius liuorem inducat. Densatur ergo vt remaneat aer, vt in ampullis, & quo magis densatur (sunt tum ampullæ minores) eo maior elucet albedo. ita oportet eo loco hoc secundo de generatione dicere. Modo accommodemus, quæ ibi dicit huic particulæ,

Quæstio.

Frigi-

frigidum inquit ex inexistente spiritu aquam faciens incrassat, semper enim cum mista fuerint oleum, & aqua emergit alijs ambobus crassius, quod hic dicit obscurius, in loco adducto exponit planius. Cur aqua oleo mista facit ipsum crassius, & quomodo. Si concutiatur inquit miscella quoniam tum ex aqua fit spiritus, qui non effluit à lentore, scilicet olei prohibitus. At quomodo spiritus à frigore id assequitur, vt oleum crassius reddat? quoniam inquit, frigus densat spiritum. Si loca ergo inter se prima fronte diuersa, concordia reddi debeant oportet ad eam distinctionem aquæ confugere, quam exhibet Aristoteles in primo librorum metheorolog. scilicet vaporem aquam dici posse itaq; interpretatur Homeri dictum Oceanum terram vniuersam circumfluere. Aqua ergo hic significat vaporem densiorem secus non video vt possint loca hæc componi, & cum altero spreto alter recipi debeat locus 2. de gen. multò iustius est præferendus huic, at prosequamur applicationem singillatim. [Ab igne autem & tempore vetustatem incrassatur, & albescit; albescit quidem euaporante aqua si quæ inerat] euaporare hic intelligit, dum aqua in vaporem transit. attamen ita vt remaneat in oleo is vapor, non ex oleo effluos, dicit verò (si quæ inerat) quoniam potest ad id vetustatis deuenisse oleum, vt non amplius in eo sit, quod euaporet. [Incrassatur autem] scilicet à calore, & vetustate [propterea quod marcescente calido ex aere fit aqua] hic mihi aqua significat vaporem densiorem iuxta alteram aquæ significationem, ac de Iridis dicet quispiam nos Aristoteles æquiuocatione de hoc paulò post: at interim si aqua vera fieret quomodo albesceret oleum vetustate? cum aqua potius liuorem inducat, vt Aristoteles dicit eodem cap. 2. 2. de gen. de semine, quod dicit [„ humidum, & nigrum euadere, „ quia remanet aqua „] oportet itaq; densari in vaporem, & spiritum, & ita tum crassius reddi, tum albius oleum potest. [Vtroq; igitur modo eadem fit passio, & propter idem, sed non eodem modo] varia est expositio horum verborum, at mihi hæc plana videtur eadem passio, scilicet incrassationis, & dealbationis fit eodem modo nempe cogendo spiritum, & aerem densandoq; (& propter idem) scilicet propter frigus refrigerationemue rei, vel à frigore externo, vel à calore interno, ab vtroq; enim calor ipse internus debilitatur à frigore extinctione, à calore marcore, hincq; non eodem modo, cum ibi extinctione hic marcore oleum refrigescat. [Incrassatur igitur ab ambobus] scilicet, & à frigore, & à calore [exiccatur autem à neutro, neque enim sol, neque frigus deficcatur, non solum, quia viscosum.] Viscosum enim ob lentorem non exiccatur [sed & quia aeris est] hanc secundam rationem explicat ipsemet adducto cap. 1. 2. de gen. ibi. Calor enim facit ne gelu cogatur aer namq; calidus, & incongelabilis est. [Non exiccatur autem aqua] aliquid legunt oleum, sed Alexander, & codex græcus aquam habet, & rectè Alexander exponit de aqua, quæ in oleo ipso reperitur, sicut & sequentia verba [neque elixatur ab igne] nempe aqua, quæ in oleo neque exiccatur, neque elixatur à calore, & iuxta hanc expositionem cessat species contradictionis in Aristotele, qui supradixerat aquam elixari, ibi enim loquitur de aqua ipsa per se hic loquitur de aqua vt in oleo, & quæ in oleo est. (quia non vaporat propter viscositatem rationem reddit, cur aqua in oleo existeus, neque elixetur: non enim euaporat propter viscositatem olei à qua ob lentorem

tex. 57.

torem

forem coercetur, ne exeat, ex quo loco patet rectè explicatam à me esse antea euaporationem aquæ, quam dicit Aristoteles pro causa, quamobrem oleum albescat. dixi enim mutari eam in vaporem, at qui ab oleo non exeat, sed in eo remaneat ob eius lentorem. hoc ipsum nunc exprimit Aristoteles.

Dubitatio quomodo oleum incrassetur à calore.

At verum non videtur, quod Aristoteles in initio literæ supponit oleum incrassari à calido imò contrà oleum incrassatum si ad ignem ponatur liquatur, & fluit. Sed ex Galeno elicitur solutio lib. 2. de simpl. medic. facult. cap. 18. duos ipse modos tradit, quibus à calore oleum crassius reddatur, & altius: primas est si in vase latioris oris oleum exponatur soli, ibiq; agitetur. Secundus modus est si vascula in quibus oleum sit supponatur cineribus calidis. vtroq; modo oleum crascescit, & albescit, quòd si exponatur igne liquidum fit, aut seruatur liquidum oleum, non verò crassitiem aquirit. *Solutio.*

Dubitatio alia remissiuè.

Alia dubitatio. videtur enim Aristoteles sibi ipsi aduersari dum hic oleum à calore incrassari dicit, at sup ra part. 65. negat. iam supra ad eam ipsam particulam soluimus.

Aristoteles. [Quæcunq; autem mista aquæ, & terræ secundum pluraritatem vtriusq; dignum dici. Vinum enim quoddam, & concrescit, & elixatur, vt mustum. abscedit autem ab omnibus talibus, dum exiccantur, aqua signum autem quòd aqua: vapor enim cogitur in aquam si quis velit colligere. quare quibuscunq; relinquitur aliquid hos terræ.]

Commentarium. De concretione, & solutione mistorum ex aqua, & terra disseruit, & horum, alia magis terræ, alia magis aquæ dixit nunc hanc appellationem, qua magis terræ, & magis aquæ aliqua dicimus aperit, & distinguit. Sunt ergo vel magis terræ, vel magis aquæ dicenda prout plus teræ, vel plus aquæ continuerint. Hoc ipse Theorema enunciat, ad cuius vberiorem intelligentiam, atq; pleniorem est notandum mista alia esse vniformia, alia difformia t vniformia voco, quæ eiusdem vbiq: crasis sunt: difformia autem distinguunt in alijs partes designari possunt, hæc quidem ignea ex prædominio illa terrea, vt in rosa distinguimus, & in cichoria, vnde rosa sepius infusa vim habet soluendi ex parte ignea, & ex eadem aqua rosacea elicitur, quæ cum habet refrigerandi, ita etiam in lacte est serum, quod aqueum est, & caseus, qui est terræ hæc est difformitas secundum partes, alia est difformitas secundum speciem, verbi gratia lac, & sanguis in diuersas species distinguuntur amplius aquæ, illud amplius terrę. Alia difformitas, & est in eodem indiuiduo ratione temporis, vt in vino cum mustum adhuc est, & cum iam in vinum maturauit: in difformitate primo accidit, vt quod magis aquæ erat, cura, & arte, dum pars aquea educatur, fiat magis terræ, verbi gratia lac est magis aquæ, at si serum educatur, restat magis terræ. Nunc ergo Aristoteles in litera monet secundum pluralitatem paciendam esse demonstrationem, & omnium difformitatum mentionem suggerit implicitè licet, & obscurè in vino. difformitatem quidem in specie cum dicit vinum quoddam concrescere, & elixari indicat enim aliquam esse vini speciem à cæteris in hoc dissentientem, & significat vinum illud Arcadicum quod exiccatur in vtribus 99.

in vtribus, vt infra dicet. Indicat etiam difformitatem in indiuiduo exemplo musti. primam verò difformitatē innuit dum abscedere aquam dicit ab ijs, quæ exiccantur ita enim statuit partem aqueam & partem terream in eodem. modo ad verba veniamus [secundum pluralitatem vtriusq; dignum dici] quomodocunq; scilicet sit pluralitas. Primo modo lac ab initio est amplius aquæ, quàm terræ, vt deducto sero est magis terræ. mustum ab initio est magis terræ, cum incrassetur à calido, at postea vinum factum est magis aquæ, non enim incrassatur à calore. partem sanguis taurorum est magis terræ ceruorum magis aquæ, & postea nos monebit.

Vt mustum.

Non est hæc expositio inductione, aut exemplum vini, quod concrescat, & incrassetur, sed est similitudo non in vtroq; prædicato, sed & in incrassatione solum estq; sensus dari aliquod vinum, quod & postquam depuratum est, & maturum concrescat à calore, & incrascetur, non secus atq; incrassatur, Erit autem vinum Arcadicum de quo infra. non adduci autem mustum, vt partem, & species illius vini, cuius nunc meminit, certum est: quoniam mustum non concrescit, at illud vinum dicit concrescere, vt mustum non sit illius vini par speciebus.

[*Abscedit autem ab omnibus talibus, dum exiccatur aqua.*]

Quoniam de his, quæ concrescunt agit, & concretio est quędam exiccatio notat exiccari eiusmodi omnia subdistinctione partis aqueę, vel totius scilicet, vel partis, & quoniam dum exiccantur euaporans, at vapor est pars aquea, quod monstrat: quoniam vapor idem cogitur in aquam, dum scil. densatur, vt in ollę operculo ad ignem positę fieri videmus. clarius adhuc id conspicitur in alembico, in quo ex herbis, & floribus in subiecto vase positis vapores eleuantur ad summitatem suppositi vasis, ibiq; densati per rostrum aqua iam facti exeunt. & eiusmodi destillationem significare videntur verba ea (si quis velit colligere) hoc enim est propositum destillantium aquam ex vaporibus colligere.

[*Quare quibuscunq; relinquitur aliquid hoc terra.*]

Sensus est extracta portione aquea si quid superest illud esse terreæ, ac terreum, hocq; modo mistum, quod est aquæ educta portione aquea euadere terreum, ac terræ.

Aristoteles. [Quædam autem horum, & à frigido, sicut dictum est
„ incrassatur, & exiccantur, frigidum enim non solum congelat, & exiccat,
„ sed & incrassat. exiccat quidem aquam, incrassat autem aerem aquam fa-
„ ciens. Concretio autem dicta est, quædam exiccatio esse.]

190. *Commentarium.* Nunc quid patiantur à frigido subijcit. Patiuntur ergo incrassationem, & exiccationem, dum scilicet concrescunt, declarat verò, & probat. Etenim frigus nedum habet cum exiccandi (exiccat autem aquam, dum scilicet eam congelat) sed etiam incrassandi: incrassat verò aerem, vt in aquam cogit, at dum in vaporem densiorem cogit, incrassat, vt ad incrassandum aerem satis sit adducere ad aquam eo in significatu, in quo sumit Aristoteles primo metheorum, vt proximè diximus Com. 98.

Aristoteles. [Quæcunq; igitur non incrassantur à frigido, sed con-
„ crescunt aquæ sunt magis, vt vinum, & vrina, & acetum, & lixiuium,
„ & serum, quæcunq; autem incrassantur non euaporantia ab igne hæc qui-

dem

" dem terræ: hæc autem communia aquæ, & aeris sunt; mel quidem terræ
" oleum autem aeris, & aquæ.] 101.

Commentarium. Corellarium infert primum de crassi eorum, quæ à frigido non incrassantur, sed concrescunt, eaq; dicit esse aqua magis, taliaq; esse dicit vinum vrinam, acetum lixiuium, & serum, ex quo loco notandum secundum Aristotelem hic vinum etiam concrescere, ac congelari, quod aliqui negant de vitro mero. Secundum Corellarium est de ijs, quę incrassantur à frigore, at ab igne non euaporant cuiusmodi sunt mel, & oleum, ambo enim à frigore incrassantur, at neutrum ab igne euaporat. Quæ igitur sunt huiusmodi, vt à frigore incrassentur: ab igne non soluuntur in vapores idest ex illis vapores non eleuentur ab igne. ea sunt alia terræ, vt mel. alia aeris, & quæ vt oleum. hic rursus confirmat Aristoteles oleum nō euaporare, quod latius diceret declarabit infra vbi de exhalabili.

Aristoteles. [Sunt autem, & lac & sanguis amborum quidem, & com-
" munia, & aquæ, & terræ: magis autem vt plurimum terræ, quemadmo-
" dum, & ex quibusdam humidis nitrum fit, & sales, & lapides qnoque ex
" quibusdam constant talibus. Quapropter & si non separetur serum exu-
" ritur ab igne decoctum, quod autem terreste est cogitur & à coagulo si a-
" liqualiter decoquat quis, sicut medici congulum imponentes, sic autem
" separatur serum, & caseus. separatum autem serum non amplius incras-
" satur, sed exuritur, sicut aqua, illucusque. Adhuc autem, &c.] 102.

Commentarium. Hic subijcit quæ non sunt in tota specie vniformis crassis. Eiusmodi sunt sanguis, & lac; qnorum aliqua sunt magis terræ, aliqua magis aquæ cum omnia sint communia aquæ, & terræ. Est ergo aliquod lac, quod est magis terræ. aliquod, quod est magis aquæ, idem de sanguine accidit licet, vt plurimum sint ambo magis terrę ita ipse (magis autem vt plurimum terræ) qua in re tamen de lacte suboritur dubitatio, nam part. 97. dicit crassari solum ab igne, quæ plus habent, aquæ, at lac crassatur, ab igne ergo lac plus habet aquæ non terræ à Vicomercato video hanc dubitationem consideratam: cuius solutio ab Alexandro mutuata est lac, de quo Aristoteles tex. 97. esse lac, quod magis aquæ nunc asserit eiusmodi à calore incrassari, & quod magis terræ concrescere.

[*Quemadmodum, & ex quibuscunq; humidis nitrum, & sales.*]

Sunt scilicet eiusmodi humida magis terræ, quod tamen durum videtur nam cum scilicet ex aqua maris efficiatur sequeretur aquam maris esse magis terræ, quam aquæ, quod licet Vicomercatus vltro scipiat tamen abhorret à communi captu, & sermone. aqueam enim nedum cōcipimus, & dicimus aquam maris, sed aquam ipsam, vt fuerint, qui aquæ elementum illam dixerint. pariter, & nitrum fit ex aqua Nili, quæ nitrosa est num ergo aqua nili est magis terræ, quam aquæ? ego igitur dicerem aquam maris, & aquam Nili esse magis aquæ, quam terræ proculdubio imò esse aquas non aqueas, si per se considerentur, vt in generatione salis, & nitri in salinis, & nitrarijs portiones terræ aquæ vi caloris commisceri, quæ aquæ ipsi prædominentur, hincq; humor ex illorum aggregatione resultat magis terræ redditur.

Et lapides quoq;

Non est hic exponendus Aristoteles de communi lapidum generatione, quæ est ex aqua & terra, magisq; ex terra: non enim ad rem præsentem

ea ge-

ea generatio pertinere, sed sunt lapides, qui ex aqua procidente vbi illa cadit gignuntur. Mattheolus in 5: Dioscoridis com. 1. refert in Balneis D. Philippi in agro Senensi ex aqua, quam ibi in capite excipiunt agri lapidosa ramenta capillis gigni, & in cauea ipsa ex eadem aqua fieri calculos simillimos anisorum, coriondicorum saccaro conditorum. Eiusmodi ergo humidum est, quod nunc significat Aristoteles ex quo lapides gignantur, & plus habet terræ. Habet autem plus terræ illa aqua ob portionem terræ, quam ex terra per aquam transit ducit.

Quapropter si non separetur serum, exuritur.

Ad lac redit, quod duabus ex partibus constare docet ex serò, nempe & caseo. Depuratur verò caseus à sero duplici modo. vel vi ignis, vel ope coaguli. primo modo serum in vaporem adigitur, & vapor factus euadit ex lacte, & eiusmodi euasio, & euaporatio est exussio, quam hic dicit Aristoteles secundo modo restat, sed separatum à caseo. Serum verò ita separatum si ad ignem ponatur non crassius, verum exuritur hoc est euaporat instar aquæ cum diutius ad ignem detinetur tota in vapore abit, nihilq; in cacabo restat. Notandum tamen à Galeno tres partes in lacte distingui serum, caseum, & butirum. Notandum præterea post caseum coactum serum adhuc ad ignem positum concrescere in eam, quam nos ricoctam dicimus, cuius non video penes antiquos vium licet aliquid caseum molliculum dictam autument. Galenus huius quartæ substantiæ nullam mentionem facit, interim ad Aristotelem redeundo habemus ex eius verbis caseum esse partem terrestrem: serum esse partem aqueam, vnde in ea verba concludit de sero [exuritur sicut aqua.]

[*Si autem aliquod lac non habeat caseum, aut paucum*]

Postquam partes in lacte distinxit. Serum, & caseum nunc lactis genera distinguit, in illud quod est magis terræ, & in illud, quod est magis aquæ, quod ergo lac non habet caseum, aut paucum habet id est magis aquæ. hinc intelligimus, quod multum habet casei id esse amplius terræ. lac ex hoc dogmate asininum, & equinum, & in vniuersum vtrumq; dentatorum est magis multo aquæ. Caprinum etiam ex altera parte tantum dentatis; est potius aquæ, at bubulum, & ouillum, quæ multum casei habent sunt amplius terræ. Galenus videtur plus casei tribuere lacti bubulo, quam ouillo, at nos contrarium experimur. portio par lactis ouilli plus casei continet, & minus seri. Verum bubulum plus habet butiri.

Et non nutriens.

Hoc est non æquè nutriens, secus singula animalia ex parenti lacte sub initio nutriuntur & pulli equini, & asinini, &c.

Et sanguis similiter.

Sanguinis etiam duo sunt genera, quorum aliud magis est terræ, aliud est magis aquæ sanguis has fibras est magis terræ non habens magis aquæ qui enim habent fibras is concrescit extra susceptacula sua cor, & venas, qui caret fibris non concrescit, sed fluidus permanet, vt sanguis ceruorum. hoc idem Aristoteles docuit 3. de hist. animal. cap. 6. & 2. de part. cap. 4. cum ergo fibræ sint terræ hic fit vt sanguis eas habens terræ sit, probat verò & fibras, & sanguinem eas habentem esse terræ argumento à signo concrescit enim eiusmodi sanguis à frigore. non concrescit autem, qui fibris caret ideoq; aqueus concluditur.

Signum

Signum autem est, morbosi enim sanguines nolunt concrescere.

Alia ratio itidem à posteriori est cur sanguis, qui magis aquæ est non concrescat est autem quoniam sanguines morbosi non concrescunt, at sunt illi aquei. probat quoniam ichorosi sunt ita græcè. Vertit autem Interpres sancosi vt vertit etiam eandem vocem Theodorus Gaza, sed nescio an satis propriè Ichor dicitur in sanguine fluido quædam pars, quæ in vitiato sanguine præsertim visitur, & aquæ, sed tinctæ in similitudinem habet reliquus sanguis crassius, & extra concrescit dicit ergo Aristoteles sanguinem morbosum Ichoris plurimum habere, & reddit rationem quoniam non est concoctus ob imbecillitatem caloris, ideo pro sanguine est pituita, & aqua. Ac Ichor est id ipsum pituita scilicet, & aqua quædam.

Aristoteles. [Adhuc autem hæc quidem solubilia sunt, velut nitrum.
„ hæc verò insolubilia, velut fictile, & lapis, & horum, hæc quidem mol-
„ lificabilia, velut cornu, hæc autem non mollificabilia, velut fictile, & la-
„ pis, & horum vsq; ad calcem capitis.]

Commentarium. Extremam hic manum contemplationi huic ponit, causam afferendo cur hæc liquabilia sunt; hæc illiquabilia: hæc mollificabilia: hæc nequaquam mollificabilia. repetit ergo quædam esse liquabilia vt nitrum quædam illiquabilia, & insolubilia, vt fictile & lapidem. horum quæ insolubilia sunt: alia esse mollificabilia, vt cornu alia neque mollificabilia esse, vt fictile, & lapidem. 103.

[*Causa autem quin contrariorum contraria causa.*]

Causam reddit diuersitatis totuplicis, resumit verò fundamenta iam posita contrariorum esse contrarias causas, & causas concretionis esse duas frigidum, & siccum, qua in re notandum est, quod antea in huius capitis principio dicit calidum, & siccum, nunc dicere siccum, at idem, quod ibi nunc interpretari debemus, eritq; paraphaos totius literæ [Quare si concrescunt duobus frigido & sicco [hoc est] calido sicco. necesse est solui calido & humido quapropter igne, & aqua] reddit verò rationem [hæc enim contraria] aqua scilicet calido sicco ignis frigido, adeoq; quæ igne concrescunt (vt nitrum & sal) soluuntur ab aqua, quæcunque verò à frigido solo, vt glacies soluuntur igne calore scilicet sicco,

Quare si à duobus accidit concrescere.

Solutionis causas, seu solubilitatis reddidit, nunc reddit insolubilitatis, hæcq; est ratio. Quæcunq; ad concrescendum duplicici causa egent, & frigido, & calido ea sunt insolubilia maximè declarat autem, quæ duplici causa egeant ad concretionem, esseq; dicit, quæ prius calefacta, deinde frigido concrescunt, vt ferrum, quod opus est primo liquari ab igne, deinceps autem à frigore concrescit, cur verò quæ prius calefacta postea concrescunt sunt insolubilia eam reddit causam, quod cum calor prius exudarit exiens euaporauerit scilicet ab externo calore eductus humidum deinceps à frigore superueniente conpressum nō det alteri humido ingressum, adeoq; non possit ab aqua solui. Sed neque soluitur ab igne, quia ab igne soluuntur quæcunq; à frigore solo concrescunt, neq; etiam soluitur ab aqua preter scilicet rationem antecedentem, quoniam aqua non soluit, quæ à frigido concrescunt, sed quæ à calore sicco. Ferrum ergo hanc ob causam non est solubile.

[Ligna

[Ligna autem sunt terra & aeris quapropter vstibilia, & non liquabilia.]

Nunc causam affert cur ligna neque liquationem suscipiant, neque emolliantur, est autem causa: quoniam sunt terræ, & aeris, vt comburi possint non liquari, neq; mollescere. esse verò aeris ligna probat quoniam aquæ supernatant. Excipit ebenum nigram eo, quod ex illa aer difflatus est, terræq; plus habet.

Fictile autem terreum solum est.

Subijcit nunc causam, quamobrem fictile sit insolubile, non reddit verò eam, quam supra duplicis causæ licet duplex causa in eius concretione concurrat, primo quidem frigus à quo molli primo massa in lateres secta concrescit, & postea calor qui concretos à frigore lateres assat in fornace. verum Aristoteles declarauit duplicem à se causam intelligi cum primo res calefacta fuerit, deinde à frigore compacta, vnde causa eiusmodi dimissa aliam suscipit, primoq; statuit esse fictile solum terræ, probat verò quoniam desiccatum paulatim concrescit. Sensus verò est: si celeriter concresceret, humidum interciperetur, vt in assatione videmus cum ad magnum ignem caro assatur, citò enim extra torretur: at intus adhuc incocta permanet, verum cum lento igne coquitur exsucca intus si diutius perduret assatio permanet. cum ergo fictile paulatim desiccetur absumitur aqua, vt sola terra superstit, ita ergo firmat fictile esse terræ solum, at non ita ad verbum est hoc intelligendum, sed absumi magnam aquæ partem, vt portio terræ prorsus aquæ emineat in fictili. Postea rationem cur insolubile sit subijcit. Non ergo soluitur ab aqua fictile quoniam aqua non habet per eos poros ingressum per quos solus spiritus exijt. vapor scilicet in quem aqua mutata expirauit, ac euaporauit, neq; soluitur ab igne quoniam ignis ipsemet coegit fictile, at non eadem causa cogit, & soluit, sed contrariæ causæ contrarios effectus præstant.

Quid igitur sit concretio, & liquefactio, & propter quot, & in quibus sit dictum est.

Hic est epilogus continens à se traditas definctionis, conctetionis, & liquefactioni, item causas quot, & subiecta (in quibus.)

CAPVT VNDECIMVM.

Connexio, & intentio cum Aristoteles egerit de concretione, per quam terminata corpora constituuntur, quorum species proposuit perquirendas nunc species eas ipsas tradit, quas in præsenti capite enumerat in sequenti explicat. Caput diuiditur in tres partes in prima ostendit terminata corpora, ex quibus componatur: in secunda quibus differentijs constituantur, alijs actiuis, alijs passiuis: in tertia speciem passiuorum numerat. Secunda pars ibi (Hæc autem omnia differunt) tertia ibi. Dicamus autem primo numerum ipsorum,

Aristoteles. [Ex his autem manifestum est, quod à calido, & frigido
» cogitur corpora, & hæc quidem incrassantia, & cogentia faciunt opera-
» tionem suam. Propterea autem, quod ab his condita sunt in omnibus i-
» nest caliditas: aliquibus autem, & frigiditas, qua deficit. Quare quoniam
» hæc quidem insunt propterea quòd faciunt; humidum autem, & siccum

propter

,, propter ea, quod patiuntur participant ipsis communia omnibus ex aqua
,, igitur & terra similarium partium corpora constant, & in plantis, & in
,, animalibus, & quæ metalla sunt, vt aurum, & argentum, & quæcunq;
,, alia talia & ex ipsis, & ex halatione ea, quæ vtriusq; inclusa sicut dictum
,, est in alijs.]

Commentarium. Aristoteles in hac particula tres conclusiones statuit, 104
prima est mista, scilicet terminata ex quatuor qualitatibus constitui, easq; continere. verba conclusionem exprimentia sunt. Participant ipsis communia omnibus, tertia probat inesse omnes qualitates dictas mistis memoratis, actiuas quidem quoniam in ijs operantur concretionem, & incrassationem. propterea q; ipsa condidere. Passiuas verò humidum, & siccum insunt propterea quod per eas mista ipsa patiuntur. Secunda conclusio est, quæ scilicet ex præcedente pendet. Similaria corpora partium in plantis, & in animalibus constare ex aqua, & terra sunt similiter corpora hæc caro, neruus, ossa, &c. in animalibus circa signum in plantis. tertia demum conclusio est. Metalla, & quæcunq; alia talia constare ex ipsis scil. terra, & aqua, & ex inclusa exhalatione ea, quæ vtriusq; est vt à se alibi dictum memorat scilicet in 3: metheorum cap. postremo. declaremus hanc tertiam conclusionem (metalla, & quæcunque talia) sunt ergo Aristoteli subterannea in duplici discrimine: alia enim metalla vocat, alia fossilia. hæc ορυκτα græcè. illa μεταλλα metalla sunt aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, stamnum fossilia sunt sulphur, minium, cinnabari, & id genus alia metallorum materia est, vapor scilicet vapor in ea dominatur. Fossibilium est exhalatio fumida ex terra. quæritur ergo primo, quid significet, hic Aristoteles vox metalla; an sola verè metalla, an significent id quod commune est metallis, & fossibilibus. hoc sensit Vicomercatus, sed possumus etiam accipere in eadem significatione, in qua sumpsit tertio metheorum cap. vlt. vt significet metalla sola, quæ verò sequuntur, (& quæcunq; talia) significent reliqua fossibilia, scilicet quæ sunt talia, qualia metalla, in eo, quod sunt subterrannea: qua ratione, etiã lapilli prætiosi, qui intra terram gignuntur hac perephrasi cõtinentur [& ex ipsis] scilicet aqua, & terra [& exhalatione ea, quæ vtriusq; inclusa] vtriusq; hic intelligit terræ, & aquæ: est verò exhalatio vtriusq; ex qua resultant subterranea quoniam metalla non ex solo vapore concrescunt, sed ex vapore simul, & fumida exhalatione, in qua tamen aggregatione præualet vapor. contra fossibilia generantur, & ipsa ex vtroq: & in aggregatione præualet exhalatio fumida verbum verò (inclusa) exprimit, quod dixit tertio metheorum loco annotato [facit autem hæc omnia exhalatio vaporata cum includitur] nempe in lapide, intra quem metalla, & fossilia gignuntur. Vrine enim ita continentur. In hac particula suboritur dubitatio ex verbis illis (aliquibus autem, & frigiditas, quã deficit) Nam si aliquibus frigiditas solum non ergo mista hæc terminata participant omnibus sicut in conclusione prima afferit Aristoteles difficultatem hanc tractat Pomponatius, & primo adducit solutionem Caetani, quam adducit declarando non dubitando, estq; in mistis reperiri caliditatem, & frigiditatem quoq; quoniam caliditas mistis non inest nisi refracta, at refractio est per frigiditatem, at refutat solutionem hanc rectè Pomponatius: quoniam non tuetur dictum Aristotelis caliditatem inesse

omnibus mistis: frigiditatem aliquibus, ita enim inesset frigiditas pariter omnibus. Secundo loco solutionem affert ex Alexandro, vt ipse Alexandrum interpretatur omnibus mistis in generationis via inesse calorem: quoniam introductio formæ misti est à calore. cum verò deficit calor tum introducitur frigus, quod efficit rei corruptionem. Hanc solutionem, quam ego tamen non video in Alexandro, refutat eadem ratione: nam etiam mistis omnibus inesset frigiditas cum mista omnia corrumpantur occurrit obiectioni, non omnia mista frigore corrumpi, vt quæ comburuntur. at tollit responsionem: quoniam saltem omnis corruptio naturalis est per frigus, & crasis, scilicet rerum ex natura petitur, non ex violentia, soluit itaq; ipse hunc in modum. Caliditas inest omnibus mistis quatenus generatio eorum, introductioq; formè substantialis est à calore: at licet omnia à calore gignatur aliquorum tamen crasis est calida aliquorum frigida, vt in aliquibus caliditas excedit in aliquibus frigiditas vel simpliciter, vel comparatiuè. declaro duæ sunt sententiæ de crasi mistorum. Altera vult in omni misto excedere caliditatem. attamen aliqua dici frigida: non quòd caliditas non superet frigiditatem etiam in illis, sed quod excedat minori excessu, quam ferat communis latitudo mistorum. Altera verò sententia vult verè in aliquibus mistis frigiditatẽ præstare caliditati. Secundum hanc ergo frigiditas simpliciter præualet secundum illam sententiam non excedit nisi comparando cum latitudine communiter mistorum. Hæc Pomponatius. At quid si dixerimus calorem in omni misto superare in origine scilicet incremento, & statu: at in Aliquibus in decremento deficere, & tum excedere frigus, sunt verò hæc viuentia, at alia mista multa, vt aurum, & lapillos, & eiusmodi alia retinere calorem etiam in decremento? rectè ergo ita dicet Aristoteles aliquibus inesse frigiditatem omnibus caliditatem. At obijcitur solutioni. Mista omnia putredine corrumpi, ac in putredine calor emittitur. Educitur enim, & restat frigus internum ex definitione putredinis, dictisque ibi Aristotelis respondet in reputrefacto desiisse calorem, at tum non est amplius idipsum mistum, quod erat. verum dum id durat calor non abijt. fateor tamen si diceret emendare codicem me facilè assensurum emendationi rem-quiq; reputet.

Aristoteles. [Hæc autem omnia differunt ab inuicem tum sensit proprijs,
„ qualitatibus sensibilibus, & facultate aliquid faciendi. Album enim & o-
„ dorum, & sonorum dulce, & calidum, & frigidum eo, quòd possunt a-
„ liquid facere in sensum, tum alijs in proprijs passionibus, quæcunq; pa-
„ tiendo dicuntur. dico autem vt liquabile, & concretile, & flexibile, &
„ quæcunq; alia omnia enim talia passiua sicut humidum, & siccum. His
„ itaq; differt os, & caro, & neruus, & lignum, & cortex, & lapis, & a-
„ liorum vnumquodq; similarium quidem, naturalium autem corporum.]

105. *Commentarium*. Hic Aristoteles tradit differentias quibus corpora similaria inter se distinguuntur sunt autem in duplici discrimine: aliæ enim actiuæ: aliæ passiuæ; actiuæ sunt qualitates sensibiles, quæ scilicet sensus excitant, & moueant tanquam eorum obiecta, vel obiecti species, vt colores, qui in visum agunt, odores, qui in odoratum soni in auditum, sapores in gustum calidum, & frigidum, ac reliquæ qualitates tangibiles in tactum: sensus quidem ab obiectis suis patiuntur, est enim sentire pati (2. de anima

anima tex. 51.) & sensibilia sunt agentia tex. 59. pro actiuorum enumeratione contensus fuit Aristoteles nunc sensibilibus. at sunt etiam aliæ actiones, & alia actiua, quorum plura ponit Auicenna lib. 2. can. cap.. De areola operationum tenuatiua, incrassatiua, inuscatiua (pono verba eius) resolutiua, abstertiua, conglutinatiua, exasperatiua, applanatiua, & alia plura, quæ breuitatis causa ommitto sunt verò circiter 49 Aliæ differentiæ sunt ex passionibus, quibus constituuntur species passiuæ. Passiones verò hic significant potentias, & impotentias passiuas repetendum autem est ex præd. qualitatis secundam eius speciem esse potentiam, & impotentiam naturalem actiuam aliam, & aliam passiuam distinguuntur. ergo mista similaria, & potentijs actiuis, & passiuis. his quidem vt ex elementis duobus passiuis sicco, & humido terra, & aqua coalescunt. actiuis autem vt actiuas duas qualitates includunt ex quibus aliæ procedunt actiuę, quales sunt potentiæ naturales actiuæ. passiones verò hic accipiendas esse pro potentijs passiuis. declarat ipsemet Aristoteles in sequẽti particula illis verbis (dicamus primo numerum ipsarum, quæ secundum potentiam, & impotentiam dicuntur] ac de actiuis forsan erit dubitatio cum pro illis numeret Aristoteles colores, & sonos, & odores & calidum, ac frigidum, quæ sunt qualitates patibiles in tertia specie qualitatis reponendæ, non autem in secunda specie confirmatur dubitatio, nam mistam amplius differre videntur qualitatibus ipsis patibilibus, quam potentis scilicet apertior est, & prior differentia piperis ab opio caliditas, quæ in ipso est, quam potentia calefaciendi: nam per caliditatem crasis constituitur, at potentia crasim sequitur. Contra tamen Aristotelis sententiam esse, quod ex potentia faciendi distinguantur patet ex eius his verbis eo, quod possunt aliquid facere) & Alexander etiam idem sentit, & dicit. verba sunt. „His igitur quatenus actiuis existentibus ab inuicem differunt corpora. „ Ad rationes vero contrarias dicendum. esse calorem, & frigus & odores, &c. qualitates sanè patibiles, & in tertia specie qualitatis, at in illis ipsis fundari potentiam, & impotentiam naturalem ad præcedentia opera, quibus potentiis distinguuntur mista. ad secundam rationem respondetur esse sanè priores qualitates potentiæ, quæ ab illis pendent, secundum considerationem metaphysicam illis, non potentijs distinguendum, at verò secundum naturalem, rationem, & considerationem distinctio potius peragenda per potentias agendi, & patiendi quam per qualitates ita dicere, liceat quiescentes. quoniam ratio formalis subiecti naturalis philosophię est naturalitas: natura verò est principium motus, & quietis, at verò motus omnis est ab agente, & in patiente suscipitur. eiusmodi ergo differentijs distingui asserit corpora similaria, & naturalia. Sunt autem corpora naturalia alia similaria, alia dissimularia, hæc verò ex similaribus componuntur, vocat verò naturalia similaria tum ad differentiam artificiatorum corporum quale est nostrum nunc aurichalchum, & hydrurgirum Plinio. alio etiam modo naturalia vocantur ad differentiam dissimilarium corporum. quæ animata cum vt plurimum sint dum natura strictè sumitur supra naturam anima insurgit licet natura in tota sua vniuersitate, etiam animam compræhendat vt alias docui. sunt ergo dictæ differentiæ similarium corporum, dissimilarium vero nonnisi quatenus ex similaribus resultant.

Aristoteles. [Dicamus autem primo numerum ipsorum, quæ secundum potentiam, & impotentiam dicuntur. Sunt autem hæc. Concretile: inconcretile. eliquabile, ineliquabile. Mollificabile non mollificabile. Tingibile non tingibile flexibile. Inflexibile frangibile non frangibile. Friabile non friabile. Impressibile non impressibile. formabile non formabile. Præssibile non pressibile. Trahibile non trahibile. Ductile non ductile. Fissibile non fissibile secabile non secabile. Viscosum fragile. Commassabile non commassabile. Combustibile non combustibile. Exhalabile non exhalabile; Plurima igitur corporum his ferè differunt passionibus, quam autem vnumquodq; horum habeat potẽtiam dicamus.]

106. *Commentarium.* In hac enumeratione nomina græca non eodem modo vertuntur ab omnibus interpretibus: Tangibile græcè τηκτὸν vertit Vicomercatus humectile. frangibile græcè κατακτον vertit ruptile. Friabile græcè θραυστον vertit fragile. Est etiam in aliquibus alijs aliqua diuersitas, sed quæ potius pertineat ad elegantiam, quam ad significationem tamen in singulorum explicatione in sequenti capite considerabimus, eam quoq; interim satis sit dicere decem, & octo contrarietates ab Aristotele adduci, quas sub potentia, & impotentia naturali scilicet, & passiua reponi asserit. vocat etiam passiones vt indicet à se confundi nunc potentiam passiuã ac impotentiam cum passione. præsertim verò impotentiam. Restat id vnum, vt scilicet consideremus dubitationem à Pomponatio motam. Est verò. Repræhensione dignam videri hanc enumerationem cum per membra contradictoriè opposita tradatur. Concretile non concretile. Mollificabile non mollificabile. Tingibile non tingibile. idem in pluribus alijs. nam cum contradictio omne genus rerum complectatur, sequetur tum simplicia, tum cælestia, tum abstracta, & Deum ipsum sub eiusmodi oppositionibus contineri. At id repugnat hic Aristoteli ipsi, qui dicit plurima corporum his differre, at si contradictoriè opponantur different non solum plurima corpora. Sed omnia prorsus entia. Respondet Pomponatius negatiua membra significari Aristoteli priuatiua, quæ idcircò supponunt subiectum capax, aptumq; natum erit potentias suscipere, eiusmodi autem subiectum in solis corporibus reperitur, illisque generabilibus, & corruptibilibus, atq; mistis replicat contra solutionem Pomponatius eo, quod Aristoteles dicit plurimam corporum, at non video vt solutionis obsit replicatio, potest quidem deseruire pro dubitatione, quare Aristoteles dicat plurima corpora, & non omnia, at non pro demolitione solutionis. Sed quicquid sit de hac replicatione Pomponatij. Id certè constat dubitationem ab initio suam nullam esse. procedit enim ex ignoratione linguæ græcè in græca litera omnia ea opposita proferantur per dictiones priuatiuas non negatiuas ατηκτον αμαλακτον idem de alijs omnibus.

CAPVT DVODECIMVM.

In hoc modo capite duodecimo singulas enumeratas contrarietates prosequitur, & declarat licet potius dicere conueniat has species contrarias, quam contrarietates, concretile enim & inconcretile, sunt species pas-

passiuorum corporum, concretilitas verò, & inconcretilitas potentiæ ipse, & impotentiæ.

Aristoteles. [De concretili igitur, & inconcretili, & ineliquabili est
,, quidem. Vniuersaliter prius attamen redeamus, & nunc. Corporum Auct. tex.
,, enim quæcunq; concrescunt, & indurantur. hæc quidem à calido patiun- 43.
,, tur hoc: hæc autem à frigido, à calido quidem exiccantes humidum; i
,, à frigido autem exprimente calidum. Quare hæc quidem humidi absen-
,, tia hæc autem calidi hoc patiuntur. quæcunque quidem aquæ calidi, quæ-
,, cunq; autem terræ humidi, illucusq; mollificabilia autem. 107.

Commentarium. Protestatur Philosophus à se iam dictum de concretili, & inconcretili: de liquabili, & ineliquabili: in vniuersum attamen & hic dicturum. Dicit ergo corpora, quæ concrescant, alia à calido concrescere, alia à frigido. Exponit quomodo à calido fiat concretio, fitq; eo, quod exiccat humidum. exponit quomodo à frigido, & fit quoniam frigus exprimit calidum. Concludit ergo alia concrescere ob absentiam humidi: alia ob absentiam calidi. Declarat, quæ hoc modo, & quæ illo concrescant, & dicit ob calidi absentiam concrescere, quæ aquæ sunt, & ob humidi absentiam concrescere, quæ sunt terræ. Hæc de concretili, & inconcretili differit nunc, vel potius ex dictis repetit Aristoteles.

[*Quæ igitur humidi absentia.*]

Ad eliquabilia transit, & hæc asserit. Quæ concrescunt absentia humidi ab humido liquescunt nisi adeo coierint, vt minores relicti sint meatus, poriue quam sint aquæ moles, minimæ scilicet particulæ, ac guttæ aquæ tum enim inconcretile mistum redditur, & tale esse dicit fictile eo, quod scilicet non possit aqua in eiusmodi corporis penetrare. Cætera ergo corpora, quæ meatus adeo constrictos non habent liquantur ab aqua, vt nitrum sales, & terra ex luto. Dicit verò liquare terram ex luto ad differentiam terræ ex fictili (vt interpretatur Alexander quam non liquari tradidit secundum, quod dicit esse. Quæ concrescunt absentia caloris liquari à calore, vt glacies, plumbum, æs. Concludit à se ita explicatum, quæ sint concretilia, & quæ eliquabilia, & quæ ineliquabilia. Significat ineliquabilem explicationem illam cum dixit ob arctitudinem meatuum eliquari non posse, quæ ex humidi absentia concreuere.

[*Inconcretilia autem, quæcunq; non habent humiditatem aquosam.*]

Inconcretilia nunc, quæ sint tradit, triaq; in genera ea dispertitur primum genus est eorum, quæ non habent humiditatem aquosam; nõ suntq; aquæ, at in illis dominatur calidum, & terra, cuiusmodi esse dicit mel, & mustum: secundum genus est eorum, quæ sunt quidem aquæ attamen plus aeris obtinent, qualia sunt oleum, & argentum viuum. Tertium genus eorum est, quæ sunt lentu, & viscosa, vt viscum & pix, hæc omnia inconcretilia esse asserit. Dubitationes, quæ hac in parte oriuntur in annotationibus petantur.

Aristoteles. [Mollificabilia autem sunt concretorum quæcunq; non
,, ex aqua velut glacies (omnis enim glacies aquæ est) sed quæcunq; terræ
,, magis, & neque euaporauit totum humidum, sicut in nitro, aut in sali-
,, bus, neq; habet inequaliter sicut fictile, sed sunt trahibilia non existentia
,, humectabilia, aut ductilia non existentia aquæ, & mollificabilia igne,
,, velut ferrum, cornu, & ligna.]

108. *Commentarium.* Ad mollificabile transit est autem mollificabile, si vim vocis spectemus quicquid ex non molli potest fieri molle. Duplex verò non molle. fluidum scilicet, & durum, vt etiam fluida cum concrescunt in mollitiem mollia fiant,& eatenus fluidum quodcunq; in mollitiem concrescere potest, mollificabile dici ex rigore vocis queat. ex vsu tamen mollificabile id verè dicitur, quod durum cum sit, emolliri potest, & de mollificabili in hoc sensu loquitur hic Aristoteles, illud enim aliud mollificabile ad concretile,& concretionem spectat. fluidum siquidem molle fieri concretio est: ex superius dictis Aristoteles itaq; seipsum de hoc mollificabili agere declarat cum statim dicit mollificabilia autem sunt concretorum, se scilicet restringit ad ea mollificabilia, quæ dura cum fuerint emolliuntur. hæc ergo circumscribit his conditionibus prima est non esse aquæ, sed terræ magis, scilicet in illis prædominari terram, non aquam; secunda est non totum ex illis humidum euaporasse. pro exemplo eorum, quæ prima conditione adducit glaciem, est enim aquæ secundum prædominium. pro exemplo eorum, quibus secunda conditio deest affert sales & nitrum. Tertia conditio est non habere inequaliter, sicut fictile, quorum verborum duplicem expositionem Alexander Aphrodisiensis affert, alia est de inæqualitate humoris, quod scilicet inæqualiter humor participetur à latere, & fictili, alia est de inæqualitate meatuum, quod scilicet non sint meatus sibi indirectum quam expositionem præferre videtur alteri ex quibus conditionibus duo significat constitui genera mollificabiles, aliud est eorum, quæ sunt trahibilia, sed non humectabilia ita communiter litera iacet, at expositio Alexandri mõstrat affirmatiuã illi literam extitisse. „Verum trahibilia sunt, vt tacta præbeant incrementum.„ cum tamen humectabilia sint, veluti sunt nerui, & corrigæ nisi ergo medium sit in impressione affirmatiuam literam Alexander habuit, & verè nerui humefacti extenduntur, & trahuntur, atq; corrigiæ, & loca pariter humefacta, nisi interpretemur humefactum nunc pro humido, vt significat fluidum quomodo sumit Aristoteles cap. mihi 8. tunc legere oportebit negatiuè. massa enim transibilis sanè est, ac quoniam si humor infundatur large, fluida redit non est mollificabilis. Quod tamen est falsum. nam panis siccus diutius in aqua detentus mollescit, vt experientia constat. Ego igitur cum Alexandro Affirmatiuè legerem, Oportet enim, quod ex duro in molle transit humectari; cum molle præ duro sit humidum aliud genus est ductilium quæ non sint aquæ, alia enim aquæ sunt, vt plumbum, & stamnum, & cætera metalla præter ferrum, hoc autem est amplius terræ, quæ ductibilia, & aquæ non efficiuntur mollia, sed liquantur, at quæ ductilia sunt, & terræ vt ferrum molliuntur. à quo verò? declarat molliri ab igne. Enumerat verò horum ferrum, cornu, & ligna, dubitat de lignis Vicomercatus. Albertus verò de lignis viridibus, quæ vi ignis emmolliri asserit. at ego antea dixi ligna emmolliri, si in aqua elixentur: inde repetatur. cornu etiam emmollitur cum flectatur, vt in ijs patet, quę laternis obducuntur, ex quo illud Plauti.

In digress. de concoct. cap. 1. de sign. nom. ad Com. 40

Vulcanum gere in cornu.

Ossa pariter emolliuntur in cineribus calidis si postea manu tractentur, vt qui conspicillia faciunt.

Aristoteles. [Sunt autem eliquabilium, & ineliquabilium hæc quidem

» dem τεγκτὰ tingibilia, hæc autem non τεγκτὰ tingibilia veluti æs non
» tingibile liquefactibile existens. Lana autem, & terra tingibilis, made-
» fiunt enim, & æs quidem liquabile, sed ab aqua liquabilium quædam non
» tingibilia velut nitrum, neque enim tingibile aliquid, quod non mollius
» fiat madefactem, quædam autem tingibilia existentia non liquabilia sunt,
» veluti lana, & fructus. Sunt autem tingibilia quidem quæcunq; terræ e-
» xistentia habent meatus maiores aquæ molibus existentes duriores aqua, li-
» quabilia autem aqua, quæcunque per totum propter id igitur, terra qui-
» dem & liquescit, & tingitur, nitrum autem liquescit, non tingitur autem?
» quia in nitro quidem per totum meatus, quare diuiduntur mox ab aqua par
» ticulæ: in terra autem permutatim sunt meatus: quare qualitercunq; su-
» sceperit differt passio.]

Commentarium. Tingibilia græcè τεγκτὰ nunc explicat, & opposita intingibilia ἄτεγκτα scilicet humectabilia vertit Vicomercatus, at non sa- 109.
tis apte. nam sales humectantur sanè, & nitrum, neque tamen tingibilia sunt ex Aristotele hic. retineamus ergo tingibile. procedit eiusmodi nomen à verbo tingo, vel tinguo, quod significat imbui humore, vel colore tinctum, idest dicimus, quod aliquo colore infectum sit, & dicimus tinctum, quod aliquo humore sit imbutum vt illud spicula tincta venenis. Nunc ergo significat imbutum humore, vel quod imbui humore potest Aristoteles in duo genera partitur, aliud enim est eliquabilæ, aliud ineliquabilæ. Debemus autem ea nos præmittere, qua in intermedio loco ponit Aristoteles, sunt autem duo. aliud esse. Nihil esse tingibile, quod madefactum non fiat mollius. aliud est tingibilia esse quæcunq; terræ existentia habẽt meatus maiores aquæ mollibus existentes duriores aqua in quorum verborum versione id noto in græca litera postremo hæc verba per participium absolutum proferri, quod imitatus interpres latione etiam expressit dicens (durioribus existentibus aqua) at non satis concinna ea latinis loquutio vnde cum Vicomercato in eodem cum meatibus casu reposuimus, vt verè duriores est adiectiuum vocis meatus ad tingibilia ergo Aristoteles tres conditiones requirit, quòd sint terræ. nimirum in illis terra dominetur, quod habeant meatus maiores molibus aquæ, vt scilicet aqua possit in eos penetrare, & meatus sint duriores aqua, cuius postremæ conditionis hic est sensus meatus quisq; aliqua solida cum circumferentia, & claustro continetur, à quo scilicet clauditur, & ab alijs meatibus distinguitur. huiusmodi claustrum resistere debet aquæ, ne dissoluatur secus totum corpus instar nitri, & sali liquesceret, adeoq; non esset tingibile, debet enim restare corpus, quod tingitur non totum dissolui. his ergo primo loco declaratis iam cæterum prosequamur. Cum ergo alia sint eliquabilia; alia inæliquabilia. Vtrorumq; alia tingibilia, alia non tingibilia ex eliquabilibus, non tingibilibus æs enumerat, liquescit hoc non tingitur, non enim ab aqua mollescit. deinceps in exemplum adduxit tingibilium lanam, & terram, quarum lana est inæliquabilis, reddit verò rationem quamobrem sint ambæ tangibiles, quoniam madefiunt. Quare erit ratio. Quæcunq; madefiunt tunc tingibilia. Terra, & lana, madefiunt ergo terra, & lana sunt tingibiles. de qua tamen maiore iusta nascitur ex Aristotele paulò post dubitatio cum dicit non esse tingibile, quod madefactum non fiat mollius, vnde etiam excludit à tingibilibus nitrum, & sal, *Dubitatio.*

quod scilicet madefiant quidem, at non sunt mollia, est ergo aliquid, quod madefit est non fit mollius, omne tingibile fit mollius, ergo aliquod non est Tingibile. Contra maiorem. Liquabilia modo tingibilia esse quomodo contingat nunc subijcit. Liquabilia itaq; non ab aqua, sed ab igne hæc non sunt vllo pacto tingibilia. Liquabilia verò ab aqua adhuc non omnia tingibilia sunt, veluti nitrum, & sales rationemq; reddit eo ipso dicto, quod primo loco in hoc commentario explicui. quòd scilicet nullum tingibile sit, quod mollius non fiat madefactum. Paulò post explicabit, quæ liquabilia ex aqua tingibilia sunt, & quæ non tingibilia, interim verò interponit tingibilia, inæliquabilia his verbis. [Quædam autem tingibilia existentia non liquabilia, sunt velut lana, & fructus.] Lana ergo imbuitur humore, & non liquatur. at fructus etiam faba, & legumina ab aqua diutius ibi detenta molliuntur. legimus D. Carolum Borrhomæum in postremis vitæ annis nutriri solidum faba cruda in aqua frigida detenta, vt ibi emolliretur. Frumentum quoq; in quo detentum emmollitur, & maceratur, vnde amylum conficitur.

[*Sunt autem tingibilia quidem quæcunq;*]

Redit nunc ad declarandum, quæ sint tingibilia eorum, quę aqua liquantur, & quæ non. Ponit verò dictum illud secundum, quod iam explicui. Ex quo habemus, quæ tingibilia sunt ex aqua liquabilibus; sunt ergo, quę poros habent penetrabiles, ab aqua, at quorum pororum ambitus, & cancelli non sunt ab aqua dissolubiles, quorum verò claustra sunt dissolubilia ea liquantur, & nō tinguntur. Vocat hęc Aristoteles, quę poros habent per totum. id.n.ipsum importat cācellos, & claustra pororum esse dissolubilia.

[*Propter quid igitur terra quidem.*]

Ex his problema absoluit huiusmodi. Quamobrem terra, & liquescit, & ab aqua, & tingitur. Nitrum verò soluitur, liquescitue, sed non tingitur. Soluit ergo in nitro sunt pori, & meatus, per totum ideo totum soluitur, ac liquescit. In terra autem meatus sunt permutatim. vnde qualitercunq; susceperit differt passio. Sunt hæc postrema verba de terra exponenda quid sit permutatim se habere meatus, & poros. Videbatur autem dicendum terram non habere poros per totum, indeque non liquari. sed non dicit ita Aristoteles, notandum itaq; neq; debuisse dicere, nam secus terra non esset ab aqua liquabilis, contraquam videamus. Terra ergo habet vbiq; poros etiam in claustris, maiorum pororum, sed minutiores scil. & in obliquum vt aqua interdum maiores penetret non minores, tumque terra mollis redditur, & non liquatur. Interdum verò is est aquæ motus, & est penetratio, vt minutiores partes ingressa diuidatur, etiamque transuersa feratur, ac in obliquos poros penetret, & tum terra liquatur, hocq; est, quod sibi volunt postrema verba [quare qualitercunq; susceperit, differt passio.]

Aristoteles. [Sunt autem, & hæc quidem corporum flexibilia, & directilia, veluti arundo, & vimer, hæc autem inflexibilia, veluti fictile, & lapis. Sunt autem flexibilia quidem, & directilia, quorum corporum potest longitudo in rectitudinem ex circumferentia, & ex rectitudine in circumferentiam transmutari illucusque [& hæc quidem frangibilia.]


110 *Commentarium.* Ad flexibile nunc, & directile transit, & ad inflexibile, & indirectile, quod scilicet dirigi nequit in his explicandis Aristoteles solum quæ ad figuram spectant tradit quę ad causam physicam vix attingit

git forsan non erat in re leui magna opera ponenda. Describit corpus flexibile esse, cuius longitudo potest rectitudine in circumferentiam traduci & directile cuius longitudo potest ex circumferentia in rectitudinem traduci. Distinguit verò flexionem in reflexionem,& deflexionem, quarum hanc definit transmutationem ad conuexum illam ad concauum. Notandum autem vt concauum, & conuexum differunt tantum ratione, neque potest esse concauum, quin sit conuexum, & vicissim. id verò interest, quod conuexum dicitur,vt exteriora respicit. Concauum vt interiora,ita non potest esse deflexio quin sit reflexio, & vicissim,neque verò concipiēdum est ex reflexione in deflexionem fieri transitum per directionem intermediam siquidem statim vtq; est deflexio est reflexio,& vt eadem linea ac peripheria circuli est ad exteriora conuexa ad interiora concaua, ita dum flectitur ad exteriora, deflectitur ad interiora reflectitur simul, & semel. probat verò Aristoteles non posse ex deflexione in reflexionem, & vicissim transiri per intermediam rectitudiuem, quoniam simul esset rectum, & flexum,nam dum ex deflexione in reflexionem moueretur,esset flexio. Motus enim in reflexionem est flexio, at esset etiam rectitudo in medio ipso mutationis hyppothesi aduersarij ergo simul flexio, & rectitudo. hoc est Argumentum Aristotelis in litera. Sunt ergo quatuor in hac particula, duæ autem oppositiones. flexibile, & inflexibile. flexibile,vt vimen, inflexibile, vt lapis. directile, & indirectile. Vimencuruatum est directile, at fornix est indirectilis pariter vas vitreum dirigi nequit. At hic dubitatio nascitur num sufficienter definitionis hæ flexibile, & inflexibile determinent, & directile, ac indirectile, nam & massa, & quæ ex illa finguntur & dirigi, & flecti queunt, item cærea corpora. pariter fila pili, ligulæ funes, funicui, & id genus alia & dirigi possunt, & pro arbitrio flecti num sunt inter flexibilia, & directilia corpora hic ab Aristotele indicata, & intellecta? si definitionem seu descriptionem spectemus sunt hæc etiam interflexibilia reponenda at si sensum Philosophi, & vsum crederem non contineri, sed restringi flexibile, & inflexibile ad corpora dura, quorum aliqua rigida, & inflexibilia sunt, vt fictile, & lapis alia flexibilia, vt arundo, & vimen, sunt autem hæc omnia corpora dura, quorum exemplis vsus est Aristoteles vt exempla à Philosopho adhibita significent idipsum, quod ego in præsentia, & quoniam Olympiodorus flexibilia inter mollia reponit, repræhendendus est, nam neq; vimen neq; arundo cedunt tactui, sed resistunt, quæ est definitio duri.


Aristoteles. [Et hæc quidem frangibilia; & friabilia simul, aut separatim vt lignum frangibile quidem est, friabile autem non, glacies autem & lapis friabile, frangibile autem non, fictibile autem & frangibile, & friabile. Differunt autem quia refractio quidem est in magnas partes diuisio, & separatio. Friatio autem in quæcunq; & plures duabus. quæcunque igitur sic concreuerunt vt multos habeant vicissitudinarios meatus friabilia sunt: vsq;ad hoc enim distinguuntur quæcunq; autem ad multum frangibilia quæcunq; autem, ambo, ambo.]

Commentarium. Hæc etiam, quæ sequuntur sunt in genere durorum, eaq; hic considerat in ordine ad separationem partium à se non per sectionem, sed per percussionem, de sectione enim infra in secabilibus. Duas ergo separationes memorat fractionem, & fritionem. alia enim franguntur III.

guntur alia friationem patiuntur, ex complicatione verò tertium membrũ resultat eorum scilicet quæ simul fractionem, & friationem nata sunt pati pro exemplo frangibilis, & non friabilis adducit lignũ pro exemplo friabilis, & non frangibilis adducit glaciem pro exemplo friabilis simul, & frangibilis adducit fictile. Definit postmodum fractionem, & fritionem prius: deinde vtriusq. causam affert. est definitio fractionis. In partes magnas diuisio, ac separatio friationis. In partes quascunq; & plures duabus diuisio, & separatio, ex his definitionibus coniunctis sequitur non esse fractionem cum quid in plures partes duabus rumpitur. affert deinceps causam vtriusq; passionis, seu impotentiæ, vtraq; ergo reijcitur in poros, siue autem poros accipiamus pro vacuitatibus, vt antiqui ponebant, siue pro partibus debilioribus, vt eos interpretatur Aristoteles primo de ortu, & interitu certum est separari partes qua imbecillius coniunguntur. Cum itaq; pori eiusmodi sint multi, & priuatim positi res est friabilis cum ad multum res est frangibilis: verum enimuero sunt hi termini declarandi, cum non satis explicatos. videamus Alexander ommittit explicationem, cæteri satis imperfectè ponunt. Vallesius eam demum expositionem ponit frangibilia constitui ex eo, quod puros distillantes habent vnde cum in solis poris frangantur corpora in magnas solum partes diuiduntur. magnæ enim sunt, quæ inter poros interiacent contra friabilia, quæ comminuibilia ipse cum multis appellat, nec malè cum poros habeant multos, & propinquos, sed & alternatim positos in paruas conteruntur partes. noto autem causa explicanda friabilium non vti alternatione pororum Vallesiũ (licet mentionem eius faciat) sed solum vti multitudine & propinquitate eorum. At si lubeat rem attendere, & introspicere non benè constat doctrlna, neq; difficultatem expedit.



Esto lignum OABE. verbi gratia per ticalis longitudinis, vel supponit opinio in solo eius medio esse poros, verbi gratia in A & solum in medio frãgetur lignum in A. nempe partes, Ergo OA. AE iam separatę non amplius frangibiles erunt, quod experientię repugnat; nam multò etiam minoris longitudinis ligna franguntur rami siquidem vel vnius pedis ad genu frangimus, si ergo pluribus in locis sunt pori non solum in A. iam lignum in plures partes duabus diuidetur, ergo friabile non frangibile. præsertim quod conuincetur nedum in duobus locis, sed in pluribus poros esse, vt in tres nedum, sed in multo plures diuisibile demonstrari queat. Rursus faciamus OE. corpus esse friabile, ideoq; poros habere propinquos, vt poros I. poris A. vel dum frangitur in I. vel non si frangitur necessario non ergo poterit esse corpus & friabile, & frangibile simul: nam oportebit semper in paruas partes frangi, & comminui, nunquam in duas solas partes imò neque etiam solum in magnas. rumpetur semper enim in paruas: ego itaq; aliter expono Aristotelem poros ergo vicissitudinarios ego expono, veluti in figura tricas M. N. O. P. Q. in eiusmodi enim complicationibus partes necessario, & paruę & variæ conficiuntur, in quas corpus comminuitur. Cum verò pori con-



stituan-

tinuantur vt A. in rectum per totum corpus secũdum latitudinem fit diuisio in partes hinc, & inde à poris existentes. Continget verò vt potentia frangens interdum in A. vim faciat veluti cum ad genu positum A. ęquè ab eo deductis manibus lignũ distrahimus tum. n. fractio fiet in A. quod si per cussio fit in parte ad O. vel malleo, vel quoppiam eiusmodi instrumento, vel ex casu cum in terram vitrum, aut fictile decidit tum in partes minutas conteritur corpus; ex hac igitur vna explicatione, & figura constat quid sint Aristoteles vicissitudinari pori, quid ad multum, quomodo idem corpus possit habere poros vtroq; modo, & quomodo idem corpus possit esse friabile, & frangibile, quod si nulli pori sint complicati, sed omnes, vt pori A. solum corpus erit frangibile etiam si propinqui fuerint, vt A. idest in superiore figura, nam ad eam solum partẽ rumpetur corpus in quam ferretur connisus virium. Cum verò pori omnes fuerint complicati, atq; vt ita dixerim tricis, ac mæandus inuoluti tum solum corpus erit friabile gręcè dicitur κατακτιν quod frangibile vocat interpretatio Vicomercatus decersit, quod rumpi potest, vnde etiam ruptile ab alijs dicitur τραυτου friabile, quod frangi potest Vicomercatus. Comminuibile Vallesius, & Suessanus.

Aristoteles. [Et hæc quidem impressibilia, vt æs, & cæra. hæc autem
» non impressibilia, vt fictile, & aqua. Est autem impressio superficiei se-
» cundum partem in profundum transitus pulsione, aut percussione: in to-
» tum autem tactu [illucusq, trahibile autem.]

Commentarium. De impressibilibus agit, formabilibus, præssibilibusq; 111.
oppositisq; impressibilia gręcè θλαστά πλαστα πιστα vocantur. Impressibilia primũ Aristoteles exemplis siue expositione declarat sunt nimirum impressibilia æs, & cæra. Non impressibilia pariter declarat exemplis tunc nempe talia fictile, & aqua: explicat secundo definitionem impressionis. Est ergo impressio transitus superficiei secundum profundum pulsione, aut percussione, & in vniuersum tactu. dicitur transitus superficiei in profundum ad differentiam aquæ cuius superficies compressa non cedit in profundum, sed emergit, & corperit præmens. dicit secundum partem quoniam dum pellitur saxum tota etiam eius superficies in profundum transit, & non est impressio. præterea si percussione perfodiatur fictile cedit quidem superficies in profundum, sed non pars superior solum, verum etiam inferior cum tota parte perfossa, idest dicit pulsione, aut percussione, & in vniuersum tactu ad differentiam aquæ bullientis in cacabo, cuius suprema superficies concidit, at non est impressio.

[*Sunt autem tallia, & mollia.*]

Distinguit postmodum impressibilia, quòd alia sint mollia, vt cæra, cuius superficiei pars deorsum cedit reliqua suum locum retinente, fouea enim fit in cuius fundũ superficiei pars cessit. Reliqua ratio omnia superiorem permanente. alia sunt dura veluti æs, huius enim superficies superior etiam cedit in profundum vt in excusa moneta patet.

[*Et non impressibilia, & dura.*]

Subijcit declarationem non impressibilium, quæ alia sunt dura, vt fictile, cuius superficies non cedit in profundum. præssa neque etiam percussa cedit secundum partem, vt antea declaraui. alia verò non impressibilia sunt humida, ac fluida, veluti aqua cuius superficies etiam si cedat secun-

secundum partem non tamen cedit in profundum, sed contra secedit, ac emergit.

Impressibilium autem quæcunq; manent impressa, & benè impressibilia manu hæc quidem formabilia sunt.

Ad formabilia transit, quæ sunt impressibilium species. notandum verò impressibilia alia retinere foueam, aliam non retinere sublato tactu, ac imprimente, cæra retinet foueam imprimentis, at spongia patitur quidem foueam ab imprimente, at sublata manu fouea cessat. Impressibilia ergo quæ foueam retinent, & sunt prærerea benè impressibilia manu formabilia dicuntur. addit verò secundam hanc conditionem, quod sint benè impressibilia manu, nam æs etiam retinet foueam, at non est formabile, oportet autem vt formabilia corpora sint posse crassari, & fingi manu. proindeq; cæra, & massa formabiles sunt, & figulorum materia argilla nempe. Lapis verò, & lignum licet impressibilia sint, quoniam non sunt manu tractabilia formabilia non dicentur, neque verè sint.

[*Non manet autem impressio, vt lana, aut spongia non formabilia sed pressibilia sunt.*]

Hic illud dicit, quod antea præmonui non esse formabilia, quæ impressionem non retinent, vt lana, & spongiæ huiusmodi ergo res non formabiles, sed præssibiles esse asserit, vt pressibilia etiam sint impressibilium species.

Sunt autem præssibilia, quæcunq; pulsa in se ipsa coire possunt.

Ad pressibilia ergo transit, quæ definit esse. Quæ pulsa in se ipsa coire possunt cum in profundum superficies permutatur, nec diuiditur. & non trasfertur alio alia particula, quemadmodum facit aqua. definitio hæc ex compressione spongiæ, & lanæ intelligitur spongia dum comprimitur non accidit in quod in impressione cæræ cuius pars superior in inferioris locum cedit, at spungiæ partes in vnum coguntur, & particula particulæ hæret, quæ prius disiungebantur ex interiecto meatu. nec alia alio transfertur, vt in aqua contingit cuius pars dũ comprimitur transfertur ipsa, & continuæ partes sursum ad comperiendum præmens, quid verò sibi pulsio cur inquam differentia ea ponatur iam explicui in explicatione definitionis impressionis.

Est autem pulsio motus à mouente, qui fit à tactu.

Definit pulsionem, & percussionem, quarum in definitione impressionis, & partium in hac definitione meminit. Pulsionem ergo definit. Motum esse à moriente, qui fit tactu hoc est motum esse, qui fit tactu à mouente, & sensus est cum mouens mouet id quod est ipsi contiguum est ea pulsio, vt dum vsu corporis, vel manus, quod hærebat nobis mouemus, at percussio est cum intercedit motus localis, verbi gratia cum sublata manu, ac mota alapham incuctio alicui est ea percussio ob intercedentem localem motum item cum ense percutio quempiam, vibratur enim ensis quæ vibratio est motus proinde definit percussionem Aristoteles motum à mouente, qui fit lationem.

[*Premuntur autem quæcunq; meatus habent.*] *cognati corporis, & præssibilia hæc quæcunq;*

Causam hic pressibilitatis affert, estq; ea causa, quæ meo iudicio pertinet ad definitionem eius causalem. Est verò habere meatus vacuos cognati

gnati

gnati corporis vnam, & durioris corporis. quæ enim eiusmodi meatus habentem, quos coire possint sunt ea corpora pressibilia. declarat verò meatus eiusmodi, vel esse vacuos oportere, vel plenos corpor emolliore, quam sit corpus, quod coit, at vult ne Aristoteles dari vacuum imbicoctum contra suam doctrinam? certè si ita exponamus recederet ipse à suo dogmate dicendum ergo arbitror in hac sensatione philosophia vocare vacua, quæ conspicuo corpore non sunt plena, vt in spongia aere solum plena. cum verò plena est aqua vel humore alio tum vocat pleros meatos, quod conspicuo corpore repleantur, quando ergo meatus à corpore sint, in quos coire corpus possit, nam etiam si liguum poros habeat eosq; aere plenos non est tamen pressibile, quia nõ potest coire in suos poros prę duritie. hæc ergo est secunda conditio, vt coire possit corpus in poros. tertia conditio est ij pleri sint corpore molliore ipsomet corpore coeunte, scilicet aqua mollior est spongia. Carnem etiam, & ceram ob hæc pressibiles facit.

[*Non pressibilia autem*.]

Definit nunc pressimilia, quę ἀπιεστὰ dicit sunt ergo non pressibilia quęcunque non possunt coire in poros, aut quia non habent, aut quia habent plenos durioribus corporibus, quam sit corpus ipsum exempla postmodum affert non pressibilium ferrum, lapidem, aquam, & omne humidum scilicet fluidum, at dubium occurrit de aqua, & de fluidis quomodo illa in se non pressibilia reponat sub definitionem allatam non pressibilis. Non enim posse videtur illa accomodari aquæ fluidis, quæ meatus nullo modo habent plenos durioribus corporibus: quid ergo dicendum? Num aquam & fluidam carere meatibus, & hac ratione sub definitione contineri? est de hoc in propria disputatione deliberandum.

Aristoteles. [Trahibilia autem sunt quæcunq; potest ad latus transferri
„ superficies. Trahi enim est transferri ad mouens planum contrarium exi-
„ stens sunt autem hæc quidem trahibilia, vt pilus, corrigia, neruus, massa
„ triticea, visum; non trahibilia, vt aqua, & lapis. Aliqua eadem trahibi-
„ lia, & pressibilia vt lana. Aliqua non sunt vt pituita pressilis non est, sed
„ tractilis. Spongia pressilis quidem est, sed non trahibilis.]

Commentarium. Trabilia, vel tractilia, vt alij vocant græcè ἑλκτὰ hic definit, & declarat. Tinctus verò alius est totius corporis cum à suo loco dimouetur totum, & ad trahentis locum, vel propius saltem ducitur. alius est cum corpus in suo loco residet, at pars eius trahitur, ita viscum, & viscosa in longum protrahimus. definit eiusmodi tractionem esse translationem ad mouens plani continui existentis. Sensus ergo est esse tractationis motum, quo ad mouens ipsum, vel proprius illud ducitur. Corpus quod trahitur, quod sanè restat in pristino loco, sed pars eius ducitur non ab eo diuisso, sed quæ cum ipso iuncta perseueret: exemplo, & expositione declarat. Sunt ergo trahibilia, vt pilus corrigia, lorumue neruus massa triticea, nam quæ ex faba, & hordeo trahibiles non sunt; viscum. demum verò nos abdere possumus, quæ lenta, & viscosa sunt ea esse trahibilia. Ex non trahibilibus autem recenset aquam, & lapidem. 112.

Hæc igitur eadem sunt trahibilia, & pressibilia.

Distinguit demum corpora bifariam. Alia sunt eadem trahibilia, & pressibilia, vt lana. Trahitur hæc à mulierculis dum eam nent, sed & ca-

nabum, & linum trahuntur. præmitur autem cum manu cogitur, vel funibus, aliove modo compungitur. Alia sunt trahibilia, sed non pressibilia, vt pituita, hec enim interdum ramo in catinum imerso ad multum spacium à medio trahitur, dum ægri vomitum petentati alia sunt præssibilia, sed non trahibilia, vt spongia, compositionem verò, & constitutionem trahibilium infra exponit, vbi de viscosius agit, & si rem ipsam spectemus erat sermo de viscosis huic de trahibilibus annectendus. Licet Aristoteles seiunxerit occasione vocum, trahibile enim, & ductile possunt videri idem cum multum distinguantur. Tractilia enim nulla hæc non dura sunt, at ductilia dura, pleraq;

Aristoteles. [Sunt autem hæc ductilia, vt æs; hæc autem non ductilia,
„ vt lapis & lignum. sunt autem ductilia quidm quæcunq; eadem percussio-
„ ne possunt simul in satis, & in profundum secundum superficiem transfer-
„ ri secundum partem, non ductilia autem quæcunq; non possunt vsq; illuc.
„ [Sunt autem, & hæc quidem fissibilia.]

113. *Commentarium*. Ad ductilia transit conueniunt ductilia, & trahibilia, quod corpus in suo loco permanens extenditur, secundum dimensionem aliquam, vel aliquas ductile ergo sunt, quæ superficies, vnico ictu extenduntur in satum, & in profundum secundum partem. sensus definitionis verò explicatio est. Ductilia vnico ictu extendi secundum superficiem in satum, ad differentiam, & profundum. interpretor in profundum, vt æs conspissatur exictu. in satum autem dicit ad differentiam trahibilis, quod cun multum ducatur, at secundum vnicam dimensionem in longum dici dicitur. Ductile autem non multum ex vnica percussione extenditur, ideo in latitudinem solum extendi dicitur licet quoquo versum extenditur. Particula verò, & differentia, secundum partem apponitur, quoniam non totum æs percussione vnica extenduntur, sed qua in parte à malleo percutitur, vel secundum propinquas admodum solum. Est ergo ductile veluti æs, sed & aurum, & argentum, & cætera id genus metalla ductilia verò lapis, & lignum, & quæcunq; in vniuersum non possunt eodem ictu extendi in satum, & in profundum.

[*Sunt autem ductilia, omnia, & impressibilia.*]

Subijcit deinde, vt se habeant ad impressibilia ductilia, & vicissim. Sunt inquit omnia ductilia impressilia. quæ enim scilicet adeo percussioni cedunt imprimentur etiam superficies enim cedet in profundum, & impressibilia sunt, quorum superficies in profundum cedit. Non omnia tamen impressibilia ductilia. imprimitur enim lignum, at non est ductile, vt plurimum tamen dicit reciprocari impressibile, & ductile.

[*Pressibilium autem, hæc quidem ductilia.*]

Modo comparat pressibilia cum ductilibus. Pressibilia ergo aliqua esse ductilia dicit, vt cæram, & lutum, alia non ductilia, vt lana, & aqua. At dubitatio est cur dicat nunc & in trahibilibus transferri, extendiq; superficem non corpus, superficies enim non mouetur, sed corpus. Respondeo extensionem, & superiorem motionem importare amplationem quandam. at non ampliatur soliditas corporea, sed solum superficies eius ampliatur.

Aristoteles. [Sunt autem & hæc quidem fissibilia, vt lignum, hæc au-
„ tem non fissibilia, vt fictile. est autem fissibile, quod potest diuidi ad plus-

plusquam diuidens diuidat. funditur enim cum ad plus diuidatur, quam diuidit, & antegreditur diuisio illucusq; viscosum autem.

Commentarium Fissibilia, & secabilia nunc tradit primo declarat expositione fissibile, & oppositum non fissibile dicendo esse fissibile lignum, at non fissibile fictile: definit deinde fissibile, quod aptum est ad plus diui. di. quam diuidens diuidat sensus est, sit incisio cunei longa tres digitos si lignum sit fissibile aperitur amplius sectio tribus digitis in vtrumq; longitudinis partem. dicit itaq; antegredi scilicet ulterius progredi diuisionem. 114.

[*Non fissibilia autem sunt.*]

Declarat non fossibilia quid sint,& quę sint. sunt ergo quæ non sunt nata diuidi amplius diuidens diuidat, & hæc quoad quid sint. Quoad verò quę sint non fossibilia dicit omnia mollia esse non fissibilia, vt magis priuatiuam oppositionem significemus. declarat verò subiectum propositionis mollia,accipiendumq; esse dicit hic molle simpliciter non secundum comparationem,quomodo etiam molle dicitur per comparationem scilicet ad aliud ferrum. secunda conclusio est non & omnia dura esse fissibilia, at quæ dura fissibilia sint, & quæ non sint aperit conditiones tres numerando fissibilium supponendo semper ea esse dura tres durities conditiones ad iungit negatiuas omnes, sunt autem oportere non esse humida; neque esse impressibilia, neque friabilia, non esse verò humida intelligendum humiditatem non quidem continuantem, quæ in omni consistente corpore necessario reperiatur, sed conspiciuntur, & quoquo pacto emollientem. has conditiones ex quibus res redditur fissibilis si adsint non fissilis si absint postremo reducit ad causam summam: est verò si secundum longitudinem habeant meatus secundum quos sibi mutuo hærent non secundum latitudinem, nimirum si pori sint secundum longitudinem iuxta quos poros partes ipse misti sibi mutuo hærent, & copulantur, ita enim libet mihi explicare verbum π αςγεται vt tum proprietas eius exposcere videtur tum interpretatus est Vicomercatus græcæ linguæ vir perbelle peritus.

Secabilia autem sunt consistentiam durorum, aut mollium quæcunq; eam potestatem habent, vt neque necessario diuisio antegrediatur, neque diuisa comminuantur.

Ad secabilia transit, propinqua enim sunt fissibilibus eaq; primi diuidit, sunt enim alia dura, alia mollia, deinde describit. dicens secabilia esse, quę eius sunt naturæ, & conditionis, vt neque diuisio vlterius progrediatur, quam diuidat diuidens, neque ipsa dum diuiduntur friationem patiantur, comminutionemue. Definit postea, declaratue non secabilia eaq; esse dicit, quæ vel humida, vel conditione duabus narratis contrarias habent antegreditur, scilicet necessario diuisio,& diuisa comminuuntur. Notandum autem vtramq; conditionem reperiri ne corpus sit secabile non sufficere primam, quoniam lignum fissibile est adhuc secabile, vt ipsemet mox fatebitur verba sunt,quædam autem sunt eadem & secabilia, & fissibilia velut lignum. Malè ergo Vallesius,qui definit rectilia pertinendo pro differentia definitionis ne- esse ipsa fissibilia.

Sed vt plurimum fissibile quidem secundum longitudinem, secabile autem secundum latitudinem.

Differentiam aliam ponit nter fissibile, & secabile. sed non perpetuam & vniuersalem, at quæ vt plurimum locum habet. Est ergo fissibile, vt pluri-

plurimum secundum longitudinem. secabile secundum latitudinem, causamq; subijcit diuersitatis, ac differentiæ in illis, in quibus locum habet. fundamentum ergo est diuisionem esse vnius in multa vnde cum multæ longitudines sunt in vnum coniunctæ mistum eiusmodi secundum longitudinem diuisibile est, estq; fissibile, at multæ latitudines fuerint in vnum compositæ est diuisibile mistum secundum latitudinem, & dicitur secabile. Iure merito verò Aristoteles non vniuersalem, sed vt plurimum differentiam eam inter secabile, & fissibile intercedere dixit etenim etiam lignum secundum longitudines in asseres, in tigna, in tubes, in tigilla, & id genus alia. Est id sanè vniuersale vt fissio fit secundum longitudinem: sectio facilius secundum latitudinem non tamen perpetuo secundum latitudinem fit.

Aristoteles. [Viscosum autem est cum trahibile aut humidum, aut
„ molle fuerit. Tale autem sunt alterna permutatione, quæcunq; corpo-
„ rum non velut catenæ componuntur, hæc enim ad multum possunt exten-
„ di, & coire, quæcunq; autem non sunt talia frangilia sunt. Commassa-
„ bilia autem sunt quæcunq; pressibilium manentem habent commestio-
„ nem. Incommassabilia autem quæcunq; aut omninò non pressibila sunt,
„ autem non manentem habent compressionem.]

115. *Commentarium.* Viscosa modo, & commassabilia nec non eorum opposita declarat. Viscosa ipse dicit γλίχρα vertit Vicomercatus cum Vallesio lenta. Lenta siquidem dicuntur tenacia. Plautus quam lentum, & Visco simile? dicit quis ergo viscosum in trahibile, in humidum, & in molle. Sectio tamen huius loci duplex esse videtur, alia est quam Vicomercatus sequitur, & Vallesius absq; illius alterius mentione lectionis. alia quam communis versio videtur habuisse eandemque videmus in Alexandri commentarij litera hæc non legit alterna siccam, & inert humidum, & molle. at in codice græco Vicomercati legitur. est enim ἢ ὑγρὸν ἢ μαλακόν cuius lectionis sensus mihi laudabilis apparet, est enim Viscosum, aut esse trahibile, aut humidum, aut molle, tria scilicet dicit esse Viscosi genera. Trahibile aliud vt pituitam. fluidum aliud vt oleum. molle aliud, vt cæram. alterius lectionis non video sensum vllum accomodatum. Non enim verum est trahibile vllum esse fluidum, non enim fluidum habebit in tractu planum continuum, sed diuelletur. Declarat postea ceu definitionem quandam causalem adducendo quomodo constituantur lenta corpora, dicitq; constitui eo, quod alterna quadam permutatione componatur instar catenarum. Indeq; colligit extendit ad multum posse, & rursus contrahi dum.n. pituitam. exempli graria deducimus dum manum remouemus à tractu ipsa rursus in se recidet. Vallesius qui hoc in loco pro tria, scilicet ponit ductile est abijciēdus, apertè.n. litera græca repugnat.

Quæcunq; autem non sunt talia fragilia sunt.

Declarat nunc opposita viscosorum. Eorum enim natura opposita est demptæ Viscosorum vocat opposita eiusmodi Aristoteles ςατγρά vertit Vicomercatus friabilia, quod nomen antea cum communi interprete applicuimus nos voci græcè τραγυρά at interpretatio fragilia vertit, & mihi probata est versio, quam etiam probari videmus curis eruditis in lexicis pangendis.

Comma-

[Commassabilia autem.]

Commassabilia græcè vocat Philosophus ἀλαστά vertunt hanc vocem nonnulli subiĉtilia,& verbo subigo, quod in hunc sensum capi à latinis patet ex auctoritate latinissimi scriptoris Catonis, farinam in mortarium indito: aquam pati, subigitoq; pulchre. Verbum Commassare non est, quod meminerim à pura latinitate receptum tamen cum à massa deriuetur, ideoq; rem sub oculos ponat ego recipi definit ergo commassabilia esse pressibilia habentia permanentem compressionem.

[Incommassabilia autem.]

Inde definitionem incommassabilium deducit ea esse dicendo, quæ aut pressibilia non sunt, aut compressionem non retineat.

Aristoteles. [Est hæc quidem combustibilia sunt, non autem incombu-
„ stibilia, veluti lignum quidem combustibile & lana, & os, lapis autem, &
„ glacies incombustibile. Sunt autem combustibilia, quæcunq; habent mea-
„ tus susceptiuos ignis, & humiditatem in poris indirectum positis debilio-
„ rem igne. Quæcunq: autem non habent aut fortiorem, veluti glacies,
„ & valde viridia sunt incombustibilia.]

Commentarium. Ad pasiones quæ ab igne inferuntur corporibus mistis, postquam alias absoluit, quæ ab alijs inferuntur agentibus, siue ad potentias, impotentiasue naturales ad eas pasiones suscipiendas nunc transit, quæ igitur potentias eiusmodi, & impotentias habent sunt combustibilia, quæ impotentiam habent naturalem. Incombustibilia verò, quæ potentiam habent, vt ex Aristotele elicitur cap. de qualitate, vbi de secunda specie. Quoniam verò species combustibilium sunt inflammabilia, & carbonabilia, nec inflammabilia, & carbonabilia, nec inflammabilia possunt applicari ignotis exhalabilibus, ideo Philosophus cum in vniuersum combustibilia declarauerit, statim subijcit de exhalabilibus sermonē, vt inde ad species combustibilium declarat vsq; ad capitis huius calcem. Cōbustibilia ergo primo declarat expositione. Sunt itaq; combustiblia lignum, lana, os. Sunt incombustibilia lapis, & glacies. Secundo loco describit conditiones afferendo ad eorum cōstitutionem necessarias. duas communiter agnoscunt, quòd insint meatus, poriue capaces ignis, & quòd humiditas in illis existens poris in directum positis sit debilior igne; vincatur scilicet ab igne non autem vincat ipsa ignem illi resistendo. Verum ego hanc secundam cōditionem in duas partior, vt duo requirit. requirit humiditatē debiliorē igne, & requirit positionem meatuū indirectuum, adeo, vt etiā si esset humiditas in poris debilior igne nō essent tamen meatus sibi indirectū, sed in obliquū non foret mistum ex dogmate hoc Arist. combustile (quæcunq; autem nō habent) incombustibilia hinc explicat. dicit ergo esse quęcunq; nō habent (humiditatem scilicet) cuiusmodi videtur esse lignum, quod albestinum græci vocant, & etiam apud latinos nomen retinuit, & id, quod vocant alumen plumę pharmacolę nunc, quod tamen esse amiantum contendit Mattheolus. Eiusmodi verò vocatum alumen non vritur, videturq; eius incombustibilitas inde procedere: quod humiditatem careat, indeq; in disitam eam lanuginem spargitur pumices certè, & cineres sunt incombustiles ob humiditatis omnis absentiam; alterum genus incombustibilium est, quod habet humiditatem, at validiorem igne scilicet resistentem igni, & ipsum vincentem. huiusmodi humiditatem habent glacies, 116

 & li-

& ligna valde viridia iuxta hanc interpretationem tres erunt causę incombustibilium, absentia omnis humiditatis. humiditas vincens ignem, ac primo loco carere omnibus poris nisi, & hanc causam bipartiamur in pororum defectum ignis capacium, & in præsentiam sanè pororum capacium ignis, sed non in directum iacentium.

Aristoteles. [Exhalabilium autem sunt corporum, quæcunq; humiditatem quidem habent, sic autem habent, vt non euaporent seorsum ab ignitis. Est enim vapor illucusq; combustibilia autem.]

117. *Commentarium*. De exhalabilibus agit, quæ verò intentio eius, & quę connexio in præcedente proximo commentario aperui. at longè aliam connexionem, & intentionem cum Vicomercato Vallesius exhibet, nam interpretatur agere hic de suffimentis, ac odorabilibus. Fundamentum eorum est græca vox θυμιατα qua vtitur Aristoteles cuiusmodi vox, & exhalationem natam emittere significat, & suffimentum, odoramentum scilicet italicè *profumo*. aliena omninò expositio, & à loco, & à verbis consequentibus, quibus omnis exhalatio comprehenditur non suffimenta sola, vnde id etiam persentiscens Vicomercatus corrigit quoquò pacto dictum, ac sententiam suam licet non plenè, ac explicationem aggrediamur Primo ergo exhalabilia describit esse corpora habentia humiditatem, quæ ab sequentibus à calido scilicet astruo non possit euaporare seorsum scilicet separato ab exhalatione: nam vt paulò post posterius dicit est exhalatio communis erectio sicci, & humidi simul, ego itaq; grecam vocem, at participium πυρουμενων interpretatus sum non pro participio passiuo, sed pro medio, quæ voce idem sunt sed significatione diuersa. Actiuam enim significationem obtinet medium verbum, & in indicatiui, præsenti, & præteriti imperfecto eadem habet vocem cum passiuis Alexander in proxima significatione multis cum ipsa exponunt, quæ mox sequuntur verba magis expositioni meæ fouent cum enim in confirmationem horum adducantur calido actiuo vtuntur non vsto adeoq; actiuam significationem non passiuam adhibent, & quæ etiam præcedant, nam si sensus verborum esset quiq; affert Alexander dura esset verborum constructio. Sensus verò, quem tribuit Alexander est non posse euaporare humiditatem exhalabilium cum calefacta fuerint seorsum à sua substantia hoc est quin cum euaporatione non dispereat, & euanescat substantia rei, vt mox latius dicet ex quo loco hunc exponit sicut ego expono ex definitione exhalationis, quam in hac eadem particula subijciet, non sequor verò Alexandrum, quoniam excretio per quam corpus consumi asserit dicit esse quæ non madefacit, quæ non est vapor, vaporem enim madefactiuum hic iam dixit vnde non consumitur per excretionem vaporis corpus nec aboletur, quocirca falsa est in sensu Alexandri est hæc definitio at in sensu nostro vera.

[*Est enim vapor à calido combustiuo in aerem & spiritum excretio ex humido madefactiua.*]

Definitione vaporis confirmat positam descriptionem. Est ergo vapor excretio ex humido (quoniam vt dixit in primo metheor. vapor) mascua est humidum quod in terra, & super terram. exhalatio autem est terræ siccæ existentis madefactiua, quoniam est vapor potentia aqua, vt ibidem dicit: exhalatio verò non est madefactiua, sed coloratiua potius vt subijciet, est ergo differentia hæc distinguens exhalationem à vapore (in aerem & spi-

& ſpiritum, in aerem eſt differentia excretione cum humor ipſe in forma humoris è corpore fluit veluti in putredine cum putreſcentia diffluũt tabo [in ſpiritum] hoc etiam conuenit vaporis non exhalationi, vt paulò inferius aſſeret ipſemet Ariſtoteles (à calido vſtiuo) hæc eſt cauſa effectrix vaporis in qua cauſa conuenit cum exhalatione, quam à calore vſtiuo fieri ipſemet in hac particula ſubijciet: verum calorem eiuſmodi vſtiuum ad calorem etiam ſolis extendere debemus à quo vapores eleuari, & in metheorologicis tradit Ariſtoteles, & ſenſu ipſo conſtat.

Exhalabilia autem tempore in aerem excernuntur, & hæc quidem euaneſcentia ſicca hæc autem terra fiunt.

Non eſt hæc definitio exhalabilium, ſed proprietas, quod ſcilicet cum diuturnior fuerit exhalatio diſpereant, ac euaneſcant ipſa ſecundum ſubſtantiam, & partim euaneſcant in inſenſibilem tenuitatem [in aerem ipſe dicit] partim in terram in cineres, ſcilicet, & ramenta terrea, vt in thure patet, idq; genus alijs. (tempore) accipit pro cauſa effectrice exhalationis Vicomercatus; cum tamen mox calorem vſtiuum pro cauſa non tempus adducat. mihi itaq; magis probatur eſſe conditionem exhalationis oportet ſi quidem vt diuturna ſit exhalatio, eiuſq; duratio adhuc vt exhalabile euaneſcat.

[*Differt autem hæc excretio, quia neque madefacit, neque ſpiritus fit.*]

Differentiam notat inter vaporem, & exhalationem, quod exhalatio neque madefaciat, neque ſpiritus fiat. vapor verò madefacit, & in ſpiritum tranſit, vt in definitione proxima vaporis. quid ſit ſpiritus mox declarabit. verum verò ſemper in ſpiritum an aliquando tranſeat vapor nihil in præſentia refert adhuc enim erit differentia inter vaporem ex hoc capite, & exhalationem etenim hæc ſiquidem nunquam, ille interdum in ſpiritum mutaretur.

[*Eſt autem ſpiritus fluxus continuus aeris ad longitudinem.*]

Definit ſpiritum græce πνευμα fluxum aeris continuum ad longitudinem Alexander ponit differentiam inter ſpiritum, & ventum græcè inter πνευμα & ανεμον quod ventus eſt certo pincipio præcedat ſpiritui nullum certum principium aſſignetur, à quo fluat non tamen ita reſtricta definitio adhuc vento conueniret ſecundum doctrinam Ariſtotelis, qui vẽtum non eſſe aerem motum contendit, ſed exhalationem, vnde neque vapor ventum facit contraquam hic diceret, ſi interpretemur ex Alexandro ſatis eſſe aduentum definiendum dicere ventum eſſe fluxum aeris continuum ex certo principio procedentem, cum enim vapor in aerem tranſeat ex vapore origatur etiam ventus, eſt ergo potius dicendum differre ſecundum Ariſtotelem πνευμα & ανεμον hunc eſſe ab exhalationem illum eſſe aerem motum in longitudinem Pomponatius dat dubitationi manus.

Exhalatio aut eſt à calido vſtiuo communis excretio ſicci, & humidi ſimul. Quapropter non madefacit, ſed colorat magis.

Vetus interpres vel vitiatam literam græcam, habuit vel ipſe errauit in vertenda vera litera, vertit enim locum hunc. exhalatio autem eſt à calido vſtiuo communis excretio ſicci, & humidi aeris, ſcilicet loco dictionis ſimul græcè ατροος quæ vox in græco codice ipſe legit αερος ni dicant erraſſe in expoſitione vocis αθροος quæ fuiſſet multa linguæ græcè imperi-

tia. Pomponatius veterem versionem, falsamq; amplexus magnam hic du bitationem excitat, quæ ex vera sectione cessat. Definitio hæc est exhalationis satis tamen concisa, nam etiam vapor potest esse excretio communis sicci, & humidi dum tamen humidum præstet siccitati hoc est dogma Aristotelis apertum cap. 1. de ventis verba eius sunt cum de duplici halitu exhalatione, & vapore loquitur quorum vaporem ex humido exhalationem ex sicco eleuari dicit hæc tum scribit. Est autem neque humidum
„ sine sicco, neque siccum sine humido, sed omnia hæc dicuntur secundum
„ excessum. Deest ergo in definitione Aristotelis excessus siccitatis, quem supplere oportet mente, & forte est hic mendum ex multis, quæ in codicibus Aristotelis reperita sunt dum ex loco in quo deletescebant carne, & humore in pluribus partibus conscripti extracti sunt nisi dicamus ex ijs, quæ subiungit non madefacere, sed colorare integrari definitionem licet per modum Corellarij posteriora sint subiũcta cerè & in denitionis vaporis reponitur pro differentia ly madefactiua cur non oppositam dictionem non madefactiuam, & coloratiuam reponemus in definitione exhalaiionis?

[*Est autem ligneæ quidem corporis exhalatio fumus, dico autem ossa, & pilos, & omne, quod tale est,*]

Species nunc terræ exhalationis affert sunt autem fumus καπνός λιγνύς fuligo κνῖσσα nidor fumus est exhalatio ligni, & ossis, & pilorum, & pennarum, quæ non reducuntur ad vnicum genus nominatum, sed ad vnum aliquod proportione. Confirmat testimonio Empedoclis, qui analoga facit pilos, folia, pennas, & squammas eius duo carmina adducit, quæ vertit Vicomercatus.

Sunt eadem, frondesq; pili, densaq; volucrum
Pennæ tum squammæ queis fortia membra teguntur.

Exhalatio verò pinguis corporis est fuligo vnctuosi nidor. Pomponatius non uidetur quomodo differant pingue, & unctuosum, concluditque ab Aristotele uocare pingue, ut laridum unctuosum, ut axungiam. at ego uideo ab Aristotele unctuosum tribui oleo, & oleosis, oleoq; imbutis, & pingue pinguedini, ideoq; statimq; atq; de vnctuosis dixit infert de oleo, neque elixari, neque crascescere in sequentibus mox verbis.

[*Ideo oleum non elixatur, neq; incrassatur, quia exhalabile est, non vaporabile, aqua autem non exhalabilis, sed euaporabilis.*]

Infert ex dictis proximis oleum non elixari, neque crassescere, quia exalabilis non euaporabilis, intelligendum verò est à calore vssiuo oleum non elixari, neque crassescere à quo scilicet calore in exhalationem vertitur, & exhalatio ab eo adducitur, quod supra monuimus à calore elixante, atque assante non crassescere oleum. ad annotationem recurratur.

[*Vinum autem dulce, quod pingue sit exhalat, atq; eadem facit oleo.*]

Infert secundo loco de vino dulci nõnulla primum est exhalare eo, quod sit pingue cum enim pingue exhalat fuliginem siquidem emmittit. Secundum est eadem, quæ oleum facere non scilicet concrescit à frigore, & etiam vnitur, vt oleum pabulum ignis apertè videmus; occurrit verò tacitæ obiectioni reliquum enim vinum non hæc habet, & concrescat à frigore, & non vritur. respondet ergo vinum dulce esse æquiuocè vinum, neque enim habet vinosum saporem, neque inebriat cum quoduis vinum. postremo verò reddit rationem cur flammam emittat, & est quoniam

paruam

paruam ad exhalationem ideo (inquit) emittit flammam. at interpretatur hanc causam Vicomercatus in eo consistere, quod exiguus his halitus vini dulcis sit ob lentorem etiam lentus, & crassiusculus, ideo ignem concipiat, hinc etiam ipsum non inebriare procedit, vt idem subijcit ex Aristotele in probl. quoniam ob lentorem foramina infarcit, atq; intersepit, vnde exhalatio minus caput petere, atque præsentare potest. Vallesius contra non inebriare ob tenuitatem exhalationis, quam emittit, quæ idcirco euanescit citò, nec conturbat caput, quæ doctrina Vallesij abhorret ab Aristotelis doctrina proximè adducta in problem.

Aristoteles. [Combustibilia autem videntur esse quæcunque corporum in cinerem dissoluuntur. Patiuntur autem hæc omnia quæcunq; concrescunt à calido autem ab ambobus frigido, & calido, hæc enim videntur vinci ab igne, minimè autem lapidum sigillum, qui vocatur carbunculus vsq; ad calcem capitis.]

Commentarium. Noto in versione communi esse sigillum loco gemmæ, in quam vertit græcam vocem σφραγὶ Vicomercatus, qui tamen agnoscit sigillum vocari carbunculum ab Aristotele hoc in loco, vt hac ratione probet ipse quoq; communem versionem, & Theophrastus faciet versioni in libro de lapidibus cum dicit aliud quoddam genus lapidum veluti ex aduerso positum, quod omnino aduci non potest carbunculus nuncupatum, ex quo & sigilla sculpuntur. Plinius tamen aptum sigillis videtur asserere lib. vlt. cap. 7. nunc ad explicationem literæ procedamus. Ponit ergo primo loco antecedens carbunculum dico antecedens, vt sumpsit Aristoteles 1. priorum de inuent. medit. cap. 1. licet itaq; omnia corpora quę in cinerem dissoluuntur carbonabilia esse dubitat Pomponatius cur hic noua definitione adducat aliam à præcedente cum vnius rei vna sit definitio respondet esse descriptionem ab effectu non definitionem. præcedentem verò fuisse per causam. at verò vna est vnius rei definitio ita plures eiusdem rei descriptiones dari. At non necesse est descriptionem termini esse quotiescunq; de reliquo aliquo subiecto terminum prædicamus, præterq; quod eiusdem rei possunt in accidentibns esse plures definitiones in diuerso genere definiendo essentialis scilicet causalis, & perfecta, ac in eodem genere vnica. 112.

Patiuntur autem hoc omnia quæcunq; concrescunt aut à calido, aut ab ambobus frigido, & calido, hæc enim videntur vinci ab igne minimè autem lapidum gemma, quæ vocatur carbunculus.

A quibus concreuerint, quæ comburi possunt declarat non concreuerunt autem à frigore, concrescunt enim à frigore ea, quæ sunt aquæ, vt glacies quæ non comburuntur, restat ergo vt quæ cōburuntur concreuerint à calido, vel solo, vel simul, & à frigido, & à calido. Eiusmodi verò comburi ab obseruatione petit, id importat verba illa. „ hæc enim vinci videntur ab igne. Excipit vero lapidem, & gemmam carbunculum tanquam ab igne inuictum, quod testatur Plinius indeq; dictum à nonnullis apireton dicit Sed contra Aristotelem. hoc in loco videtur Aristoteles ipse in præcedētis particulæ principio vbi lapides vna cum glacie incombustibiles asseuerat nunc verò cum excipiat carbunculum, ex lapidibus reliquos combustibiles omnes facere videtur. præterea dum concreto à calido solo, &

à calido, & frigido simul combustibiles facit. Respondendum ergo est facilè tolli contradictionem Aristotelis, cum enim dicit lapidem non esse combustibilem indefinitè loquitur non vniuersaliter, quæ assertio idcirco æquipollet particulari propositioni. inter particulares verò propositiones non cadit contradictio, sed subcontrarietas, at verò subcontrariæ possunt esse simul terræ, at maiorem difficultatem facit secunda dubitatio, nam Aristoteles loquitur vniuersaliter in hoc loco cum dicat omnia, quæcunq; concrescunt à calido, vel ab ambobus esse combustibilia, nisi dicamus vniuersalitatem emmolliri ab incertitudine verbi videntur. Certè non omnes lapides esse vstibiles hic Aristoteles ipse confitetur dum carbunculos excipit. Theophrastus rem hanc lucidius exponit de lapidum vstibilitate, & non vstibilitate. qui vstibiles quæq; vstibilitatis eorum differentiæ, & qui non vstibiles. non vstibiles ergo memorat carbunculus, & lapidem Milesium angulosum, & adamantem etiam, & pumicem, & legatur.

[*Combustibilium autem hæc quidem inflammabilia sunt: hæc autem non inflammabilia horum autem carbonabilia.*]

Combustilia nunc partitur alia enim inflammabilia sunt, alia non in-inflammabilia. & inflammabilium, alia sunt carbonabilia, alia non carbonabilia, cum Alexandro ego interpretor pronomen horum pro inflammabilibus. Cætera enim quæ comburuntur, & non inflammantur videntur omnia necessario carbonabilia; quà de re paulò post. Interim notionem nominis inflammabilium tradit, est autem nominis inflammabilium non posse, subiungit postea quænam sint inflammabilia, eaq; esse dicit, quæ humida non existentia sunt exhalabilia, at quoniam dubitatio statim oritur de oleo, de pice liquida, scilicet & de cæra, quæ humida sunt, attamen inflammabilia sunt; respondet hæc esse inflammabilia cum alio corpore coniuncta cum lichno scilicet oleum, & cæra, & pix illata alicui sicco corpori, subijcit ergo quæ sint præ alijs inflammabilia, & verè per se. & dicit esse, quæ fumum emittunt, ratioq; est quoniam flamma est fumus ardens. habemus hucusq: diuisionem combustibilium cum duplici subdiuisione. diuisio est inflammabilia, & non inflammabilia. subdiuisiones sunt inflammabilium, altera quidem in carbonabilia, altera in non carbonabilia, altera in inflammabilia per se, & inflammabilia solum cum alio corpore sociata, quæ sunt inflammabilia solum associata non sunt carbonabilia, vt oleum & cæra.

Carbonabilia autem quæcunq; talium terræ plus habent, quam fumi, adhuc autem quædam liquabilia existentia non inflammabilia sunt.]

Describit carbonabilia esseq; dicit quæcunq; talium scilicet combustibilium plus terræ habent, quam fumi, quæ enim fumida prorsus sunt, vt Thus in fumum, & exhalationem abeunt, neque carbonem relinquant.

Adhuc autem quædam liquabilia existentia non inflammabilia sunt veluti æs, & inflammabilia non liquabilia, veluti lignum alia autem ambo veluti thus, causa autem est.]

Aliam diuersionem ignis vim excipientium trifariam autem diuidit. Alia siquidem inflammabilia sunt, & nonliquabilia veluti lignum alia liquabilia non inflammabilia veluti æs, alia ambo veluti Thus, quod scilicet & liquatur, & vritur.

Causa

Causa autem est, quia ligna quidem simul totum habent humidum, & per totum continuum, vt peruratur.

Causam affert diuersitatis triplicis memoratæ, quæ ergo habent humidum per totum continuum, vt peruratur veluti lignum id est inflammabile non liquaqile, quod autem habet ad omnem sanè partem humidum, sed non continuum vt æs liquabile est non inflammabile. Thus autem habet partim hoc partim illo modo humidum, proindeque tamen inflammabile, tum liquabile, intelligitur autem communiter de humore caræ dum dicitur esse continuus ex ligno,& non continuus in alijs duobus generibus, est autem continuus in ligno ab continuitatem pororum non continuus in reliquis ex eo, quod pori non sunt continui, sed in annotatione quæratur. 104.

[*Inflammabilia autem sunt exhalabilium.*]

Hic meo iuditio veriorem causam, & potiorem affert inflammabilium non liquabilium,& est quoniam sunt magis terræ proindeq; habent siccitatem communem igni cum scilicet ignis sit calidus, & siccus, vnde si siccitati eiusmodi iungatur caliditas fit ignis idcircò flammam esse colligit spiritum, aut fumum ardentem.

[*Lignorum igitur exhalatio.*]

Repetit distinctionem exhalationis superiorem in fumum, qui est exhalatio,exhalatio lignorum fuliginem, quæ est caræ, thuris, picis, & id genus aliorum, & nidorem, qui est olei, & oleosorum. Fumus scilicet est eorum, quæ per se inflammabilia nidor, & fuligo eorum potius, quæ vt plurimum cum eo inflammantur, quæ verò cum alio solum inflammantur, sunt quæ parum sicci habent, vnde alio egent sicco cum quo postea citissimè inflammantur pabulum nempe subinde præstando igni, ex eiusmodi enim sicco,& pabulo iunctis resultat corpus pingue siccum vnctuosum, quod citissimè comburitur, & inflammatur.

[*Exhalantia igitur humidorum magis humidi, ardentia autem sicci.*]

Concludit quæ humidorum exhalant esse magis humidi, oleum scilicet caram, picem, at quæ ardent esse magis sicci. sicca enim amplius inflammantur, & per se sola, vt vidimus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De dignosendis temperamentis corporum similarium secundum passiuas qualitates.

Postquam Aristoteles differentias, imò melius dixerim species corporum secundum potentiam, & impotentiam passiuas distinxit omnes nunc ad dignoscenda temperamenta omnium similarium corporum nos ducit primo quidem secundum qualitates passiuas in hoc capite, deinceps secundum actiuas in sequenti. temperamenta verò secundum passiuas humiditatem, & siccitatem ad hæc reducit quæ sint terræ, & quæ sint aquæ, & quæ communia ambarum diuiditur caput in duas partes in prima quædam præmittit ex superioribus formæ repetitæ, in secunda temperaturas tradit primo in vniuersali, secundo in particulari.

Aristoteles. [His autem passionibus, & his differentijs similaria cor-

,, porum sicut dictum differunt similaria corporum sicut dictum est diffe-
,, runt ab inuicem secundum tactum, & adhuc saporibus, & odoribus, &
,, coloribus. Dico autem similaria illucusque humidorum.]

119. *Commentarium*. In hac prima parte capitis cōnectit, & proponit, vnamque nonnulli præmittit. Repetit ergo dictis passionibus, & differētijs similaria corpora distingui à se inuicem secundum tactum. tunc enim omnes tangibiles cum ad passiuas qualitates humidum, & siccum reducantur. verum & deseruiunt pro suppositione. Differre scilicet similaria corpora tum dictis potentijs, & impotentijs quæ ad tactum spectant: tum saporibus, & odoribus, & coloribus. quatuor ergo sensuum sensibilia meminit: sonum omisit, adeoq; auditus obiectum. Alexander hanc ommissionem ideo factam asserit, quoniam vel non est locus hic peculiaris agendi de sensibus, vel quia sensus ipse auditus, & eius obiectum sint manifesta. an dicendum sonum non inesse corpori vlli per seipsum, sed solum dum ab alio percutitur. differentias vero corporum similarium hic referendum erat, quæ per se insunt, immanentq; illis.

[*Dico autem similaria*.]

Hoc est secundus, quod præmittit declaratio, scilicet ac enumeratio corporum similarium. metallica ergo primo memorat æs, aurum, argentum, stannum, ferrum, lapidem, & id genus alia; cum autem inter metalla, lapides commemoret, latius metallica sumit, quam in tertio metheorol. vbi metalla à fossilibus distinguit, interq; fossibilia lapides reponit, vt ex hoc loco confirmetur sententia reponens hunc librum post duos de gen. & interitu ante metheorologicos, ideo enim hæc minus edolatè dicit quod suis locis sit postea diligentius distincturus. quod si antea distinxisset quæ excusatio esse imperfectionis nunc commemorationis etiam a tradita recedentis posset? (& alia talia) minium cinnabaris sulphur inter hæc reponenda (& quæcunque fiunt ex his excreta) interpretatur excreta hæc Vicomercatus veluti scoriam, & minium, ex metallis enim fusis excernuntur.

[*Et quæ in animalibus, & plantis, veluti carnes, ossa.*]

Postquam partes similares inanimatas, ac innanimatorum attulit nunc ad animatas, animatorumq; transit animalium scilicet, & plantarum. primoq; animalium, esseq; animalium similares airecarnem, ossa, neruum, pellem, viscera pilos fibras græcè ἶνες venas; cæteræ partes nulla egent explicatione fibræ verò quas aliqui villos vocant, vt in communi versione legimus ab Aristotele duplices statuuntur aliæ mediæ inter neruum, & venam, aliæ in sanguine collocatæ, quarum ope sanguis concrescit in quibus autem animalibus hæc non reperiuntur sanguis delusus est, non concrescit, animaliaq; pauciora sunt. Dicit verò ex his constare partes dissimilares facere (manus, & pedes) quasi scilicet hæc sit notio similarium in animalibus, vt ex illis in dissimilares componantur verum hæc de notione, & constitutione milarium similarium dissertatio ad lib. de animalibus spectat interim dicamus similaria corpora dicit quę in partes eiusdem nominis secantur, vt caro in quoscunq: partes secetur omnes illæ carò dicantur, & auri partes omnes pariter aurum vocantur, at si secetur manus non amplius partes manus dicentur. Sed pro manu partes manus vocabuntur, hæc ex Aristotele lib. 1. de hist. animal cap. 1. satis in præsentia sint.

tia sint. In plantis verò partes similares recenset lignum corticem foleum radicem, & id genus alias. Dubitaur autem Theophrastus radicem inter dissimilares partes refert, at Aristoteles in præsentia radius hæc, vt in alieno loco memorauit, præterea verò vulgo etiam partem radicis radicem dicimus, nam cum radicem iubent medici pro frondibus in infusione ponere parent cussui pharmacopolæ ponendo frustum radicis, etiamsi totam non ponant. sit alio in modo latius.

Quoniam autem hæc quidem ab alia causa consistunt, ex quibus autem hæc materia quidem siccum, & humidum quare aqua & terra.

Tertiam, quod præponit est similaria corpora, & ab alia causa consistere, scilicet ab efficiente, & ex materia humido, & sicco, & quoniam præcipuè humidum est aqua præcipuè siccum est terra, ideo materia horum corporum præsertim est terra, & aqua sicut causæ effectrices sunt calidum, & frigidum quippe ex terra, & aqua corpora compingant. quocirca quærere crasim corporum secundum materiam eo redigitur, & spectat vtrum illis aqua præualeat, an terra, an verò ambæ sint libratæ. quod est esse communis terræ, & aquæ. Quod dicit Aristoteles. Secus enim omnia mista non terram: tum aquam obtinent. Continetur hæc hic propositio dicendorum, nimirum quæret quæ mista sint terræ, quæ aquæ, & quæ communia vtriusq;

Sunt itaq; corporum conditorum, hæc quidem humida, hæc autem mollia, illa autem dura, horum autem quæcunq; dura, aut mollia concretione dictum est prius.

Hoc est quartum quod præmittit, ex superioribus autem repetitur. corpora igitur omnia quæcunq; condita sunt in triplici discrimine constituuntur, alia enim humida, alia mollia, alia dura sunt, dicit verò corpora condita ad differentiam fortè cælestium, quæ sunt eterna, & sub nullo horum membrorum continentur, sed propius fortè dicendum condita corpora significari hic corpora sub aspectum ipsa secundum se, & secundum suam corpulentiam cadentia, vt terra, & aqua, & mista cadunt aer, & ignis sunt inuisibiles ipsæ per se, & hæc tenua corpora sub nullo horum membrorum continentur, humidum enim significat id ex quo, vt ex materia mista resultant, quod ad aquam, & aqueum in hoc ipso loco restringit Aristotelem, sed dicamus condita hic significare condita, & constituta ex humido, & sicco, adeoq; terra, & aqua quæ in tria ea membra secantur, alia enim, fluida, vt lac, vinum, oleum alia mollia, alia dura.

Horum autem quæcunque dura, aut mollia concretione. dictum est prius.

Contulit trimembrem diuisionem in bimembrem.. Dura enim & mollia sunt ambo concreta, vt antea docuit, & nos ex eo diximus contra Vicomercatum; qui tamen hic idem cum Aristotele fatentur esse tum dura, dum mollia concreta. sunt ergo corpora alia concréta, alia humida, fluida scilicet.

Aristoteles. [Humidorum igitur quæcunq; quidem euaporant, aquæ
„ sunt, quæcunq; autem terræ, & communia terræ, & aquæ, vt lac, aut
„ terræ, & aeris, vt mel, vt aquæ, & aeris, vt oleum, & quæcunq; qui-
„ dem à calido incrassantur, communia.]

Commen-

120. *Commentarium*, Nunc ad temperamenta dignoscenda deuenit. primo verò tradit Theoremata communia. deinceps applicat rebus ipsis in particulari traditam doctrinam. primo tradit de humidis, scilicet de fluidis. qua in re iurè reprehēditur Alexander à Vicomercato, qui voluit comprehendi hic ab humidis etiam mollia cum disertè Aristoteles mollia sub concretis reponat distinguat verò concreta ab humidis, secundo loco ponet Theoremata de concretis. Sunt ergo de humidis fluidisue, seu liquidis, vt vocat vicomercatus plura Theoremmata primum est. Humida quæcunq; euaporant sunt aquę. lutum fluidum est huius generis, & lixiuium.
1.
2. Secundum est trimembre humida quæcunq; non euaporant, sunt aut communia terræ, & aquæ, vt lac, aut communia terræ, & aeris, vt mel, aut communia aquæ, & aeris, vt oleum primum membrum de lacte exponitur ab Alexandro, euaporare quidem lac, at non adeo, vt dissoluatur in vapores sequitur expositionem Vicomercatus, at si fundamentum superioris capitis Aristoteles habent locum pinguia scilicet exhalationem non vaporem emittere dum lac lentorem suum retineat ob pinguedinem non euaporabit, sed exhalabit. cum verò secretum sit in caseo serum id sanè euaporabit, estq; aqueum ex superioribus [in secundo membro, &c. vt mel] est emendatio literæ græcæ, quæ habet pro ξυλον idest lignum, non mel, & ita legit Alexander, ac exponit nulla facta mentione alterius literæ, & in codice græco Vicomercati, qui melis emendatinnem suscipit legitur tamen ξυλο lignum non mel ratio emendationis est quoniam lonquitur hic de fluidis Aristoteles, at lignum, & si viride non est fluidum. Certè mel est exemplum aptissimum, & non lignum attamen si retinere placeat literam exponenda est dictio, vt lignum pro similitudine aliqua præualentis terræ, & aeris in misto non pro exemplo integri subiecti fluidi, scilicet in quo aer, & terra dominentur. planior tamen est literæ progressus: emendetur. in tertio membro confirmat, quod antea dixit cap. 10 oleum esse aeris, & aquæ. Tertium Theoremma est humida, quæ à calido incrassantur communia sunt, quæ & terræ. interpretatur Vicomercatus. Aristoteles supra capite 10. quæ incrassantur ab igne alia communia terræ, & aquæ facit, vt lac, alia comunia aquæ, & aeris, ac oleum alio communia terræ, & aeris, vt mel; Num verò hic intelligit de quæ incrassantur à solo calido: at mel, & oleum incrassantur quidem à calido, sed etiam à frigido vt in eodem cap. dixit, & mox dicet.

Aristoteles. [Dubitabit autem vtiq; aliquis de vino humidorum, hoc e-
„ nim euaporabit vtiq; & incrassatur sicut nouum, causa autem est, quia
„ nec vna specie dicitur vinum, & quia aliud aliter, nouum enim magis ter-
„ ræ est quam antiquum quapropter, & incrassatur maximè calido, &
„ concrescit minus à frigido, habet enim & calidum multum illucusq; quæ-
„ cunq; autem frigido.]

121. *Commentarium*. interrumpit Aristoteles progræssum Theorematum de humidis, quæ incrassantur cuius elementi sint incerta dubitatione de vino, quod tum euaporat, ideoq; videtur aquæ tum intrassatur à calido, ideoq; videtur esse commune plurium. Soluit afferendo vinum non esse omne, eiusdem speciei; & eiusdem temperamenti diuersa scilicet vina diuersorum esse temperamentorum, prætereaq; vinum idem pro diuersitate temporum dum est scilicet recens, et dum est antiquum temperamentum

mutare

mutare. vinum enim nouum esse magis terræ, quam antiquum nequacquam incrassatur, euaporat verò. sunt præterea species diuersæ vini, longèq; inter se differentes memorat vinum Archadiæ, quod adeo exiccatur à fumo in vtribus, vt derasum bibatur. Summa ergo responsionis est. vinum aliud esse terræ, vt communis, aliud aquæ vinum nouum est terræ amplius idem vinum Arcadicom eiusmodi incrassantur à calore, vt mistum ab igne: archadicum à fumo vinum vetus est potius aquæ, ideoq; euaporat, & non incrassatur. Possumus etiam in horum confirmationem adducere vinum dulce, cuius meminit in præcedente capite Aristoteles, quod exhalationem emittere non vaporem dixit, proindeq; esse oportet (instar olei) aquæ & aeris.

Si autem omne facem habet sic vtriusq; est, aut terra, aut aqua, vt huius se habet multitudo.

Causam ponit differentię cur aliud vinum terræ potius aliud aquę sit, eamque in fæcis abbundantiam, aut paucitatem refert, quæ multum habent fæcis terrea, quæ parum aquea sunt. sub dubio verò habeant ne omnia vina fęcem, profert quoniam vina antiqua defæcata prorsus videri possunt non erat autem locus difficultatis eiusmodi èxplicandæ.

Aristoteles. [Quæcunque autem à frigido incrassantur terræ. quæ-
„ cunque autem ab ambobus communia plurium, vt oleum, & mel, & dul-
„ ce vinum.]

Commentarium. Repetit nunc filium Theorematum de humidis, fluidisue, eorumq; temperamentis dignoscendis, est ergo Theoremma quartum, quæ (humida scilicet) incrassantur à frigido sunt terræ, at videntur hoc ipsemet Aristoteli repugnare, qui in capite decimo dixit frigidum exiccare aquam, & incrassare aerem, sunt ergo potius Aeris. An respondendum esse sanè aeris, ideoq: communia aeris, & terræ, vt mel prædominari tum terram, sed neque solutio hæc consistit, nam oleum incrassatur à frigore, & est terræ, & aeris, sed aeris, & aquæ secundum Aristotelem. Dicatur ergo intelligendum Theoremma de ijs quę incrassantur à frigido solo, sunt quæ terræ, at quæ incrassantur tum à frigido tum à calido subijciuntur in sequenti Theoremmate. ad argumentum quod frigus incraslet aerem. non ex hoc concluditur, non etiam incrassare terrea etiam neque procedit argumentum. Aerea incrassantur à frigore. Terrea non sunt aerea. Ergo terrea non incrassantur à frigore. Est enim syllogismos in prima figura ex minore negatiua. Theoremma quintum est, quæ (humida scilicet) ab ambobus incrassantur à frigore scilicet, & à calore communia sunt elurium. Alia scilicet terræ, & aeris, vt meli alia aquæ, & aeris, vt oleum, & vinum dulce. vtrum etiam communia terrę, & aquę nullo exemplo declarauit. at fluida lutum & frigore incrassatur, & calore priusquam concrescat. 122.

Aristoteles. [Consistentium autem quęcunq; quidem concreta sunt a
„ frigido aquę, vt glacies, nix, grando, pruina. quæcunq; autem à calido
„ terræ, vt fictile, caseus, nitrum, sales illucusq; aurum itaq;]

Commentarium. Concretorum nunc crases, ac regulas eas dignoscendi tradit, tunc itaque Theoremmata. Concreta verò sunt secunm quæ dura, tum quæ mollia sunt, vt mox dixit. Primo ergo. Primum theoremata ex concretione sumit. Quę concreta sunt à frigido sunt aquę supe-

superius idem docuit cap. 10. in principio inductione declarat quadam glacie scilicet niuis, grandinis, pruinæ. Quæcunq; concreta sunt à calore sunt terræ. terra scilicet in ipsis præualet, declarat, & confirmat inductione fictilis, casei, nitri, salis, quæ omnia & concrescunt à calore, & sunt terræ secundum prædominium. Quæcunq; ab ambobus. sunt, & hæc terræ. quod tamen Theorema Philosophus verbis declarat. primo verò quænam ab ambobus scilicet tum à calido, tum à frigido concrescant. sunt autem, inquit, quæcunq; concrescunt infrigidatione scilicet vt declarat Alexander quæcunq; prius calefacta postea in frigidatione coguntur. fit verò eorum concretione eductione tum humidi, tum caloris qua in re differunt ab ijs, quæ concrescunt calore solum quæ sola humidi priuatione concrescunt; vt sales, quæ verò concrescunt à solo frigore, vt glacies ea caloris solius priuatione concrescunt. quæ verò ab vtroq; concrescunt, & à calore scilicet, & à frigore amborum etiam priuatione, & humidi, & caloris concrescunt. Secundo loco distinguit hæc ipsa, quæ à calore, & frigore simul concrescunt, horum enim alios, totum humidum exudauit aliorum non totum, primo ergo de prioribus agit exemplis ea declarat. sunt ergo talia fictile, & electrum. Electrum ipsum explicat, & in frigidatione contexere (postquam scilicet calefactum fuerit veluti cætera, quæ lachrymæ amborum dicuntur, vt myrrha, Thus gummi inter quas lachrymas vocatas iudicat reperiri electum eo argumento, quod comprehensa in eo animalia appareant. Concrescere verò dicit à frigore fluuij cui insidet arbor electrum exudans per id frigus calor exudantis materiæ effluit, atque ita electrum cogitur, concludit demum, & electrum, & omnia ex quibus totum exudarit humidum esse. Sed fortè ex quibus totum non exudauit humidum non sunt terræ? imò & terræ ea quoq; faciet tamen malluit singillatim prædicatu idem subiecti partibus applicare. Quoad verba verò
„ A fluuio autem calidum exiens, &c. præstat in illis versionem Vicomer-
„ cati sequi, vi autem fluminis calor exiens peripendent mellis, cum deco-
„ quitur cum in aquam positum fuerit humorem educit, græcè quidem legitur γπο ποταμα non απο ποταμα propositio verò γπ significat non terminum à quo, sed efficientiam. significat itaq; efficientia fluuius calorem exire, qui secum humorem educat non secus atq; efficientia frigoris aquæ cocto melle aquæ imposito calor exit, secumq; humorem eius educit, an deconcrescit, & induratur: quod myrrha Thus, erectum latinis lucernam nobis ambra, & arabibus, & quid gummi non est huius loci in annotatione tamen. Et hæc quidem inæliquabilia, & immollificabilia. Distinguit rursus quę à calore vna, & frigore concrescunt in duo membra. alia si quidem horum sunt ineliquabilia nedum, sed immollificabilia simul. alia verò mollificabilia. Sunt verò ambo ineliquabilia ex superius dictis cap. 10. ibi enim dictum est quæcunq; ab ambobus concrescunt insolubilia esse. immollificabilia itaq; esse dicit electrum, seu succinam, & lapides quosdam veluti stosos in speluncis, quorum generationem esse significat ex calefactione sententiæ, quæ postea refrigeretur, & concrescat, non autem concrescere à calore eos lapides in speluncis. arcos tamen aliquos lapides ab igne, & calore concrescere fatetur, vt de lateribus, & fictilibus constat. Præterea & de saxis, quæ sub dio, & in aprico à torrente sole coguntur.

Quæ-

Quacunq; autem non totum terra quidem sunt magis,

Hic membrum eorum ponit, ex quibus totum humidum non expirauit, eaq; terræ adhuc esse dicit, sed mollificabilia veluti ferrum, & cornu: Thus verò, & alia nempe (vt arbitror) quæ sub lachrymis reposuit pro eo, quod mollificentur instar lignorum euaporant, idest vt rectè interpretatur Vicomercatus exhalant, cum enim dixit exhalationem esse, ac eam exhalationis speciem, quam fumum dicunt, quæ à lignis emittitur.

[*Quoniam igitur liquabilia ponendum est, & quacunq; liquefiunt ab igne.*]

Ex concretione Theoremata posuit ad crases concretorum eliciendas nunc ex liquefactione, & opposita alia Theoremata tradit ad concretilum itidem crasem dignoscendum. Primum Theorema est. Liquabilia ab igne vel sunt aquea, vt glacies, scilicet alia sunt communia terræ, & aquæ, vt cæra. Secundum Theoremma liquabilia ab aqua sunt terræ, velut scilicet nitrum, & sales. Tertium quæ neque à calore liquantur, neque ab aqua sunt alia terræ: aut communia aquæ, & terræ. Terræ sunt fictilia amborum dicit Vicomercatus esse ferrum, & cornu, at quoniam proximè dixit esse ea terræ respondet esse sanè magis terræ attamen esse quoque aquæ.

[*Si igitur omnia quidem aut humida, aut concreta horum.*]

Ostendit nunc tradita Theoremmata sufficere ad omnium mistorum crases dignotcendus, quoniam omnia mista sunt vel humida fluida scilicet vel concreta, & non datur medium, & de ambobus tradita sunt Theoremmata, quæ sufficiant ad eorum aperiendas crases. Constabit ergo ex dictis his, quæ sint mista terræ, quæ aquæ, & quæ communia vtriusq; constabit insuper ex ijsdem, quæ ex causa efficiente sunt mista eadem constituta vtrum à calore, an à frigore, an ab vtroq;

Aristoteles. [Aurum itaq; & argentum, & æs, & stamnum, & vitrum, " & lapides, & multi inanimati aquæ sunt, omnia enim hæc liquefiunt cali- " do vsque ad calcem capitis.]

Commentarium. Applicat Theoremmata speciebus mistorum, quorum catalogum hic subijcit describens, quæ sint aquæ, quæ terræ, & quę communia vtriusq;. Dicit ergo esse aquæ aurum, argentum, æs stamnum, plumbum, & vitrum, & lapides multos inanimati. sunt verò hi lapides omnes quicunq; sunt liquabiles à calore de quibus antea diximus, reddit verò rationem, quoniam omnia ea liquescunt à calido. Esse etiam dicit aquę vrina quædam, [vt scilicet excludat arcadicum, & mustum] & vrinam, & acetum, & lixiuium, & serum, & ichoris reddit rationem, quoniam concrescunt omnia frigore. noto hic vitios ab interpretibus tum communis versionis, tum Vicomercato sanies verti, at de humorum ichoribus est vox accipienda illi, enim & aquæ instar fluunt, & gelari à frigore possunt. 124

[*Ferrum autem, & cornu, & Vnguis, & os, & neruus.*]

Hic catalogum ponit multorum quæ sunt terræ. Sunt verò ferrum, cornu, vnguis, os, neruus, lignum, pili, folia, cortexq; hæc omnia terræ electrum præterea, myrrha, thus, & omnia, quæ vocantur lachrymæ tossus, præterea, & legumina, & frumentum, & id genus alia sunt, hæc omnia terræ, alia quidem magis: alia minus; alia enim mollificabilia, &

hæc

hęc minus terræ, quoniam mollificabile aliquid humoris exposcit alia exhalabilia, & hęc magis terrę in omnibus tamen terra dominatur.

[Infrigidatione facta.]

Hęc dicit alludens ad superius dicta cum in solubilia asserit, quę prius calefacta postea infrigidatione concrescunt. sunt autem talia terrę, sed etiā solubilia, & liquabilia, reliqua terrę sunt, vt nitrum, & sales, at sunt prętere adhuc terrę lapides illi, qui neque in frigidatione concocti sunt, neq; liquabiles sunt, sunt autem, vt ego arbitror lapides, quos proximè memoraui à torrente sole in aprico loco coactos.

[Sanguis autem, & genitura communia sunt terra, & aqua, & aeris.]

Demum numerat quędam communia plurium elementorum; scilicet terræ, aquę & aeris. sunt hęc sanguis, & genitura, distinguit tamen in habentem fibras, seu viscos, quem dicit esse magis terrę, rationeq; hac id confirmat, quoniam frigore concrescit. & humido liquescit, & in non habentem fibras, villosue, quem aquę dicit esse, ideoq; non concrescere infert. Genituram verò dicit in frigidatione concrescere expirante humore cum calore, quoniam scilicet à calore exeunte educitur, in qua postrema parte dubitationes emergunt non leues sanguinem hic facit terræ aquę & aeris. Superius solum aquę, & terrę. dicit esse terrę, quia frigore concrescit, at supra docuit esse aquæ, quę à frigore concrescunt? dicit sanguinem non habentem villos esse aquę: quia non concrescit, at quę aquę sunt concrescere à frigore dixit, quę inter se non coherent. dicit pręterea nunc genituram à frigore concrescere, quoniam dum exprimitur à frigore calor ducit secum humorem, at in libro secundo de gen. animal. dicit cum semen eiusdem est calore eius expirato humescere, & ad aquæ speciem reddit. Preterea nunc dicit esse commune terrę, aquę, & aeris, at ibi aquę solum, & aeris facit has omnes dubitationes in annotationibus expenduntur ne prolixiora commentaria reddantur.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

De dignoscendis temperamentis similarium corporum secundum qualitates actiuas.

Cum temperamenta secundum passiuas qualitates corporum similarium, eorumq; dignoscendorum Canones tradiderit nunc pariter tradit dignoscendorum temperamentorum secundum qualitates actiuas caliditatem, & frigiditatem.

Aristoteles. [Quæcunque autem calida sint, ait frigida concretorum,
» aut humidorum ex dictis oportet considerare quęcunq; igitur aquę, vt
» plurimum frigida, nisi alienam habeant caliditatem, vt lixiuium vrina
» vinum vsq; ad finem capitis

125. *Commentarium.* Ponit primum duo Theoremata postea declarat. Primum Theoremma est. Quęcunq; aquę sunt, vt plurimum sunt frigida, excipit verò nisi alienam habeant caliditatem, veluti habent lixiuium, vrina, & vinum. habet inquit Alexander lixiuium caliditatem ex caliditate cineris per quem aqua percolatur, vrina ex calore concoquente cibum, & illum subigente. Vinum ex eo, quod passum est maturationē a calore solis.

Hæc

Hæc ille quorum examen latiorem discertationem expossit. (Quæcunq; autem terræ.) Secundum Theorema est. Quæcunq; terræ sunt, vt plurimum calida esse causam adiungit propter calidi opificium, exemplisq; declarat calcis, & cineris.

[*Oportet autem accipere secundum materiam frigidissima quodam esse.*]

Declarat Theoremata, & dicta in illis explicandis sua. dicit ergo secundum materiam corpora similaria frigida esse etenim corporum materia sunt humidum, & siccum repetit rationem cur eæ qualitates sint materiam quoniam passiuæ sunt eadem vero qualitates terræ, & aquæ potissimum, & præcipuè hærent, & insunt, at ambo hæc elementa frigiditate determinantur (est enim terra sicca, & frigida, aqua frigida, & humida adeoq; corpora tum quæ terræ sunt, tum quæ aquæ sunt, ipsa per se secundum materiam frigida huius ratiocinationis, vis est omnia mista similaria secundum materiam esse frigida quoniam. Quæcunque sunt terræ aut aquæ, ea omnia sunt frigida secundum materiam. Omnia corpora similaria sunt terræ aut aquæ. Ergo omnia corpora similaria sunt frigida. secundum materiam. Maioris probatio quoniam ea elementa sunt frigida. Minoris quouiam omnia corporum sunt humidum, & siccum, at humidum, & siccum sunt præsertim, & potissimum aquæ, & terræ.

[*Nisi habeant alienam caliditatem veluti feruent aquam, aut per cinerem coacta.*]

Cum ergo sint corpora similaria ratione sententiæ suæ frigida non possunt esse calida nisi aliunde habeant caliditatem exemplo feruentis aquæ, quæ caliditatem habet ab igne à quo ferbuit, & lixiuis quod habet caliditatem, quæ ex cinere per quem percolata est, esse vero in cinere calorem, probat quoniam in omnibus ignitis, inter quæ est cinis est caliditas amplior, aut minor.

[*Quapropter in putrefactis animalia innascuntur.*]

Corellarium est, quod vni confirmat quæ ex caliditate aliena prodeunt calida esse putrescentia enim calida sunt cum ex illis etiam animalia generarentur quæ sunt calore non gignuntur, etenim putrescunt ex alieno calore qui innatum corrumpit vt supra docuit.

[*Quæcunque autem communia sunt habent caliditatem, Constant enim plurima à caliditate quæ concoxit. quadam autem putrefactiones sunt veluti colliquamenta.*]

Tradita hucusq; Theoremata fuerunt alterum de ijs, quę sunt aquæ alterum de ijs quæ sunt terrę. Nunc post eorum declarationem tertium tradit de ijs, quę sunt communia terrę, & aquę est vero quæcunque sunt communia terrę, & aquę habere caliditatem. rationem affert. Quoniam Plurima eorum constituta sunt à caliditate, quę concoxit, alia vero eorum sunt putrefactiones quædam veluti colliquamenta, colliquamenta meminit Arist. 1. de gen. animal c. 19 videtur vero ratio ad Theorema hoc confirmandum esse huiusmodi. Quæcunq; aut à calore conçoquente constituuntur, autem sunt putrefactiones sunt calida. Quęcunque sunt communia terræ, & aquę aut à calore concoquente constituuntur, aut sunt putrefactiones. Ergo quęcunque sunt communia terrę, & aquę sunt calida.

Quæ-

[*Quare habentia quidem secundum naturam calida, & sanguinis & genitura, & medulla, & omnia talia.*

Corellarium hoc est de humoribus in animali existentibus, qui quousq; in animalibus sunt eamq; naturam retinentur quam vt partes animalium habent sunt calidi, at vero cum extra corpus vestri fuerint tum destituti calore, quem in animali obtinent restant materia ipsa sua, terra, vel aqua adeoq; frigidi.

[*Quapropter ambo videntur quibusdam, & hi quidem frigida illi: calida esse aiunt.*]

Hinc causam assignat contrariarum scientiarum de ijsdem humoribus, alij enim frigidos asserunt, alij calidos. causa itaq; est quoniam, alij considerarunt humores eos vt in animali alij vt extra, quomodo aliqui vt sanguis præsertim concrescunt.

[*Habet igitur sic omninò vt determinatum est in quibus quidem materia aquæ plurimum frigida.*]

Post declarationem confirmat Theoremata tradita primum quidem de ijs quæ aquæ dicit ergo ea quorum materia aqua est, esse vt plurimum frigida. rationemq; affert quoniam aqua maximè aduersatur igni, vt idcirco sit ipsa frigidissima sicut ignis calidissimus. secundum de ijs quæ terræ aut aeris ego vero interpretor hic repeti, & secundum cum dicit terræ, & commune dum dicit aeris: nam inter communia erant quæ aeris immò nullum est aeris, quod non sit commune, & licet ad commune terræ, & aquæ se antea restrinxerit tacitè tamen indicauit si communia terræ, & aquæ calida fuerint multo magis talia futura si aer accesserit qui secundum eius dogma est calidus, & humidus.

[*Accidit autem aliquando eadem fieri frigidissima, & calidissima aliena caliditate.*]

Postquam Aristoteles Theoremata tradidit, eo quibus crases corporum secundum caliditatem, & frigiditatem dignoscuntur, nunc tradit vnde in ijsdem gradibus crasis ex temperamenti potentia intendatur, estq; ob maiorem concretionem, ac soliditatem corporum, vt idcirco solidissima sint etiam in eodem gradu edditatis calidissima in eodem gradu frigiditatis frigidissima flamma paleæ, & flamma quersus ambæ sunt octo graduum attamen multo validior, multoq; efficacior flamma quersus quam flamma paleæ hoc est quod dicit Philosophus aquam feruentem magis vrere fumo, & lapidem ignitum magis feruente aqua ob maiorem scilicet densitatem materiæ: hic vero Aristoteles sumit vrete latius pro calefactione, secus enim aqua feruens calefacit non vrit ex Aristotele ipso 2. de part. animal. cap. 2. ne forte dicamus negari ab Aristotele aquam feruentem quare non autem comburere. certè aqua feruens, neq; inflammat rem, neq; in carbones adigit aliqua tamen diutina actione liquat vt carnes, quas elixat vnde fit id quod nos Italice contumaciam vocamus, sed aliqua etiam non liquat immò indurat vt legumina incoctilia.

CAPVT DECIMVMQVINTVM Et Vltimum.

Cum Aristoteles hucusq; de mistis egerit secundum partem materialem nunc formalem indicat, posteaq; quid quæ restent in philosophia naturali tractanda proponit, requirebatur vero ad integritatem tractationis

huius

huius de mixtis similaribus explicatio hæc formæ substantialis eo quod solum de qualitatibus ea actiuis passiuisq; constituerat credere, ergo quis posset nullam aliam esset formam in illis substantialem quam qualitates actiuis passiuasue. at esse præter qualitates eiusmodi elementa res formas substantiales etiam in similaribus corporibus nedum in dissimillaribus probat. fatetur sanè apertiorem esse distinctionem inter formã, & materiam partium dissimilarium, & multo adhuc clariorem inter animalium materiam, & formam, cum vero hunc distinctionem formæ à materia stabiliuerit, tum quæ inquirenda in naturali hac philosophia restent memorat in calce capitis.

Aristoteles. [Quoniam autem de his determinatum esse, secundum „ vnumquodq; dicamus, quid sit caro, aut os, aut de habentibus partes simi- „ lares, &c. illucusq; quoniam igitur habemus.]

Commentarium. In his prioribus verbis dicit postquam transegit de his scilicet de mistis homæmeris in vniuersum iam de inquirendum quid sint singula ea mista, tum caro scilicet tum os. tum reliqua omnia similaria pro similaribus autem dicit habentia partes similares vt indicet notionem corporis similaris, est vero cuius partes sunt eiusdem denominationis ac similares inter se noto in litera ly secundum, vnumquodq; à nonnulli interpunga post à nonnullis ante mihi probatur hæc intrepunctio vt ly secundum vnumquodq: sit cum sequentibus iungendum, sitq; sensus vt vertit Vicomercatus esse dicendum singillatim quid sit caro, quid os, & quid singula similaria. communis etiam versio vertit aut aliorum habentium partes similares in genitiuo scilicet. at cum pendeant ea nomina ex verbo dicamus, erant vertenda in ablatiuo cum præpositione de, non enim latinæ est constitutio dicere alicuius rei, sed de aliqua re cum argumentum, & materias sermonis nostri significamus. 116.

[*Habemus enim ex quibus similarium natura constituta est genera ipsorum, cuius generis, vnumquodeq.*]

Habemus scilicet materiam ex qua similaria corpora constituuntur materia est genus scilicet physicum, vel melius, dicamus est genus, vt genus significat subiectum qua in significatione vsurpata fuit hæc vix etiam ab Aristotele in primo posteriorum, genus ergo hic significat Aristoteles esse terræ, vel aquæ, vel commune plurimum se se igitur subinde explicat ex quibus constituta est natura similarium [genera ipsorum] & cuius generis, vnumquodq; [vnde Alexander Aphrodisiensis ea omnia in hunc sensum contra his quid nam sit materia, & subiectum in similaribus, & cuiusnam magis sit vnumquodque.]

[*Per generationem.*]

Ex generatione scilicet Theoremata deduxit agnoscendæ materiæ corporum. nempe ex concretione concretorum ex liquatione fluidorum si scilicet concrescant à calore, vel à frigore vel ab ambobus. ex incrassatione, quoq; quæ generatio quædam est, & secundum quid Theoremata deduxit materiæ dignoscendæ ex qua constet oblatum corpus.

Ex elementis enim similaria ex his autem vt materia tota opera natura.

Declarat amplius quod per genus significauit materiam scilicet à se significatam, dum dicit pro ratione præcedentium ex elementis similaria com-

componi ex quibus deinceps similaribus pariter vt ex materia corpora, & organica, viuentia scilicet componuntur, quæ vocat opera naturæ quoniam à natura intenduntur ipsa per se non autem partes similares intenduntur nisi vt gratiam totius corporis viuentis, vel melius exponere, & oportet tota opera idest integra opera naturæ. ita composita viuentia sunt integra opera partes etiam dissimilares non sunt integra opera naturæ: cum etiam vox græca, (ὅλα) integritate potius, quam vniuersalitatem significet, ac importet. (sunt autem omnia) scilicet tum similaria, tum dissimilaria, vt ex materia quidem ex dictis, scilicet ex elementis similaria ex similaribus viuentia, eorumq; dissimilares partes.

(Vt autem secundum substantiam ratione.)

Dicit eorum essentiam, & quiditatem à ratione, nimirum à forma, & hac substantiali non accidentaria constitui quod in 7. metaphisicor. repetit partes essentiæ esse formales non materiales hic ergo formam substantialem memorat, quam hucusq; siluerat, præterquam in definitione generationis, ibiq; subobscure vt in eo loco diximus, & certè ex hucusq; dictis in distinguendis, & determinandis mistis similaribus poteramus credere solis qualitatibus sensibilibus constitui ipsa contra quam in primis libris, & vniuersalioribus decreuerat esse formam substantiam, ac magis substantiã materia, vt errorem, itaq; nunc remoueat, adeo à suo dogmate absonum asserit præter hucusq; dicta componentia, elementa scilicet quæ sunt omnis pars materialis esse aliam partem ex qua essentia, ac quidditas rei constituatur, ipsamq; esse formam substantialem extra, & supra qualitates sensibiles, hucusq; memoratas.

[Semper autem magis manifestum est in posterioribus, & omninò quæcunq; vt instrumenta, & alicuius gratia.

Hinc iam nos manuducit ad distinguendas formas substantiales corporum præsertim similarium à parte materiali est vero progressus ab ijs in quibus distinctio formæ, & materia est apertior ad eandem distinctionem concipiendam in similaribus, procedit ergo à viuentibus compositis, & dissimilaribus partibus quæ sunt instrumenta, & instrumentariæ græcè organicæ ab Aristotele dictæ præsertim in 2. de anima tex. 6. in his ergo quæ sunt vt ipse dicit posteriora, & instrumenta, & habet sunt alicuius gratia aperta est distinctio formæ, id ipse demonstrat: quoniam omnes agnoscimus hominem mortuum esse hominem æquiuoce, licet nempe cadauer humanum retineat idem corpus eandemq; figuram, & structuram nec tamen sit homo patet deesse id quod hominem constituitur, & ideo id quid constituit hominem, & est quidditas hominis esse diuersum à parte materiali idem de manu mortuo est æquiuoce manus non secus, atq; fistula lapideæ non enim aptæ sunt assequi finem eum ad quem manus est constituta, apprehendendi retinendi, & fistulæ sonandi, ex his ad similares partes procedendo fatetur earum finem, cuius gratia sunt minus notum esse, quam partium dissimilarium, & demum corporis organici sicut etiam minus adhuc notum est huiusmodi cuius gratia in elementis reddit rationem cur minus distinguatur finis in his. Quoniam minus cuius gratia distinguitur in quibus est plus materiæ, & hanc assertionem, hac alia confirmat consideratione, statuamus inquit sensum ex altera parte materia ex altera rationem, & formam, tanquam duo extrema inter hæc ve-

io varia intermedia ex illis scilicet composita materia ipsa per se sola materia est: forma per se substantia: intermediorum vero quæ ad formam magis accedunt in illis amplius cuius gratia elucet quæ ad materiam, minus, nimirum minimum elucet in elementis, vt quæ sunt propinquissima materiæ aliquanto magis in similaribus, at conspicue iam in dissimilaribus in manu, & facie.

[*Omnia autem terminata sunt opere*]

Declarat nunc quodnam sit cuius gratia partium, & corporum, dicitq; esse opus ipsorum. ex quo etiam determinantur adeo vt, quæ possunt opus suum præstarae sint vere talia: quæ non possunt; sint æquiuoce talia, si scilicet oculus potest videre est vere oculus; si vero non potest vt marmoreus oculus, vel mortuus non est nisi æquiuoce oculus sunt serra lignea vt quæ cum secandi non habeat est imago serræ non serra. idem de carne, & partibus similaribus, sed cum harum opus minus conspicuum sit, ideo minus etiam constat terminus vtra quem caro sit caro, & vltra non sit nisi æquiuocè, idemq; in cæteris similaribus partibus neruo, & in similaribus, quoq; quæ non sunt alterius corporis partes vt æs, aurum vnde quando eiusmodi similaria non longissime recesserint à natura sua non dicuntur esse æquiuoce talia exemplum autem affert longissimi à natura recessus in similaribus tum à dissimilaribus à cadaueribus scil. dicit conditis quæ cum monumenta reserantur, in cinerem decidunt, & à fructibus qui scilicet retenta figura peccauerint, at exemplum casei est corporis similaris is cum cariosus penitus fuerit agnoscitur pro æquiuoco caseo, in minore recessu à natura non æque agnoscitur etiam si vere recesserit à natura ex his id demum habemus ad cognitionem similarium mistorum vltra doctrinam partium materialium ad quarum indaginem in hoc libro viam hucusq; satis aperuit. requiri indaginem formæ substantialis quam indaginem in præsenti libro in præsentia aperit dum formam eiusmodi à qualitatibus, hucusq; traditis pro earum distinctione secundum partem materialem, seiungit, & ex opere ad quod pars eiusmodi dirigitur ducendam monstrat : satis est hæc instructio in communi quam in præsenti libro Aristoteles exhibet. in particularibus, & sequuturis libris erit singillatim, de quaq; re astruenda.

[*Tales igitur partes caliditate, & frigiditate.*]

Interpretatur Buccaferreus hic Aristotelem explicare quæ sit forma substantialis similarium, at non recte; nam formam substantialem reponeret in differentijs iam dictis, & quas hic repetit sensibilibus scilicet, & quas ad materiam spectare ipsemet asserit dum præter hucusq; dicta formam substantialem inquirendam asserit, quæ forma substantialis si in dictis antea differentijs consisteret non erat amplius inquirenda vt inquirendam monet Aristoteles dico, itaq; dua esse de similaribus singulis cognoscenda mox dicturum Aristotelem materiam formam, & efficiens tria hæc in communi etiam nunc tradit vnde postquam formam indicauit efficiens tradit repetendo superius dicta. dicit ergo fieri similaria corpora caliditate, & frigiditate, earumq; motibus dum concrescunt calido, & frigido, quod rursus confirmat quia cum differant illæ partes differentijs scilicet materialibus,qualibus differunt mas,& fæmina sunt tensione restrictione,cominutione,mollitie,duritie, quæ omnes à calore, & frigore

eorumq; motibus interdum mistis fiunt notandum eiusmodi efficiens inducit.

Constitutæ autem ex his dissimilares nulli, vtiq; videbuntur.

Subijcit nunc item in vniuersali causam effectricem dissimilarium, non sunt illæ à calore frigoreue, & ambobus ex alicuius sententia, nec enim vulgo homines fabricam capitis manus, aut pedis qualitatibus eiusmodi, vt primario scilicet agente tribuerent similitudine artificiatorum id confirmat. argumentum, & æs à calore, & frigore facta creduntur. at phialam aut arcam ab arte factas non ab iisdem qualitatibus omnes agnoscunt pariter partes similares tribuent qualitatibus iisdem, vt producentibus, at partes dissimilares, vel naturæ, vel altiori causæ assignabunt. altiorem causam intelligit vel naturam quam inducunt superiore peripatetica Platonici mentiue aut Deum ipsum ob prouidentiam quæ in earum fabricatione conspicitur vnde, & multo peripatetici intelligentiæ tribuunt non erranti. Noto vero hic de similaribus, quoq; idem concipiendum formam scilicet substantialem non à solis qualitatibus induci nisi instrumentario modo. Metallorum sane efficiunt, & lapidem est virtus venæ fodineq; inhærens, cuius instrumenta sunt qualitates, calor præcipuæ. accidens demum non pertingit ad generandam substantiam nisi vt instrumentum, in virtuteque superioris agentis à substantialis hoc in præsentia pono vt in vniuersalioribus libris ac disputationibus sancitum vnde animaduertendum est non tribui hoc dissimilaribus, vt sola ea à causa supra qualitates producantur, sed quod de illis, & in illis est id conspicuum, & omnibus patens. hæc enim sunt eius verba. constitutæ autem ex his dissimilares nulli vtique videbuntur vt caput aut manus „ sed quod natura vel aliqua alia causa. „ Hoc ergo sentiendum est in Aristotelis dogmate formam etiam similarium substantialem non produci vt à primario agente à qualitatibus, sed ab agente substantiali. verum hoc de dissimilaribus esse passim conspicuum: de dissimilaribus non æque conspicuum, sed videri posse, & vere multis videri produci ea solis qualitatibus actiuis vt à causa effectrice.

Aristoteles. [Quoniam igitur habemus cuius generis, vnumquodq;
„ eorum, quæ similarium partium accipiendum secundum vnumquodque
„ quid est, vt quid sanguis, vel caro, aut semen, & aliorum, vnumquodq;
„ vsq; ad calcem capitis.]

Commentarium. Hunc quæ restent consideranda in naturali philosophia proponit, & ordinem sunt, ergo indaganda similaria singula secundum quidditatem, idest eorum est inuestiganda quidditas, vt quid sanguinis, & caro expositione scilicet vtitur aliquorum ad declarationem vniuersalis propositionis: nec vero etiam si quæ commemorauit sint partes animalium aut viuentium intelligendum est restringi vniuersalem propositionem similarium partium ad solas viuentium partes sicut enim non aurum, & æs quorum proximè meminit in hoc eodem capite inquirenda sunt cum, & illa sint similaria, & de similaribus nullis inuestigauerit, quid est singillatim, vt inuestigandum fatetur. omnium ergo similarium inquirendum quid est. quid est vero aut per solam materiam traditur, aut per solam formam, aut per vtramq; quæ est perfectior, & absoluta definitio. hanc eandem definitionum distinctionem trimembrem habemus latiua

eius expositam 1. de anima text. 16. vbi naturalem per materiam etiam non per solam formam tradendam asserit. id ipsum ergo sed str.ctius significant verba nunc, & quid est si materiam, aut rationem maximè autem cum ambo. nedum vero inquirendum est quid est singulorum similarium, sed & propter quid scilicet causam effectricem quæ cognoscit potissimum ex generatione eorum ipsorum, & a corruptione etiam quoniam concreta quæ liquantur à calore intelligimus concreta esse.ac terminata eatenusq; genita à frigore hæc ergo sibi volunt, & verba sic enim scimus, vniquodq; propter quid, & quid est (& quæ post pauca sequuntur & generationis, & corruptionis, & vnde sit principium motus.

Manifestis autem his similiter ea, quæ non similium partium speculandum, & tandem ex his constituta (vt hominem & plantam.)

Post inuestigatas, & explicatas partes similares sunt, dissimilares partes postea tradendæ, & demum viuentia corpora ex illis composita animalia, & plantas.

[*Et alia eiusmodi.*]

Ex animalibus solius hominis meminit nunc, itaq; subiungit, & alia talia scilicet animalia cætera. non sunt autem præter animalia, & plantas alia viuentia nis trophita quis adduxerit quæ, vtramq; naturam participiant tamen sunt animalia cum sentiant præter vero viuentia non est corpus vllum ex dissimilaribus partibus coalitum: quoniam forma eius esset actus corporis organici, adeoq; definitio animæ ab Aristotele tradita alijs etiam ab animalibus conueniret. nihil itaq; iuuatur ex hoc loco opinio eorum qui volunt immediate post hunc librum sequi libros de animalibus nullo pacto id hinc elicitur id vnum elicitur prius esse de similaribus corporibus singillatim agendum postea de illis dissimilaribus partibus quæ ex similaribus componuntur tandem de corporibus quæ ex dissimilaribus resultant. Non omnia vero similaria dissimilaris corporis sunt partes metalla, & fossilia similaria sunt, & nullum dissimilare componunt, sit laus Deo, & beatissimæ Virgini. Anno 1631. die D. Michaeli dicata.

ANNOTATIONES

IN CAPITVLVM PRIMVM Quartum Metheorum.

Annotatio prima. In primam particulam iuxta sectionem meam.

ARistoteles dicit secundum expositionem meam, & Alexandri, & fræquentiorem primas quattuor qualitates, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, esse elementorum formas: at videtur hoc falsum non enim qualitates possunt esse formæ substantiales corporum naturalium. duæ hinc controuersiæ in schola nascuntur altera tum verè

caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, quæ sunt qualitates, & aientia in alijs sint in elementis formæ substantiales altera nisi sint formæ substantiales vt latinorum, & Arabum frequentissima schola sentit quo in sensu ab Aristotele dicantur formæ in præsentia, & in re de generatione, at hæ duæ in vnam compingantur disputationem, quæ erit prima annotationis & quarta totius libri.

QVÆSTIO 4

Vtrum caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas sint formæ substantiales elementorum.

IN hac controuersia Alexander (vtq; multi testantur) omnes græci asserunt, esse vere formas substantiales, at latini contra, & Arabes volunt esse qualitates etiam in elementis non formas substantiales. Inter recentes Cremoninus Alexandri sententiam tuetur in quam prior descendit etiam Simon Portius. pro qua scientia sunt testimonia Aristotelis tum hic tum 2. de gen. & corrup. vbi formas eas elementorum dicit vel ergo extorquere verba volumus, vel eam vere scientiam tribuere philosopho, est præterea ratio eorumdem, quam adducit aut improbaturus Auerroes lib. 8. metaphys. comm. 5. quoniam si qualitates auferantur singula elementa tolluntur, si tollatur calor, aufertur ignis: si humiditas, aer. si siccitas terra, &c. Ergo sunt eæ qualitates suorum elementorum formæ. Auerroes contra non posse esse substantiales formas contendit. ratio vero, qua nititur, est; quoniam quod est in se ipso qualitas, non potest respectu alterius esse substantia: etenim substantia in alterius respectu non dicitur. non habet scil. à relatione res vt substantia sit. alia præterea dum ratione adducit. quas penes ipsum videre est ego in physicis meis opinionem Alexandri confutaui in quæst. 2. art. 1. in digest. ad calcem non repono rationes ne bis idem. opinio ergo Auerrois est sanior cum in Aristotelis via, tum simpliciter secundum rerum naturam restat nunc rationes contrarias soluere primo loco difficultatem faciebant Aristotelis testimonia, in quibus formas elementorum qualitates eas dicit. respondetur estq; communior responsio elementa bifariam considerari posse, vel absolute, vel vt mistoriam principia sunt in mistionemq; deueniunt primo modo non esse qualitates primas elementorum formas, sed substandiales formas eorum formas esse quas formas ex vocabulorum defectu igneitatem, aereitatem dicimus. At secundo modo dum elementa sumuntur eorum formæ qualitates primæ sunt per eas enim elementa mistibilia constituuntur. Buccaferreus in hunc lib. comm. primo Achillinus 3. lib. de elem. dub. 4. Zabarella cap. 2. lib. 1. de qualit. nat. & probabilis admodum responsio est at accomodatior adhuc si fuerit distinctio trimembris. possunt elementa considerari tum vt substantiæ naturales: tum vt partes vniuersi: tum vt principia, at partes mistorum primo modo formæ elementorum sunt formæ substantiales. Duæ sunt formæ qualitates motrices leuitas simpliciter

ter, & secundum quid: grauitas simpliciter, & secundum quid tertio modo sunt formæ qualitates primæ caliditas, frigiditas: siccitas, humiditas. Addo vero hanc animaduersionem. elementum definitur ab Aristotele esse in quid compositum resoluitur vt in materiam: vt corpora quattuor prima ignis, aer, aqua, terra eatenus elementa dicantur, quatenus partes sunt naturales alicuius. sunt autem ipsa partes materiales tum vniuersi, cuius sunt partes integrantes: tum mistorum, in quorum mistionem descendunt. qua vero substantiæ sunt, in eaq; præcisa consideratione non possunt proprie elementa vocari. Quamobrem cum Aristoteles dicit elementorum formas esse primas qualitates non improprie loquitur, neq; tum circumloquitur formas substantiales, vt aliqui dicunt, sed proprie loquitur, & qualitates ipsas significat non autem per eas formas substantiales indicat. Possumus ex his conciliare sententias prima fronte dissonas, & dicta pariter Auerrois, quæ inter se dissona videntur. dum aliqui grauitatem, & leuitatem formas elementorum substantiales dicunt aliqui qualitates ipsas primas quas duas opiniones videmus ambas eidem Auerroi in diuersis locis probatas, vtraq; ergo opinio defendi potest, & simul sustineri, sed diuersis rationibus vt exposui verumenimuero, & tertia simul coniungitur ipsorum quia substantiæ sunt formas esse substantias non accidentia. Ad rationem vero. Quòd sublatis qualitatibus primis auferantur elementa. obuium est respondere, sed primo loco rationẽ ordinemus. Omnes formæ, quibus sublatis elementa auferuntur sunt substantiales formæ elementorum. Qualitatibus primis sublatis auferuntur elementa. Ergo qualitates primæ sunt formæ substantiales elementorum. Maiorem distinguit Auerroes. sublata re aliam tolli duobus contingit modis, vel à priori, vel à posteriori, si à priori, vera est propositio si a posteriori falla mam sublata albedine perit nix: at quoniam à posteriori, ideo non albedo forma substantialis niuis pariter, neq; risibilitas forma substantialis hominis etiam si sublata risibilitate cesset homo. minorem, itaq; Auerroes concedit à posteriori non à priori, & verissima est restrictio, dum elementa qua substantiæ sunt, considerentur: at si considerentur qua elementa concludit verum ratio, & minor est à priori vera. Ita sit hoc in loco controuersia agitata, quæ latius in libris de vniuerso disputata est.

ANNOTATIO SECVNDA

In Cap. Primum.

In tertiam particulam. (Quarum duæ quidem actiuæ caliditas, & frigiditas.)

QVA ratione dicat Aristoteles nunc, & dixerit antea in 2. de gen. & corrup. ex qualitatibus primis duas caliditatem, & frigiditatem esse actiuas. siccitatem, & humiditatem esse passiuis non conueniunt peripatetici; sed in diuersas sententias abeunt, immò & contrarias,

vt disputationem de hoc ipso inire oporteat qua ratione solæ caliditas, & frigiditas actiuæ siccitas, & humiditas passiuæ dicantur.

QVÆSTIO 5.

Qua ratione verum sit duas caliditatem, & frigiditatem esse actiuas: humiditatem, et siccitatem esse passiuas.

Rationes, quæ sunt contra hoc Aristotelis dictum varios dicendi modos eliciunt ad conciliandam veritatem rei cum Aristotelico dicto.

PRimus dicendi modus est exponendo esse hoc in loco Aristotelem secundum comparationem non absolute, vt scilicet sit sensus. caliditatem, & frigiditatem esse magis actiuas quam siccitatem, & humiditatem omnes tamen actiuas esse. Ita sentiunt Marsilius, & Caetan. Threnn. quem dicendi modum referunt Pomponatius, & Buccaferreus, atque ab Aristotele alienum afferunt, idq; expendendo tum verba Aristotelis quibus dictum exponit suum, tum probationes eius, quas scilicet exposuimus comm. 4. & 5. quæ absolute concludunt, non comparatiue. ratio scilicet tex 5. est quia caliditas, & frigiditas terminant, &c. ideo sunt actiuæ, quia siccitas, & humiditas terminantur ideo sunt passiuæ. ratio eiusmodi absolute concludit esse priores duas actiuas non autem magis actiuas secus oportuisset medium terminum esse quòd priores duæ magis terminant posteriores minus terminant: non autem quod illæ terminent, hæc terminentur. Secundus dicendi modus est Auerrois. Verum esse dictum Aristotelis comparanda qualitates ad mista non ad elementa. ad elementa scilicet comparato sunt omnes actiuæ vicissim, & passiuæ, etenim dum ignis generat ex aere ignem, id facit merito siccitatis, quæ humiditatem corrumpit siccitatem excitando. contra cum aer ignem in se ipsum mutat id merito humiditatis facit dum loco siccitatis humiditatẽ ex materia ignis educit, vel in eam inducit nolo hic litem ex lite serere. idem prorsus dum aqua in terram mutatur, terra in aquam. Comparatæ vero qualitates eædem ad mista sunt partim actiuæ caliditas, & frigiditas, partim passiuæ siccitas, & humiditas. Ratio secunda huius partis est quoniam mista omnia vel generantur à calido, vel incipiunt generari à calido, & absoluitur generatio à frigido, vt metalla humidum vero, & siccum commiscentur inuicem in misto à calido, & frigido hanc dicti Aristotelici explicationem amplexi etiam sunt Pomponatius, & Buccaferreus, sed contra hunc dicendi modum graues insurgunt dubitationes. potissima vero quoniam mistum nequit generari nisi misceantur elementa, & qualitates ipsorum: mistio autem fit solum dum refranguntur, & ad temperamentũ reducuntur, refractio vero, & temperamentum fit per mutuam actionem contrariarum qualitatem in se ipsas scilicet calor remittitur per actionem frigoris, & frigus per actionem caloris, vicissimq; pariter humiditas remittitur à siccitate, & siccitatem remittit, agunt ergo in mistione qualitates contrariæ in se ipsas æque caliditas, & frigiditas, atq; siccitas, & humiditas. Huic rationi respondet pro Auerroe à quo stat Buccaferreus agere

re quidem omnes qualitates in misti generatione, vicissimq; pati, at non agere humiditatem, & siccitatem principaliter, & hoc sibi velle Aristotelem ne autem reputetur hæc responsio eadem, at prior declarat se hunc modum agunt quidem inter se humiditas, & siccitas, sicut & duæ inter se caliditas, & frigiditas verum non possunt inter se agere qualitates eæ contrariæ nisi minutissima fiat diuisio partium, earumq; inter se appropinquatio, quæ diuisio, & appropinquatio non fit nisi ex actione caloris, & frigoris. Ergo etiam si inter se agant humiditas, & siccitas non agunt tamen nisi præcedat actio caloris, & frigoris dum diuisionem minutatim sicci, & humidi operantur. Quæ responsio pluribus de causis improbanda mihi videtur primo quoniam dato etiam diuisionem minutatim sicci, & humidi non fieri nisi ex actione caloris, & frigoris tamen actio humidi in siccum, & vicissim, earumq; refractio, & temperamentũ esset principaliter ab humido, & sicco non autem calore à frigido, sed ab his tantum, vt à causa sine qua non, & præparantibus veluti qui appropinquat signa ignis est causa sine qua non, & præparans combustionis signi, causa vero principalis, & principaliter operans combustionis est ignis ipse, sed est præterea falsum diuisionem minutam, quam dicunt, nonnisi à calore, & frigore fieri; nam cum fluuij ex pluuia crescunt, aquasq; luculentas ducunt tum terra in minutissimas particulas diuersa aquæ pari minutie diuisæ commiscetur, & sola humiditas ex primis qualitatibus est primaria diuisionis eiusmodi causa nulla est ibi, vel si qua sit exigua tantum est caloris, & frigoris opera. dixit ex primis qualitatibus, quoniam non me latet motum, aquæ fluentis ad cõmistionem cum etiam operari, nego tamen motum eiusmodi gradum caloris vllum conspicuum in aqua producere, nam in maximo etiam æstu. aqua in effluuijs eiusmodi turbulenta frigidior est, & in summo æstu quam cum clara fuerit, & nitida, præterea in brumali rigore etiam fluentia pleno cursu flumina sunt lutulenta tum tamen nullus ibi saltem sensilis calor, qui adeo possit diuisionem, quam prætendit Buccaferreus, efficere. Postremo non potest diuisio minuta proposita saltem à frigore proficisci quoniam frigus potius cogit, quam diuidat vt hac ratione non potuisset frigus reponi inter actiuas, sed solus calor prior tamen ratio magis cogit, & vniuersalius colligit. videtur itaq; posse aliter pro Auerroe responderi dicendo *Alia responsio pro Auerroe.* in generatione quidem misti agere quattuor omnes qualitates, vicissim, & pati, sed in misto iam genito solum caliditaté, & frigiditatem agere solum siccitatem, & humiditatem pati. At neq; responsio hęc consistit. nam terminatio est in generatione misti, & præcedit mistum non auté est in misto genito. *Cõfutatio.* Ergo in terminatione agũt solũ duæ priores: patiuntur tantũ duæ posteriores ex Arist. ergo distinctio hæc nõ accomodatur Aristot. quod scil. in solo misto genito duas tantũ agere duas tantũ pati intelligat: in generatione autem misti oẽs agant vicissim, & patiantur: nã vt dixi etiã in generatione misti scil. in terminatione eædem duæ caliditas, & frigiditas tantũ agũt. humiditas, & frigiditas tantum patiuntur. Est itaq; tertius modus dicendi *3. modus dicendi.* accomodatior reliquis quẽ Archãgelus Mercenarius, & Zabarella sequuti sunt. Actiones qualitatum animaliæ sunt vniuocæ: alię æquiuocæ. vniuocæ sunt calefacere calori: frigefacere frigori: humectare humori. exiccare siccitati. aliæ sunt æquiuocæ vt cogere, densare, rarefacere terminare. secundum actiones vniuocas omnes qualitates sunt actiuæ. sicut ratione

con-

contrariarum actionum singulæ passiuæ v.g. humiditas actiua est quoad humectationem, at passiua quoad exiccationem. caliditas actiua secundum calefactionem, passiua secundum frigefactionem: quæ est contraria calefactioni. Conclusio secunda est. secundum qualitates æquiuocas: terminare. Duæ tantum sunt actiuæ caliditas, & frigiditas: duæ tantum passiuæ humiditas, & siccitas. Hæc vt dixi opinio est probabilior cæteris, & rationi Aristotelis hic accomodatissima, qui ex terminatione, & cæteris actionibus æquiuocis, oppositisq; passionibus argumentatur. Attamen non leues hæc etiam obrectiones patitur primo est quoniam exiccare in elementis ipsis solis, & seiunctis est actio vniuoca siccitati naturaaer exiccatur à siccitate ignis aqua à siccitate terræ. at etiam in elementis seiunctis, seorsumq; sumptis tribuit solis caliditati, & siccitati agere in exiccatione. Ergo tum de æquiuocis, tum de vniuocis actionibus conclusio est Aristotelis. In elementis vero seorsum sumptis esse etiam exiccationem à calore, & frigore dicit Aristoteles hic in inductione in illis verbis, & ipsa secundum se, & quæcunq; communia ex ambobus corporibus constant. Secunda obrectio est ex Aristotelis verbis in tex. 8. 2. de
„ generat. & corrupt. sunt verba „ oportet autem actiua, & passiua inui-
„ cem esse elementa miscentur enim, & transmutantur in se inuicem cali-
„ dum autem, & frigidum, & siccum, & humidum illa quidem quia acti-
„ ua sunt. hæc autem, quia passiua dicuntur calidum enim est quod con-
„ gregat „ pondero verba „ & transmutantur in se inuicem „ transmutantur vero in se inuicem elementa in generatione ipsorumet elementorum tex. 24. 2. de gen. vnde ideo se mutuo generant elementa quia actiua sunt, & passiua adinuicem, & sunt actiua, & passiua ad inuicem quoniam calor, & frigus actiua siccum, & humdum passiua à primo ergo ad vltimum ideo elementa inuicem generant quoniam calor, & frigus actiuæ sunt qualitates reliquæ due passiuæ, at sunt in generatione mutua elementorum actiones vniuocæ ex tex. 24. 2. de gen. vbi aperte dicit vinci humidum à sicco si quæ sunt actiones vniuocæ. Ergo etiam in actionibus vniuocis, & respectu illarum sunt actiuæ solum caliditas, & frigiditas reliquæ duæ passiuæ oportet. Ergo dicere vel distinctionem hanc actionum in vniuocas, & æquiuocas nullam esse, neque ad mentem hac in re esse Aristotelis, vel si locum habeat tamen in ambabus verum esse Aristotelis dogma quòd solæ caliditas, & frigiditas sunt actiuæ reliquæ duæ passiuæ vel Aristotelis hoc in negocio doctrinam implicatam esse tertia & Postrema obrectio (vt cæteras ommittam) est quoniam exiccatio etiam in misto non videtur esse actio æquiuoca, sed vniuoca scilicet à siccitate ipsa, vt etiam induratio, & mollificatio ab humiditate. Nam exiccatio in misto fit per expulsionem humidi secundum aliquam partem & gradum, at remittere gradus qualitatis cuiusuis est ex actione contrariæ qualitatis refractio enim fit in mistione, & mistio est ex actione, & passione contrariarum qualitatum se se refrangentium, sed melius exponetur obrectio ita si qua actio æquiuoca est ratione cuius sint duæ totũ actiuæ; duæ solum passiuæ est ea terminatio: at terminatio fit dum pro misti natura aut magis, aut minus consistens redditur corpus. quod fit vel gradus humiditatis absumendo vel gradus siccitatis, at eiusmodi absumptio graduum fit in mistione ipsa hoc est in refractione mutua elemento-
rum

rum in mistionem venientium. Ergo non est alia terminatio quam quæ in prima illa alteratione mutua, & refractione fit, at in ea omnes qualitates agunt, & patiunt ergo in terminatione ipsa omnes qualitates sunt actiuæ, & passinæ superest nunc has singulas tollere, ac soluere; dubitationes. Ad primam ergo dicendum pro solutione est. Elementa ibi sumi ab Aristotele non in eorum puritate, sed prout sensui substant etenim in inductione tum versatur, quæ à sensu ducitur (cap. vlt. 2. post.) elementa ergo impura vt aqua terminatur, & exiccatur à frigore, vt in congelatione? communia vero aquæ, & terræ intelligit mista veluti scilicet succos qui & ipsi consistunt ab actiuis. obrectio vero procedit de lementis in sui puritate dum se mutuo generantur. Secunda obrectio subdola est dum partem literæ Aristotelis sumit, partem dimittit. integra dictio Aristotelis est miscentur enim, & transmutantur in se inuicem. considerat ergo elementa in mistione, atq; vt in misto at in misti iam generatione, in terminatione scilicet solum agunt caliditas, & frigiditas, & aliæ duæ patiuntur non, itaq; Aristoteles loquitur de generatione ipsa elementorum, sed de elementis vt in mistione, ac misti generatione. Tertio magnam sane difficultatem petit: at hęc mihi videtur probabilis solutio. qualitates misti, ac temperamenti à qualitatibus actu in eo existentibus, plerunq; differunt. Piper est calidum secundum temperamentum, at actu plerunq; frigidum item glacies temperamento est humida, vnde vorata sitim extinguit, at actu est sicca cum dura sit, actu enim resistit exiccatio igitur, & humectatio temperamenti fit ex refractione, adeoq; actione mutua, & passione siccitatis, & humiditatis: at exiccatio actu, qualis est consistentia, & durities, & mollities, & terminatio fit à caliditate, & frigiditate solis. Verum ad intelligentiam vberiorem eorum quæ nunc diximns, & quæ etiam dicenda manent multum conferre arbitror quam olim contexi disputationē de actione caloris in plures dispertitam, quam etiam interdum extendi ad vtramq; actiuam scilicet est disputatio in octo quæstionis dispertita.

Sunt autem quæstiones.

1 Vtrum omnis calor egeat pabulo.
2 Vtrum calor, cum semel pabulum sumpserit continuet semper nouium pabulum quærere.
3 Quomodo calor parte humoris consumpta aliam eius partem sibi subijciat.
4 Quomodo fiat attractio humoris à calore vtrum ratione vacui an, &c.
5 Qui humor in pabulum cedat calori.
6 Vtrum calor possit corrumpere humidum.
7 Quomodo calor agat in qualitates passiuas simul iunctas.
8 Vtrum possint duæ actiuæ qualitates agere in duas passiuas: excusatur peruersio ordinis cur scilicet hæc octaua, quæ præcedere debebat, postponatur.

Prosequar deinceps ordinem annotationum in particulas à me diuisas textus Aristotelici, & plerumque tractabo difficultates à Pomponatio excitatas in eas particulas.

Di-

Digressio quæ est disputatio de actione caloris in plures dispertita.

Consideratio actionis caloris in tres disponitur, nam vel agit in sui subiectum, vel agit in res aliena, & hoc bifariam vel enim agit in contrarium vt in frigidum, vel in non contrarium, vt in humidum, vt siccum, vel (vt communi more peripateticorum dicitur) in qualitates passiuas agit autem in subiectum cum agit in pabulum vnde alititur, vt ignis lychno an oleum ignis candelæ in sæuum, aut cæram descripsit actionem ignis in se ipsum Aristoteles lib. 3. de cælo prope finem his verbis „ duobus autem „ modis, inquit, videmus corrumpi ignem; nam & à contrario corrumpitur extinctus, & ipse à se ipso marcescens: agit vero in passiuas qualitates humiditatem, & siccitatem immisti generatione, quam actionem expressit Aristoteles in generatione simplicis misto 4. metheor. cap. 2. Quoniam vero eatenus videtur ignis agere in seipsum, quatenus agit in pabulum suum, eumq; consumenda ipsam erit duæ præsertim quæstiones obuiantur vtrum omnis calor egent pabula. Quomodoq; is agat in pabulum suum. Hæc singillatim quæramus.

QVÆSTIO PRIMA.

VTrum omnis calor egeat humore, ac pabulo; vnde nutriatur, in quoq; conseruetur. hanc agito quæstio tum quia vtilis ex se est, tum quia est à recentioribus in controuersiam adducta. Zabarella enim lib. 2. de „ gen. & interitu misti reprehendit Erastum, quæ calori etiam non animali id tribuit cum ipse ad solum animalis calorem restringat verba Zabarellæ refero (dico inquit) falsum hoc omninò esse, quod Erastus putredinis naturalis causam esse asseris, nempe proprium misti calorem ali humido proprio, & ipsum absumere tamq; pabulum: de solo enim calore animali id verum est, propriumq; animatorum est, vt eorum calor humido naturali nutriatur, ipsumq; tandem, & absumat. In hac quæstione variæ sunt sententiæ si quis eas diligenter inuestiget, non enim quæstio videtur ex proposito à quopiam tractata, & sub hoc, vt dicitur, titulo. Prima ergo opinio fert omnem calorem suo agere humore, ac pabulo, ita Erastus, quem refert, & reprehendit Zabarella prior idem sensit Zimara in annotationibus ad Iandunum libro De Resuretione, vbi dicit nullum corpus actu calidum in his inferioribus conseruari posse, nisi in continua transmutatione, & co rruptione quidem perpetuo nutriri quæat. Idem sentit, & profert Zimara in quęstione de mou. & moto refert Mercenarius, & refutat indilucidationibus. Secunda opinio est de solo calore animali verum id esse, quæ est sententia Zabarellæ 3. opinio est Alberti magni qui opinatur de omni calore igneo veram esse sententiam non de aereo de omni inquam calore „ igneo nedum elementari, ac irrefracto, sed refracto etiam ac in misto existente, verba sunt Alberti in lib. de animalibus vigesimo „ Amplius operatio caloris ignei est in humidum consumendo ipsum hoc enim nulla aliarum facit qualitatum eo quòd calor aeris non consumit humidum: sed

mo-

„ mouet solum calidum autem ignis epotat ipsum, & inducit siccitatem.
„ propter quod etiam omnino corpora sicca sunt in quibus vicit calidum
„ igneum: continue enim ad se trahendo subtile humidum relinquatur tan-
„ dem terrestre siccum, & durum „ hæc ille ne vero credamus loqui tantum de igne elementari puro, & non, & in de calore igneæ vt in mistione refracto. præstant verba illa ex descriptis „ Propter quod etiam corpora
„ omnino sicca sunt, in quibus vicit calidum igneum. ostendunt enim ibi
„ esse sermonem de mistis; præterea declarant verba statim subsequentia in
„ hunc modum „ Hæc autem operat one operatur calidum formando ossa, & superfluas humiditates, quæ sunt in membris cònsumendo, vbi loquitur de calore igneo animatorum Albertus. Quarto an autem controuersia ad bimembrem primo loco reducitur vtrum soluta calor animalis egeat pabulo an vno etiam qui extra animal est eo egeat. consideremus primo loco rationes, quæ ad animalis calorem contrahunt. ita ergo arguit Zabarella loco annotato de gener. & interitu misto tribus argumentis. Primum argum. Calor cum sumatur, & pro qualitate, & pro subiecto quali non potest nutriri humido, vt qualitas, sed solum, vt subiectum quale. vt qualitas potius consumit humidum. At vero vt quale, scilicet, vt subiectum calidum, siue substantia calida non potest agere in substantiam humidam, nisi in corpore etherogeneo quare mista similaria non sunt eiusmodi actionis, & passionis capacia sola ergo corpora animata id patiuntur. Secundum argumentum Calor dum humore vt pabulo nutritur agit mediante calefactione ergo oportet idem mistum calefacere se ipsum quare idem esset actu, & potentia secundum idem. Tertium argumentum. Si mista etiam inanimata pabulo egerent, sumptionem etiam externi elementi opus haberent, sed hoc non videmus fieri cum multa mista inanimata sine vllus alimenti sumptione diutissime durent, seu metalla, & lapilles. Ergo Contraria tamen sententia magis probatur ideo comprobari Aristoteli ostendam, & Galeno sublimibus adeo viris ostendam, praterea vero, & ratione confirmabo ex rei principijs ducta. Aristoteles ergo in contrariam sententiam concedit, & extra animal etiam calorem pabulo egere sentit in 3. libro De cælo dicit ignem corrumpi, & à contrario, & à se ipsi marcescentem quo in testimonio duo cõcedere oportet aliud marcescere ignem à se nihil aliud esse quam suum cõsumere pabulum; ita enim declarat marcorem Aristoteles cap. 3. de respiratione esse scilicet cum deficit alimentum. Alterum est ibi Aristotelem loqui de igne, quatenus ignis est, & non de illo indeterminate, & indefinite vt quatenus in solo animali verificari sufficiat: nam ea propositione vtitur, vt demonstret elementa esse corruptibile quamobrem cõsideret ignem qua ignem cum ergo ignis qua ignis in pabulum aget, oportet idem, vbicunq; ponitur facere, neque per mistionem ammittet cum inanimato sit mistus vt vel Zabarella ipse fatetur, etiam tamen id retineat præter Aristotelem. Est secundo loco auctoritas Arist. 2. meteor. cap. 2. in hæc verba etenim manifestum ignem quamdiù habuerit alimentum tandiù iuuere, ibi autem loquitur de calore latius sumpto quã vt ad animal restringatur siquidem libri meteorologici sunt simpliciores, & cõmuniores quã libri de anima. Tertio loco quę habet Aristoteles in cap. 3. de respiratione idem multifariam docent ostendunt siquidem cõnsumptionem alimenti ex Arist. multo latius caloriq; qui solorū

ani-

animalium conuenire probando enim eam duplicem extinctionem ignis & ob marcorem, & à contrario probat inducendo lucernæ flammam, & carbones cinere sopitos quorum calor non est proculdubio animatorum calor, & tamen illis sumptionem alimenti tribuit, præterea ibidem assignans rationem quamobrem animata refrigeratione egeant ad marcorẽ euitandum non reddit rationem quia calorem habeant, & sint etherogenea, sed quoniam simpliciter habeant calorem probat vero habare calorẽ eo quòd habeant animam, quæ ratio si resoluatur est. Omne habens calorem refrigeratione contra marcorem, & alimento indiget, sed omne animatũ habet calorem, ergo omne animatum refrigeratione, & alimento eget. minorem probat eo quòd omne animatum habeat animam ex his omnibus colligo calorem nutriri humore vt pabulo, non quatenus est in animito, & in etherogeneo corpore penes Aristotelem qui id probat ratione communi etiam reliquis mistis non solis animalibus adquæ contrahenda erat demonstratio; si de eorum calore solum tum esset ratiocinatio. Calor ex Aristotele duplex est cælestis, & elementaris, & ex Auerr. & vterque ipsorum eget pabulo ergo omnis calore, & pabulo. minor probatur de cælesti quidem nam is est calor animálium ex Aristotele ibidem, at calor animalium eget pabulo, ex euidentia rei, & ex confessione Zabarellæ, ac dissentientium. calor vero igneus satis aperte eget vt in lucerna, & lignorum combustione constat Patet ex his Aristotelem arbitratum esse extra animal, & animatam calorem egere pabulum. Idem tradit Galenus, creditq; vt ex pluribus eius locis colligitur. Libro de vtilitate respirationis vbi flammæ duplicem motum adscribit ad materiam vt ad terminum ad quem, & à materia vt à termino à quo. ad materiam vero adeo moueri, inquit quòd velocissime omnis flamma corrumpitur: ideo si perseuerare debet, eget velocissima quadam respiratione, vnde præsentem, & subiectam materiam requirit, quam transmutando ipse conseruetur perpetua quadam, & indeficiente generationis successione. eiusmodi vero perpetua, ac interrupta nouæ generationis successio ex subiecta materia est vocata ignis nutritio, quam passim dicimus, & vocamus, agnouit hoc, & testatur Aristoteles lib. 2. meteorum verba sunt a flamma enim propter continuum humidum, & siccum, quæ permutantur fit, & non aliter non enim eadem existens permanet vllo tempore, vt ita dicam, hæc Aristoteles, & vere conditio inter cæteras nutritionis est vt quod nutritur idem permaneat vt idem Aristoteles docet lib. 1. de gen. & corr. vt ideo non sit proprie nutritio, quæ igni, & flammæ tribuitur ab ipso etiam interdum Aristotele in varijs locis, & præsertim lib. de respirat. cum ergo egeat secundum Galenum ignis perpetua reparatione, & perpetua ignis reparatio sit quam dicimus nutritionem eius ex pabulo etiam si minus propriæ, ergo secundum Galenum ignis, & flamma eget pabulo, at non solum igni hoc tribuit Galenus in esse integro, & irrefracto, sed etiam in mistis, & in esse refractio. tribuit enim calori animatorium ibidem qui calor est proculdubio refractus. hæc de Galeni sententia, vel ex Galeni sententia.

Determinatio quæstionis ex rei principijs.

Ad quæstionis huius ex rei principijs explicationem repetendum primũ animo quod mox diximus nutritionem quam dicimus ignis ex pabulo esse perpetuam eiusdem reparationem, ac generationis successionem. Eo

quod

quod scilicet ignis numquam idem perseueret, sed perpetuo fluat, & semper est in fieri, & numquam in esse facto consistit. Omne ergo calidum quod in eiusmodi consistit eget necessario pabulo, vt reparetur vnde proposita quæstio in hanc abducitur. Quodnam calidum in eiusmodi fluere consistat vtrum omne, an aliquod tantum, & hoc quodnam sit an animatorum solum, an igneum an aereum etiam contra Albertum. Ad clariorem autem quæstionis explicationem præmittendum est nullam formam per se, ac sensum à subiecto agere: actio enim est suppositi, forma vero est principium quo actionis vnde in lib. de anima dicitur non adiscere animam, sed hominem anima eodem sese habet de generatione non enim generatur forma, sed suppositum non scilicet generatur anima, sed hoc animal, neq; hoc solum est in substantijs veram, sed etiam in accidentibus, non enim fit qualitas, sed quale scilicet non calor fit, sed lignum fit calidū. cum ergo dicimus calorem fluere, vel nutriri non de nuda qualitate est accipiendo, sed de illa vti in subiecto, & cum subiecto. de qualitate vero, vt de principio qui solumodo est accipiendum sicut ipsa vna cum subiecto est principium adæquatum. His præmissis iam conclusiones has subinde subijcio. Prima est ignem, seu calorem igneum in aliena materia existentem perpetuo fluere, & fieri. Hic vero animaduertendum ignem in his inferioribus in propria numquam materia consistere flamma siquidem est fumus ardens: fumus autem ex aere, & terra. in sua regione solum carbonem terream portionem continere, in eaque consistere euidens est Aristoteles apertis verbis huic veritati attestatur in lib. de gen. animali „ verba sunt „ verum ignis, semper formam non propriam habere videtur, sed in alio corpore, aut enim aer, aut fumus, aut terra esse videtur quod ignitum est, sed enim genus hoc apud lunam quærendum est „ dico ignitum ignem, caloremue igneum in aliena materia existentem perpetuo fluere, indeq; continua reparatione egere. Nam vbi est summe actiuum, & disposita materia fit velocissime actio, & passio Aristotelis De motu animal, sed ignis, & calor igneus est summe actiuus, & omnia inferiora sunt illi pro materia Aristotele lib. de gen. & corr. Ergo velocissime consumit materiam subiectum, proindeq; expirat nisi noua substituatur, vel sibi substituat nouam materiam. Secunda Conclusio ignis in propria materia non fluit, neque ideo eget pabulo. probo si ignis in propria materia hoc est ignis in sua sphæra flueret agens scilicet in pabulum se ipsum corrumperet in propria sphæra, at hoc est falsum, & in schola inauditum, ergo ignis in propria materia non fluit, neq; scilicet agit in pabulum consequentia probatur. nam cum ignis in propria nihil habet nisi propriam formam, & propriam materiam, vt nullum sit illi pabulum aliud assignare nisi propriam materiam, at si ignis consumeret suam materiam, ac propriam se ipsum corrumperet, corrupta enim materia, & forma perit. forma enim naturali non est separabilis à sua materia (excipio interim animam rationalem) agere autem in materia vt in pabulum est eam subinde perimere, vt ignis lucernæ oleum, si ignis se ipsum corrumperet (est, hæc probatio assumpti etiam si conspicui vel ad esset ex actione materiæ, vel ex actioni formæ, sed ex nutrius actione esse potest, non ex actione materiæ, quia materia nullam actionem obtinet, neque ex actione formæ, vt mox ostendam, ergo ex neutrica actione. non ex actione inquam formæ

nam

nam forma ignis in materiam suam propriam non aliter agit quam informando, & ad actum substantialem, adducendo, at perficiendo substantialiter possumus, & adhuc ex obseruatione ducere argumentum cum flamma extinguitur ex materiæ, ac pabuli defectu in fuliginem transit voco fuliginem illam prope inuisibilem exhalationem quæ ex lychno ascendit, & si suiperponatur cartha à flemma disiunctam ipsam ascendit, & comburit. tum est argumentum, si ignis se ipsum in sua sphæra corrumperet, fuligo aliqua efficeretur. ex adducta obseruatione. at nulla potest fuligo ibi esse nam vel esset ignis ipse ardens, vt quæ hic contingit fuligo. non ergo esset corruptio ignis vel esset aliud quippiam, & vel subtilius igne, & nullum corpus subtilius igne datur, nisi cæleste, vel crassius vel ergo aer aut aqua, aut mistum ex his, quod est omnino absonum, & fuligo est subtilior flamma ipsa aqua gignitur. Est alia adhuc ratio. Quoniam caloris pabulum est humor. at in igne in sua regione est summa siccitas nullo humore refracta. tertia sit conclusio calor etiam aereus in aliena materia fluit pabulum eget, eoq; vtitur. constat hoc ex spiritu animali vitaliq; qui vel est ipsemet calor animalis, naturalisq; vt Auerr. in colliget. & Galenus tribuit eandem Hippocrati sententiam vel differt subiecto differt ratione vt sentit conciliator, & Aristoteles dicit spiritum esse aerem calidum. spiritus tamen est aereus ex communi medicorum est scilicet substantia spiritus aerea ex communi medicorum voto conciliator eadem in loco. Eget autem spiritus animalis pabulo ex Galeno lib. de vtilit. resp. vbi ponit spiritum nutriri, & vnde nutriatur explicat. calor ergo aereus ipse, quoq; in aliena existens materia pabulo eget eoquod scilicet fluit. at in propria materia nequaque fluit, neque pabulum habet nonnisi enim suam materiam, quam consumere non potest ob eandem rationem, quam de igne attulimus. At si quarta conclusio ad rem totam aperiendam calor ipsemet igneus, ex hic cæteri exponatur, seu patescent in misto dupliciter reperitur alter mistionis pars, & in misto defixa, & coercita, vt calor qui in carne mortuo etiam animali concinetur alter est qui mistionis iam factæ superuenit, vt calor naturalis animalis, vel etiam plantæ. eiusmodi etiam est qui in lychno. accenditur superuenit is calori lychno vt misto inexistenti. Huiusmodi superueniens calor est in misto vt in aliena non vt in sua materia imo ipsa flamma includit materiam alienam scilicet aerem, & terram scilicet fumum qui est terra, & aer, cum sit fumus ardens. sit modo conclusio. Calor misti qui scilicet misti est pars defixa, qousq; permanet misto integra non fluit, neq; ideo eget pabula. At calor qui misto superuenit, fluit & pabulo eget non est enim in propria materia, cum sit in misto continente plures materias. Prima pars conclusionis probatur. Etenim mistio cum in suo robore manet continet omnia elementa ne elabantur, & diffluant labescente solum terminatione humor diffluit. calor siue ignis abit, & aer. Secunda pars cõclusionis ex obseruatione animalium, & animatorum, & eorum quæ comburuntur vt in lychnis, &c. sed patebit adhuc ex ratione ducta ex nutritionis flammæ, ac ignis continuatione, quam mox disputationem subijcimus. interim autem consideremus rationes Zabarellæ quid veri contineant. Prima ergo ratio. de calore misti ex mistione ipsa coercito, & cohibito sitq; adeo pars misti dum mistio adhuc integra perseuerat, virtus scilicet eius permanet per quam mistibilia inter omnia defixe continet. admittatur, vt

etiam

admittatur, vt etiam fert mea doctrina proximè explicata. dico autem virtus mistionis permanet. Nam latescente iam terminatione calor in reliqua elementa, vt in alienam materiam agere potest. at de calore superueniente misto, vt in animalibus, &c. non procedit ratio, vt videmus. Secunda ratio facilè soluitur: non est absurdum idem mistum esse in actu, & in potentia ratione diuersorum. nam calor superueniens est in actu, & agit mistum, & misti humor est in potentia, & patitur. idem in misti iam resolutione. Tertia ratio de misti calore perseuerante in sua integritate misto, ac vi mistionis concludit, at de calore superaddito misto, vt in lychno, qui superadditur oleo, aut cęrę, & de calore naturali in animali nihil concludit, quæ tamen sit ratio quamobrem mistum diuturnæ durationis sit tamen durationis non æternæ vtrum sit ex actione caloris, & quænam sit ea actio pertinet ad disputationem vtrum mistum in vacuo posset perpetuo durare id vnum in præsentia dicamus in misto terminato agere inter se qualitates primas, siue elementa ipsa secundum eas qualitates caliditatem frigiditatem, siccitatem humiditatem; vt contrarias inter se, atq; omnes actiuas. quomodo etiam in mistione ipsa faciunt, in quo non sunt duæ actiuæ calor, & frigus; duæ passiuæ humiditas, & siccitas, sed omnes ante se agunt dum ad temperamentum se adducant, pariter misto iam absoluto in se ipsas agunt in temperamento se conseruando perpetua libratione quousq; fatiscentes ex longa operatione ad dissolutionem tendunt, sicut autem ad mistionem, & ad mistum terminandum sunt duæ actiuæ color, & frigus, duæ passiuæ humor, & siccitas. In misto ergo elaborato, & terminato cum temperamentum ex libratione contrariorum conseruetur oportet etiam ad effectum eiusmodi inter se perpetuo agere motus inquam quem tonicum dicunt, & ego dixi in cõmunioribus libri vt non agat calor ibi ad pabulum, neque in reliqua, vt in pabulum, sed ad conseruandum gradum suum, adeoq; temperamentum.

Solutio 2.

Solutio 3.

Lib. de motu cap.

QVÆSTIO SECVNDA

Cur calor, cum semel pabulum sumpserit continuet semper nouum pabulum quærere.

EX Quæstionis huius explicatione res tota clarior euadet, facit ergo dubium quod diximus de perpetuo fluxu ignis, igneiq; caloris hæc consideratio. Cum agit ignis in pabulum id facit, nec aliter, quàm in sui naturam adducendo, immò in sui materiam ad igneam formam adducendo. Cum itaque iam sit sub ignea forma vt eius materia à quonam materia deturbatur quominus sub ea forma perseueret, à calore quidem igneo ab ignisue forma non potest corrumpi quia forma suam materiam perficit non destruit. & iam pabulum sui materiam effecit. ex dubitationis huius solutione tota rei veritas aperietur

L

rietur. fit solutionis fundamentum ignem (idem de calore igneo concipiamus, intelligamusque) cum in inferiori hac materia aerea, ac terrea accenditur, & mistionis vinculis non cohibetur in suam se puritatem vindicare, habere pro instinctu, sicut ob maximam actiuitatem in maximum augumentum extollitur, idq; velocissimè, si materia apta adsit. hunc instinctum rationabilem facit genus communis rerum, vt quæq; potioribus ad sui conseruationem nedum, sed perfectionem etiam annitatur. Flamma ergo (ex hac vt magis perspicua re) in fuliginem abit, quæ ardorem retinet, suppositam enim sibi cartam extincta adhuc flamma inflammat, & comburit, at ob maiorem tenuitatem à flammæ consistentia, ac specie decidit, vt ergo flammæ consistentiam retineat, oportet vt nouam materiam attrahat (est ea pabulum) ex qua noua subinde flamma regeneretur. secus scilicet (idem repeto) attenuatur amplius quam vt flamma esse perseueret. non tamen esse ignis cessit, sed est ignis magis adhuc à corpulentiore materia secretus, vt leuior inde factus ad suam regionem deponendo semper quod alienum habet à puritate ignis vsq; ad regionem suam, ac sphæram euectus purus ignis euadit. nisi enim à suo cursu retineatur à vaporibus fortè incidentibus. Soluamus hinc propositam difficultatem. cum flamma pabulum in se vertit non vertit vt propriam ignis puri materiam, sed vt materiam adhuc alienam, in qua flammæ ipsius consistentia permanet, vt subinde, quæ flamma facta est in fuliginem transit, & noua flamma succedit. fuligo verò ignea licet adhuc, tamen non est assequuta puritatem ignis hoc est alienæ materiæ portionem retinet, sed subinde semper magis tenuatur, indeq; subinde semper ad ignis puritatem magis accedit, nisi ab obuio impedimento cohibeatur, hinc ergo soluitur dubitatio. Est ergo summa ignis consumendo pabulum non cessat esse simpliciter ignis, vel igneus, sed cessat esse species ea ignis, sub qua consistat, verbi gratia cessat esse flamma. at restat ignis, vel igneum nempè fuligo, adeoq; deparatior ignis, & ita semper ad maiorem puritatem igneæ naturæ annititur, quod de flamma dico idem de calore naturali animalis dixeris, &c.

QVÆSTIO TERTIA

Quomodo calor parte humoris consumpta aliam eius partem sibi subijciat.

VIdemus in lychno, in candelaq;, & ei ignem in elychnio accensum post partem olei, aut ceræ contiguam consumptam alias successiuè occupare. hic tres sunt sententiæ si rem subtiliter extimemus altera fert ignem attrahere humorem, altera vult humorem, exemp. gr. oleum calefactum ex propinquitate ignis leue etiam fieri adeoq; sursum moueri ad ignem. altera est ignem ipsum moueri ad partem humoris non consumptam, & is est motus ad materiam quam tribuit Galenus ignis cum dicit ignem duos motus exigere alterum ad materiam, alterum à materia, sine quo opprimitur

mitur, & marcescit. Secunda opinio est Gentilis in Comm. Auicennę in 1. lib. can. sess. 1. verba sunt eius inter cætera hæc. Vlterius est intelligendum, quòd Auicenna dixit, quòd attractio à calido apud certificantes reducitur ad eam, quæ est à vacuo, sed sine dubio hoc est falsum, immò alia est attractio vtriusq; secundum eos, quod declaratur sic. Nam quantum aliquid dat de forma, tantum dat ei de motu illius formæ. Cum igitur calidum det formam rei similem formæ eius, cuius calidum est instrumentum, scilicet formam leuitatis ignis, dabit etiam motum talis formæ, scilicet motum sursum; vnde quando ignis Papyri, & ex lampade talis ignis dat formam oleo, scilicet leuitatis per quam oleum mouetur sursum conuertendo aliquam sui partem in vaporem. Harum ergo opinionum præferendum iudico, quæ attractionem suscipit, at prius expendantur aliæ duæ. Gentilis ergo opinionem, ac fundamentum opinionis falsitate laborare arbitror. Falsitatem fundamenti, quod scilicet calor etiamsi igneus calefactis, & nondum incensis tribuat leuitatem, ideoq; motum sursum ignis scilicet lucernæ oleo elychnio attiguo ab obseruatione redditur apertè falsitatis. nam ferrum nedum calefactum ab igne, sed etiam ignitum redditum, & tamen nullum acquirit ad ascendendum aptitudinem quantò minùs solum calefactum sua spontè ascenderet? ratio etiam idem ostendit. motus enim naturalis cum sit à forma iam inducta, & genita, non autem ex præparatione ad eam. Nam quod præparatur ad alieniam generationem retines adduc suam formam, proindeq; eundem motum, qui præcedentem eam formam consequitur. Opinio autem, quæ ex Galeni dicto habetur, vt ad propositum adductum non subsistit. nam flamma ipsius ignis, igneaue eius portio sursum in fuligine ascendit, vt ex accessione suppositæ etiam, sed non attiguæ carthæ patet. at ex dicto, & opinione ea contrarium penitus accideret ad inferiorem candelæ, aut olei partem. at aliud est ignem nouum, ac flammam nouam generari subinde in inferiore parte olei, & cæræ, & flammam ipsam permanentem accendere ad inferiorem olei, aut candelæ partem restat. prior opinio itaque accipienda pabulum attrahi subinde semper quod probo adhuc his obseruationibus, etiam rationibus. Esse ergo attractionem cum oleum ad elichnium in reparatione flammæ succedit euidens ab hac obseruatione redditur. Sit lucerna A B. & elychnium in ea accensum B. sit in cauitate lucernæ oleum, quo perdurante seruatur, & perseuerat in elychnio flamma dico oleum ad elychnium tendere non confluendo, sed attractum, non confluendo inquam quòd calefactum leuitatem acquirat per quam motu leuium sursum feratur. nam si istud factum ob leuitatem sursum fereretur non tenderet ad B. elychnium, sed recta sursum fereretur, vt per lineas I M. E N. O P. is enim est motus leuium. Est etiam ex cucurbitis applicatis argumentum. quæ si incidatur cutis attrahunt sanguinem, nisi incidantur extollunt cutem, in turgoremq; eleuant cum sensu in homine attractionis, quod si ex leuitate ascenderet sanguis non extra, sed supra pergeret. Est tertia obseruatio, ex eo, quod interdum accidit in tormentis militaribus,



Doctrina 6 cap. 3.

Reÿcitur Gentilis.

Opinio Galeni.

Not. pro expositione dicti celebris Galeni.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

(quæ arteliar ias dicimus) si enim postquam exoneratæ sunt exclusa sit scilicet ex incensione pulueris pila catelli ad eius os accesserint summo impetu intus trahuntur, ibiq; suffocantur. quis dixerit motum illum esse canis accurrentis ex leuitate acquisita. cum repugnans pergat, & inuitus. præterquam calefaciamus catellum vsque ad inchoatam exactionem non tamen sursum eleuaretur. adhuc si tormentum ipsum fuerit in horizontali plano locatum, in quo plano sit catellus adhuc, & in cauitatem tormenti raperetur, vt motus non esset sursum adeoq; non ex leuitate à calore indita. Agnoscit etiam Arist. hanc attractionem à calore de gen.anim.vbi obseruat vaso aqua calida diluta, si ergo aliam aquam ore obuertãtur eã ad se trahere vnde conijcit ab vtero attrahi semen ante ipsũ proiectũ, quòd scil. vterus à calido menstruorum cofluuio rigetur.

Lib.2.ca.4

QVÆSTIO QVARTA

Quomodo fiat atractio vtrum ratione vacui, an &c.

POstquam conclusiones attrahi ab igne pabulũ, & à reliquo calore agente, scil. pabulo sequitur inuestigare quomodo fiat attractio eiusmodi sunt in cõtrouersia tres dicẽdi modi alter est ignem habere, caloremq; pabulo egẽtem vim insertũ attrahendi humorem, ab eiusmodiq; attractrice vi moueri pabulum, & duci ad ignem, ac calorem. alter modus dicẽdi est attrahi ratione vacui ne detur scilicet vacuum, vt aqua attrahitur in siphonibus. postremus est vtramq; rationem concurrere, & vacui, scil. & facultatis attratricis. quam etiam vocant proprietatem. Secunda sententia est Auicen. lib. 1. canon. 3. est Iacobi de partibus in eund. lib. & locum Auicen. verba sunt. „ Et „ attractio quidem fit, aut virtute, attractiua quemadmodum magnes attra„ hit ferrum, aut implendo vacuum, sicut aqua attrahitur in azaracha, aut ca„ lore sicut in lampade attrahitur, oleum licet hæc pars 3. apud certificantes „ necessatio reducatur ad implendum vacuum immò existit ipsamet, Hęc Auicennæ. „ Sed hæc opinio refutatur, hoc argumẽto valde mihi videtur efficaci si calor attraheret ratione vacui, eo quod scil. cõsumit omnẽ humorẽ in poris elychnij imbibitũ, vnde nouus humor accurit ad vacuũ tollendũ attraheret potiùs aerem, quàm humorem: nam cur facilius ad omnem partem mouetur, quàm humor feratur sursùm, moueri autẽ aerem suapto nutu in omnem parem docet Aristoteles 3. de Cælo at humor quisque siue aqua, siue vinum, siue oleum si in aere libero fundantur deorsum decidunt non sursùm, nec ad latera, præterea propinquior est aer oleo, nam spacium inter ignem, & oleum quodcunque sit ab aere impletur. breuiter potest ita construi syllogysmus. In nulla attractione, quæ fit ratione vacui, cum potest concurrere aer attrahitur aliquis humor, sed in attractione caloris pabulum attrahentis potest concurrere, aer ergo in attractione caloris si fiat scilicet ratione vacui, non attrahitur aliquis humor subsumo: sed attrahitur humor ergo per conuersionem contrapositionis non eiusmodi attractio ratione vacui. maior prosyilogismi probatur sensata obseruationes, nam syphones, quæ attrahunt

1.sen.Doc. 9.c.3.

Confutatio opin. Auicennæ.

hunt aquam ratione vacui si in aliquo vel minimo loco perforentur non amplius aquam attrahunt: aer enim implet ita etiam prulcha dum humores attrahunt si perforentur nihil attrahunt nisi formam obtegatur, & est vniuersalis ratio. Nam natura semper facit quod melius est. melius autem est quòd res minori qua possint fieri violentia perficiantur ergo ad vacuum prohibendum eius corporis accursu vtitur, quod minorem cum ad mouendum patitur, & potissimum si propinquus etiam sit vt in nostro casu propinquior est igni aer humore. Iacobus, itaq; de partibus vt huic argumentum seruata Auicennæ opinione respondeat ita Auicennam declarat vt attractio caloris fiat quidem ratione vacui, concurrat tamen etiam attractio ex proprietate, siue ex facilitate attractiua quam in adductis proxime Auicennæ verbis in primo loco collocatam videmus, estq; vt cum ferram à magnete trahitur ratione attractus ob proprietate, ignis non attrahit aerem sed humorem. Sed contra hanc expositionem Auicennæ, & opinionem ipsam Iacobi arguo, neque enim verbis accomodatur Auicennæ, neque absoluta vera est, si iuxtà vim verborum exponatur, & accipiatur. Non accomodatur verbis Auicennæ inquam nam is affert rationem vacui, vt causam absoluta, & demonstratiuam id importat. verba illa apud certificantes quæ vere important rationem vacui esse causam illam quæ medius termiuus est in demonstratione propter quid. cuiusmodi causa non eget alterius causæ suffragio, vt interpositio terræ ad eclipsim lunæ, & eo amplius discentit à modo dicendi Auicennæ, quia ipse reijcit causam proprietatis simpliciter tantum abest, vt pro partiaria admittat ad certificantes enim se remittit, qui causam attractionis pabuli à calore dicebant esse ipsam rationem vacui quam Auicenna vt contradistinctam, & oppositam proprietati distinguit ab ea non est etiam vel non videtur vera ipsa per se. consideret opinio Iacobi quoniam causa principalis, ac principaliter hic quæritur, at duæ causæ dico, dico mouentia vnius motus Aristotele 8. phys. non possunt etiam altera principalis altera instrumentaria esse quia natura non abundat non facit scilicet per plura, quod fieri potest per pauciora, at ad attrahendum ob rationem vacui satis, superq; est ipsa ratio vacui vt partes in syphonibus, & in eiusmodi alijs instrumentis vt prulchis, & clepsidris &c. ipsa enim ratio vacui ipsa per se effectum producit, contraq; vbi est attractio ex proprieta, & facultate vt tamen attrahitur à matrice, absq; vlla ratione vacui tota enim cauitas semper repleta est aere, vaporeue in attractione etiam magnetis vnica causa, absq; alterius, & præsertim vacui consortio est vis attrahendi concluderem igitur. Attractionem pabuli à calore esse à facultate attrahendi, & non concurrere rationem vacui, neque vt causam principalem, neque vt instrumentum ob dictam rationem. fateor tamen concurrere rationem vacui vt causam sine qua non nisi enim vacuum, intercederet non posset ignis attrahere nisi cum penetratione corporum. consumitur ergo primo humor attractus, itaq; nouæ attractionis locus aperitur, & hoc modo si intellexissent Auicenna, & Iacobus vera dixissent non tamen videtur hic ita sentire si verba eius ex proprietate significationis attendantur, & exponantur ipso enim important vacui rationem esse primariam mouens, proprietatem autem esse secundariam. In hoc autem mitiori sensit ratio mea non repugnarit, nec obsisteret Iacobo

Iacobi de part. sententia.

tex. 82.

Opin. auct.

cobo ratio inquam concludens rationem vacui non esse principalem rationem, neque instrumentariam. natura differunt causa instrumentaria, & causa sine qua non longe enim aliter ad effectum concurrunt ad arcæ constructionem asseris expositio, quæ est causa sine qua non, & malleus qui est instrumentum. Sed dubitatio suboritur ita enim ex simpli forma, qualis est elementaris plures per se operationes procederent. ita enim calor qui per se calefacit per se etiam attraheret. huic rationi quæ longam & subtilem disputationem in vniuersum exigeret, satis sit in præsentia vnica instantia occurrere non ergo verum est assumptum vniuersaliter in forma ipsamet ignis. nam leuitas, & caliditas per se à forma ignis prodeunt, quæ sunt diuersæ qualitates, & calefactio, atq; motus sursum, quę sunt diuersæ operationes. Notandum autem quod pertinet ad sui conseruationem inditum esse à natura omnibus rebus. videmus in aquæ guttis, quæ, vt se tueantur ab externo ambiente in sphæricam formam efformentur, cum suapte natura aqua quæcumq; pars in centrum mundi propendunt vt pars inferior guttæ ad centrum tendens distrahenda esset non conglobando cum superiore parte in orbem.

Obiectio. *Solutio.*

QVÆSTIO QVINTA.

Qui humor cedat in pabulum caloris.

QVoniam attractio humoris à calore ad pabulum restrinximus vt non ad omnem idcirco humorem extendatur attractio ad plenam, itaque rei intelligentiam explicare oportet qui sit eiusmodi humor qui in pabulum cedit, & qui sit calor, qui pro pabulo egeat eiusmodi humore conformabitur inde posita iam conclusio de vi attratice in igne, & calore qui pabulo eget, & quoniam in naturali philosophia ex Aristotele causa finalis potissimum quærenda elucebit finis, ac prouidentia naturæ. Sit ergo Conclusio 1. humor lenis ab igne attrahitur ad sui pabulum in quo aerea natura præstat. non autem humor aqueus: ratio est quoniam ab aqueo humore extinguitur ignis. quòd si ignis præualeat igni aqueus humor, & aqua tota euaporat, & eijcitur. patet in cacabo, & in olla ad ignem positis, & diu retentis, si aqua ponatur ad ebulliendum. nam totam euaporare conspicitur cui nihil eius restet in cacabo. Præterea si loco olei ponatur in lucerna aqua, ignisq; accedantur in ellychnio extinguitur non ardet. quinimo si in oleo misceatur aqua fatescit ignis. cæra in candela aliter ignis, at si cæra superfundatur aqua ignis in cæra superfusa non durat. Pro secunda questione sit, secunda Conclusio: calor, & ignis simpliciter sumptus nempè vniuersaliter, & quatenus ignis non eget pabulo. constat ex demonstratis in prima quæstione non enim ignis in sua sphæra, adeoq; in pura sua natura eget pabulo. Præterea vero. cum.

lib. 2. phys. tex. & in li. de part. animal.

deest.

deest pabulum in lucernam, aut candela, ideoq; extinguitur flamma tamen perseuerat ignis restat in fuligine vis, vsque comburendi, & nisi in ascendendo occurreret vapori refrigeranti, & corrumpenti, impedientiq; ab assensu is ignis purus factus ad sphæram ignis ascenderet. tantum abest à corruptione. Sit nunc tertia conclusio. Ignis ex defectu pabuli in aliqua sui specie deficit. declaro deficit in specie flammæ. flamma enim extinguitur abeundo in fuliginem, quæ non est amplius flamma, est tamen ignea retinet scilicet natura igneam adhuc. Item calor naturalis in animali scilicet calor ipse vitalis ex defecti alimenti, ac pabuli dissoluitur, & abit adhuc tamen aliquid caloris in abeundo retinet.

Corollarium declarans dicitur Galeni.

Hinc patet Dictum Galeni asserentis ignem duplici motu egere alterum ad materiam, alterum à materia secus corrumpitur. quomodo sit verum. est enim verum de specie ipsa flammæ non de natura in vniuersum ignea. restat enim fuligo ardens post flammæ extinctionem, & post extinctionem vitę, adeoq; caloris vitalis restat in pectore calor qui sentitur in exteriore parte pectoris. De causa finali quod tertio loco proponebatur, elucet quid dicendum. nimirum ad conseruationem, & vsum viuentium, & animalium, præsertimq; hominum molita est natura conseruationem, ac durationem tum flammæ, tum caloris naturalis, ac vitalis, qui calores, cum pabulo egerent necesse fuit, vel dicamus saltem vtile fuit vim sibi pabulum adiungendi ad sui tutelam, ac conseruationem necessarium natura enim non deficit in necessarijs imo etiam in vtilibus quot enim in animalibus excogitauit, ac perfecit quæ non ad necessitatem, sed ad maiorem commoditatem pertinebant immò aliqua etiam ad ornatum. cur non ergo calori naturali ad vitam animalium necessario non contulisset, quæ ad vitam animalium imo, & animantium tot fecit, & insigni prouidentia præparauit. flamma etiam quantum ad humanos vsus conferat, imo necessaria sit quis non videt? Quæ ergo natura ad salutem animalium facultatem attractricem in tot eius partibus collocauit miro consilio qua ratione non eam tribuisset flamme ad vsus nostros prorsus necessariæ, & calori naturali animalium sine quo fabrica omnis animalium frustra esset vita non consistente? Ex prouidentiæ ergo naturæ stylo, & lege adhuc confirmatur. vt per causam flammam, & calorem naturalem animalium pabulum ad se facultate indita sibi à natura trahere. dixi calorem animalium, at cur non etiam viuentium, cum & plantæ calorem naturalem per quem consistant exigant?

Corollarium. Ex his ergo, & præsertim ex prima conclusione constat calorem in Thermis. idest ignem ibi accensu non attrahere humorem ibi aqueum, sed expellere ad aerem ambientem, vnde etiam in sedilibus superioribus qui assidet maiorem calorem experitur, & qui in inferioribus minorem.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum calor possit corrumpere humidum?

QVomodo calor agat in humidum, tum sibi pro pabulo absumens, tum euaporare pro diuersitate humoris, tum pro diuersitate situs euaporare faciens, iam satis disseruiet quid de præsente quæstione sit sentiendum tradiderim exposuerimq; plene sententiam meam, sed quoniam scriptoris graues nonnulli aliter phhilosophati sunt iustum est eorum sententias expendere, ne videamur in disputatione valde vtili non percurrisse celebrium philosophorum scripta. Iand unus ergo hanc ipsam quæstionem proponit, & prosequitur in librum. De iuuent. senect. hæcq; docet. Primum est, cum omnes partes animalis habeant quandam caliditatem, & humiditatem naturalem, quia vita consistit in calido, & humido, calidum vnius partis non agit in humiditatem eiusdem partis, sed in humidum alterius partis, & illa pars iterum per suum calorem agit in humidum alterius, sicut calidum cordis (quia in corde primo fundatur calor, sicut & vita, agit in humidum partis sibi contiguæ, sicut fortè in humidum hepatis. & humidum illius partis inflammatum à calido cordis agit iterum in humidum cordis, & ita de alijs, & per istam inflammationem corrumpuntur animalia, & suffocantur, & ista corruptio vocatur marcor. probat autem: nam agens, & patiens debent esse distincta 7. physic. sed calor, propriumq; caloris humidum non sunt distincta quoniam calidum fundatur in humido, vt in proprio subiecto, & talia non distinguuntur. Secundum dictum est. Nihil se ipsum corrumpere potest, sed si calor humidum proprium corrumperet, se ipsum corrumperet. Ergo calor non corrumpit proprium humidum, sed corrumpitur humidum ex pluribus Aristotelis dictis, ergo sequitur vt corrumpat humidum alterius partis. Tertium dictum est. Humidum corrumpi à calore tribus de causis. primo est per desiccationem, cum ob antiperistasim calor vnitur, & ita aduruatur vites à frigoribus. Secunda est per resistentiam dum enim humidum resistit actioni calidi continue patiendo à calido tandem corrumpitur. Tertius est per caloris actionem dum destitutus alimentali pabulo in humidum radicale vertitur.

Examen dictorum Iand.

Sed hæc Ianduni vniuersa pene, sunt magnis dubitationibus obnoxia, & primum inter cætera dictam. Nam nisi calor in humidum sibi subiectum adeoq; proprium humidum ageret non esset verum ipsum se ipsum interimere non aliter enim deficit flamma alychnis quam deficiente, & consumpto oleo lucernæ ipsius, & cæra in candela. ex alieni vero humoris consumptione ipsa non perimitur. & applicando rationem exemplo cordis, quo vtitur Iandunus, qui dicit calorem cordis forte humorem hepatis attrahere, & contra calorem hepatis attrahere ad sui nutritionem humorem cordis: nam vel calores cordis, & hepatis sunt æqualium virium, vel inæqualium, & si inæqualium vel calor cordis est maior, vt esse maiorem docet Arist. de resp. vel maior calor hepatis. at quodcunq; horum non potest esse ea mutua attractio caloris hepatis, & cordis quam dicit Iandunus.

nam

nam si æquales sunt calorum vires nulla erit attractio. actio enim fit à maiore inæqualitate si inæquales sint vires, maiorq; sit vis caloris cordis non poterit calor hepatis attrahere. quod si maior afferatur calor hepatis non poterit agere calor cordis, adeoq; nullo modo possit habere locũ vicissitudo attractionis. In causis præterea corruptionis humoris à calore afferẽdis obnoxius vis est repræhensionibus Iand. primam .n. causam adducit deficcationem corrumpitur scil. humor à calores quia inquit deficcatur. at deficcatio, & corruptio humoris sunt formaliter idem est ergo petitio principij. Secundam itidem causam adducens per resistẽtiam scil. & per continuam adeo passionem. at non est ab omni petitione principij hic modus immunis. nam qui non crederet corrumpi à calore humorem non etiam admitteret pati à calore passione scil. corruptiua qualis significatur à verbis Iand. non perfectiua tertia causa, tertiusue dicẽdi modus in eo deficit quod ad primam, & immediatam causam, adeoq; ad indemonstrabile principiũ non reducit quæstionem, seu solutionem quæstionis. supponit scil. passi calorem humorem, at quid sit pasci humore calorem, & quomodo dimittit. at scientia est per causam primam Arist. 1. post. Consideremus nunc fundamenta Ianduni prima eius ratio est. quòd requiratur distinctio inter agẽs *tex. 5.* & patiens, verum si de distinctione subiecto proferatur, & accipiatur propositio non est admitenda simpliciter in Arist. via qui tandem deuenit tum in 7. phys. tum in 8. ad se ipsum mouens quod constat ex parte mouente immota, & parte mota in eod. suppositio existentibus, & iunctis, at nunc dimissa hac subtilitate considerationis ad sensibiliora accedamus, & propiora principia. Ignis ergo non agit in scientia materiã propriam vt superius ego ipse demonstraui sed agit in pabulum quod non est materia propria igneæ portionis, sed est subiectũ vt aliena materia à qua ignea ipsa portio se se in puritatem vindicare annititur est quidem subiectum flammæ quæ est ignis ex pluribus congestus ex aere, & terra, & portione ignea agit autem ignea portio in alienam eiusmodi materiam. cũ ergo Iand. dicit calorẽ in humido fundari, vt in proprio subiecto non est simpliciter admittendum, non est .n. humidum proprium subiectum ignis, qui est absolute, & summe siccus, & in sua regione nulli humido insidet. Secunda ratio ex ijsdẽ facile soluitur falsum siquidem est ex ijs ignem à se ipso destrui, sed eatenus corrumpitur quatenus à prioris subiecti amplexu diuellitur rem, & solutionẽ expositione declaremus vnamq; confirmemus. Ignis puta flamma se corrumpit hoc modo. pars ignea quæ in flamma præualet (nam flamma est corpus mistũ, tũ simplex) à reliquis elemẽtis depuratior redditur, vnde corrũpitur mistũ à prædominio igneũ. hoc est corrũpitur ignis mistus, nẽpè flamma, sed portio ipsa ignea multo magis viget, purior ignis facta, sed ob multã tenuitatẽ, q̃ adepta est, oculos nostros effugit, ideoq; simpliciter corrupta, dicitur, & dicitur, & videtur. Non ergo simpliciter ignis se ipsũ corrũmpit, sed corrũpit spetiẽ aliquã ignis, nõ .n. ex differẽtijs essentialibus, ac formalibus cõstituũtur, sed ex differentijs materiæ cui ignea portio aduenit, & insidet.

Auerr. opinio. Succedit Auerro s de humoris corruptione ab igne. Vir ĩgitur hic inter peripateticos insignis hunc in modũ scrib t à calore siccitatẽ produci lib 4. meteor. verba eius sunt, & dicamus quòd siccitas producitur à calore primo, & per se. nam de consuetudine, siue de natura caloris est consumere humiditatem aqueam itaut dominetur

aqua.

aqua, & accidat ei ſiccitas, & cauſa in hoc eſt quia humiditas aquæ propterea quòd in radice ſuæ generationis eſt coniuncta cum frigiditate, & de natura caloris eſt corrumpere frigiditatem, ſequitur de neceſſitate vt corrumpat humiditatem aquæ, & exiccet ipſam.

Refutatio ſententiæ.

Huius celeberrimi philoſophi tamen ſententia dubitationibus patet non leuibus primo quidem quoniam vel ſupponit ſolam humiditatem aqueam à calore corrumpi, vel etiam aeream ſi vtramq; corrumpi concedat cauſam ergo diminutam, ac deficientem attulit: vel credit ſolam humiditatem aqueam corrumpi, & aperte fallitur: nam calor attrahit pro pabulo humorem lenem, & pinguem, quem & conſumit, qui eſt humor aereus vt cæræ, & olei humidum. præterea repugnat ſibi ipſi dum primo dicit ſiccitatem à calore primo, & per ſe produci; deinde ſubiungit ea de cauſa produci, quòd ſit cum frigiditate coniuncta in quam agit ex ſui natura calor; nam corrumpi humiditatem eo quòd corrumpatur frigiditas, in quam calor agat, eſt per accidens vel ſaltem ſecundario, & non per ſe primo à calore humiditatem corrumpi. Tertio loco non eſt neceſſarius conexus humiditatis aquæ cum eius frigiditate etenim ſenſu patet, aquam feruentem adhuc humidum permanere quare ad corruptionem frigiditatis aquæ non neceſſario corrumpitur eius humiditas, & idcircò natura, & propenſio ignis, ac caloris agendi in frigiditatem eſt ratio cur in coniunctam humiditatem agat eouſq; enim ſolum ageret, quouſq; permaneret frigiditas, at frigiditate etiam ſublata exiccat aquam in cacabo vt ſiccus vel vaſis fundus relinquatur.

Determinatio quæſtione.

Iam ergo quæſtionis ſatisfaciamus vtrum calor corrumpat humorem, & quomodo. repetendo ergo iam dicta de actione caloris in humorem, ac humidum, eaq; cum opus fuerit latius explicando dicamus. humorem duplicem eſſe, alium, aqueum, qui ideo in pabulum caloris non cedit, alium aereum, & lenem, qui ſuapte natura poteſt in pabulum caloris cædere. de ſingulis agamus Aereus ergo, & lenis humor cum eſt attiguus calido v. g. igni attrahitur ex vi, & facultate proprietate ignis calidi ue pabulo egentis iam fuit concluſio hæc conſtituta. dico autem cum eſt attiguus. niſi enim ſit attiguus humor. ſit vero intra ſphæram actiuitatis ignis vt calefiat ab igne, & attenuetur etiam dum tamen intra humoris conſiſtentiam fluidam reſtet non poteſt ferri ad ignem calefacientem quoniam humor eiuſmodi nonniſi deorſum in inani aeris ſpatio mouetur, ſiue aqua ſiue oleum ſit aut cæra fluens; demumq; liquores ita feruntur omnes. ad attractionem ergo humoris etiam ſi lenis, & aerei requiritur attiguitas, vel ſaltem corpus interiectum attiguum ſuſcipiendi humoris capax, vt ellychnum. Concluſio ergo ſit de humore leni attigua ſaltem per interiectum eius ſuſceptiuum in ipſum agere calorem attrahendo viſua, ac proprietate ad ſui pabulum. Eſt autem ex declaratis illum in ſui reparationem abſumere, & in ſe vertere, eſt itaq; tum actio de caloris in humorem primo, & per ſe cum ſit attractio pabuli qui eſt ipſemet humor, ſtatimq; attractum in ignem mutat at flamma in flammam, cumq; oleum in flammam vertatur certè nouam formam, & acquirit, & priorem ammittit, adeoq; corrumpitur. ex flamma vt magis conſpicuæ actionis deſuma-

sumamus quid fiat de pabulo reliquorum calorum pabulo egentium. Quoad aut humorem aqueum, calor non attrahit, sed intendendo calorem in aqua, vel aqueus corpore calor productus pro sui leuitate in altum euehitur secum ducendo quicquid ibi in vaporem ob attenuationem mutatur, vt ex his calor in humorem lenem ad pabulum primo agat in ipsum humorem, & immediate in humorem autem aquęum ad euaporationem primo agat in frigiditatem caliditatem inducendo, deinde per calorem inductum, ac impressum in humiditatem ad euaporationem.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quomodo calor agat in qualitates passiuas humidum, & siccum. iunctas extenditur ad ambas qualitates actiuas calorem, & frigus.

EGI hucusq; de caloris actione in humidnm seorsum, egi nunc agendum de actione eius in humidum, & siccum simul, quæ disputatio extendetur etiam ad actionem frigoris in eas qualitates, ad eosq; pertinebit ad quæstionem de actione actiuarum in passiuas caloris scilicet, & frigoris in humiditatem, & siccitatem. Zabarella nouam quandam opinionem de actione actiuarum in passiuas introduxit quam ob viri celebritatem præstat primo loco adducere. dicit is duplicem actionem inesse calori, & frigori alteram in contrarium scilicet calori in frigus, & viceuersa frigori in calorem, alteram in passiuas qualitates, quæ non sunt contrariæ illis qualitates, sed potius diuersæ. harum actionum primam dicit transeuntem secundam immanentem, & hanc non fieri, producique per calefactionem à calore, & frigefactionem à frigore: sed solum per quandam emanationem asserit, qua potest aliquid agere in seipsum. hæc est opinionis summa plura vero dicta interponit ex quibus opinio explicatur, & conformatur. Primum est. Qualitates actiuæ non agunt in passiuas mediantibus primis, & vniuocis operantibus nimirum calor non agit mediante calefactione in illas, neq; frigus mediante frigefactione, & probat sequentem in modum. Si qualitates actiuæ agunt in passiuas primus suis operationibus mediantibus, vel vtraq; qualitas simul agit calor scilicet simul, & frigus, vel altera tantum, sed neutrum esse potest ergo &c. Assumptum probatur, nam si vtraq; simul agit mediantibus primis suis operationibus idem corpus secundum easdem partes simul, eodemq; tempore calidum fieret, & frigidum quod ne in imaginationem quidem cadere potest. Non potest etiam altera tantum ex ipsis agere: nam vel hæc vna, & eadem facultas vtramq; operationem, & frigoris, & caloris simul exhibe-

Opinio Zabarellæ.

Primū dictum Zabarellæ.

hibe-

hibebit, vel alteram tantum operationem nempe caloris ad declarationem autem imaginatio est. Nisi vtraq; qualitas actiua agat hoc esse, quòd ex illis simul commissas, & temperatis vna qualitas media resultauerit, quæ virtutem vtriusq; commissæ qualitatis participet, retineatq; calefaciendi, & refrigerandi, & hæc est quædam opinio, alij vero conueniunt in exortu vnius qualitatis ex duarum temperie, sed discrepant à primis; nam exortam qualitatem nolunt vnquam agere nisi vt calorem, & hæc est secunda sententia. at neutro modo potest (Zabarella ait per qualitas media agere in passiuas mediantibus calefactione, frigefactioneue, neque ambabus simul, neque calefactione solum. nam si ambabus simul rursus idem corpus secundum eandem partem simul calesceret, & frigesceret, quod esse nequit. non autem calefactione solum: nam duo inconuenientia sequerentur. Primum quòd nihil caleficit, quod prius non sit frigidum. ergo idem simul est calidum, & frigidum; nam neq; quicquam frigescit quod prius non sit calidum. Secundum inconueniens est quoniam non erunt in ea media qualitate contemperatæ, duæ qualitates, frigus, & calor, si calor adhuc pugnat cum frigore: at contemperatæ supponebantur. Quod siquis adhuc (subiungit Zabarella) forsan occureret qualitatem ipsam mediam in calefaciendo refractam futuram à frigiditate humidi, & sicci eadem difficultate laboraret. nam rursus qualitas secunda refracta in reliquam sicci, & humidi frigiditatem calefactione aget, quare erit processus in infinitum. Secundo loco probat actionem contrarij in contrarium esse transeuntem: nam actio immanens est actio in se ipsum; sed nihil est contrarium sibi ipsi, ergo actio in contrarium nulla est immanens. tertio loco ostendit actionem agentis in materiam posse immanentem esse. probat

3. dictum. Aristotelis auctoritate 2. phys. qui actionem naturæ in rebus naturalibus immanentem facit: etenim in seminibus naturam esse dicit non vt formam sed vt artificem, & in hoc differre naturam ab arte, quòd in arte artifex non est insitus materiæ in quam agit, sed extra est, in natura inest artifex materiæ, in quam agit sic in semine humano &c. explicat vtramq; actionem immanentem, & transeuntem exemplo generationis misti quod antequam generatur sub generationis exordio, in se ipsas agunt qualitates contrariæ, caliditas, & frigiditas. humiditas, & siccitas, primoq; contemperantur in mediam qualitatem, caliditas, & frigiditas hæc autem media

Dictum postrem. qualitas, deinceps agit in duas passiuas vt in materiã inqua existenti actione immanente à postremo dicit actionem hanc immanentem fieri mediante emanatione, hincq; infert non reagere passiuas qualitates in actiuas, vt volebat Suessanus. solam reactio fit est in actione transeunte: tot habet Zabarella multum vt mihi videntur à veritate alienantia. Et opinio

Confutatio. dico opinionem esse de se falsam quod calor, & frigus non agant in passiuas mediantibus suis primis operationibus, sed per emanationem. repugno enim hæc opinio sensui, Aristoteli, & Zabarellæ ipsi, sensui nam in generatione eorum mistorum, quæ obseruare possumus per euaporationem, & exsudationem superflui humoris fit iure partium humidarum, & siccarum vt in obseruatione luti obseruamus. Repugnat ipsi Zabarellæ nam is

De mist. gener. et int. cap. 5. eiusdem libri ostendit generationem misti per se à calore esse à frigore per accidens. ratio est quoniam generatio misti consistit in perfecta mistione humidi cum sicco, quæ perfecta mistio non potest fieri nisi à calore

lore

lore, nam calor extenuans, vt miscibilium particulæ possint commisceri, quare ad mistionem humidi cum sicco oportet prius extenuare à calore partes, deinceps vniri, sed actio, quæ requiritur ad præuiam partium extenuationem non est emanans, ergo calor, & frigus non agunt in passiuas per emanationem. sed repugnat etiam Aristoteles in 2. de part. animal. vbi terminationem humidi, & sicci ad singulas partes similares requisitas exponit. ad carnem scilicet requisitas, ad cutem, ad vngues; omnes autem per calefactionem, & frigefactionem fieri docet: aliquos ex multis locos adducam. „ De membrana, requisitaq; ad eam terminatio- cap. 4.
„ nem hæc habet, & itaq; coactis iam partibus corpulentus humor excerni-
„ tur. obducunturq; circum parte resiccescentem terrena membranæ tum
„ necessario, tum alicuius gratia: nam & calescentis, frigescentisq; extre-
„ ma siccescere necesse est. „ De carnis autem consistentia, & ad eam requisita terminatione ita dicit. „ Per venas igitur, & meatulos quosque a-
„ limentum resudans quemadmodum aqua per crudusculam fritem in car-
„ nem, aut carnis proportionale vertitur frigore consistens, ex quo fit, vt
„ caro ab igne resoluatur. „ Ponderemus hic verba Aristotelis dicit frigore consistere carnem, & ideò ab igne resolui quibus verbis declarat se ly frigore frigefactione, vel saltem vna cum frigefactione intelligere, etenim in eam agit calor, non agit autem calor in frigus, vt frigus in subiecta est materia, nisi in calefactione mediante, præterea ratio cur quænam constiterint à frigore soluatur à calore est quoniam soluitur res à contrarijs, hanc causam reddit Aristoteles 4. Metheorum. contraria verò non se destruunt nisi vt participia, idest calor, vt est in materia, quam calefacit, & destruit frigus occupari eandem materiam quam frigefacit. Postremo de vnguibus clarissimè suam sententiam aperit hoc modo. „ Sed quæ terrena Sum. 42. cap. 3.
„ (inquit) admodum oriuntur parum caloris, humorisq; adepta hæc cum re-
„ frigescunt humore cum calore euaporante duram, terrenamq; formam
„ capiunt, vt vngues, cornu, vngulę, rostra. „ En ergo quomodo terminata sit, quæ ad vnguium, cornuum, vngula, & rostrorum formam requiritur non per emanationem, sed per multas physicas intermedias operationes, & transmutationes, refrigerationem, euaporationem, & exiccationem, quare, & non esse autem illas actiones per emanationem patet ex ipsomet Zabarella dum agens per emanationem describit lib. 1. de motu grau. & leu. vbi ita scribit. Alterum esse efficiens, quod non per transmutationem efficit, sed per solam emanationem. Effectus ab eo, quasi ipso non euaporante efficitur, vt effectus scilicet sponte illud insequi videtur: & subiungit rationalitatem esse causam effectricem in homine, nō quidem transmutante, quoniam rationalitas non agit in homine faciendo ex non risibili risibilem, sed sine vllo motu, sine vlla transmutatione quamprimum est rationalis consequitur, vt sit risibilis, ita vt risibilitas à rationalitate absque vlla mutatione emanare videatur. Hæc Zaberella inter alia. Vnde colligitur agens per emanationem, sine motu, & transmutatione agere, neque facere de non tali tale. Sed qualitates actiuæ dum euaporare humorem cogunt, dum exiccant, dum extenuant de non tali operantur cum motu (nam euaporatio est motus localis) & cum transmutatione, vt patet, ergo non agunt in qualitates passiuas per emanationem, ergo, &c. Quod posset tertio loco dicit actionem agentis in ma- Cap. 11. in fine.

riam

teriam posse immanentem esse diligenter attendendum esse. immanere de se quietem importare, significareue. Transire verò, & actionem transeuntem dicere motum alio. Cum ergo immanere, & transire in proposito ad agens referatur, immanens actio simpliciter, & omninò est cum actio restat in agente præcisè sumpto, quo pacto intellectio est immanens, nam subiectiuè in ipso intellectu perficitur. transiens verò absolutè actio, cum egreditur, nedum agens, sed eius subiectum, & instrumenta vniuersa, atq; transiens, perfectè idcircò actio est ædificatio; in externo enim subiecto reciptur, aliquæ verò actiones intermediæ sunt, nam egrediuntur ipsum principium agendi, sed non suppositum; quarum gradus sunt plures pro maiore, minoreue in contentas à supposito partes, ac res effusione: minus siquidem transit actio, quæ in propinquiorem principio partem transit ergo, quæ in remotiorem, vt effusio virtutis motiuæ in spiritus minorem transitum peregit, quam eiusdem effusio in neruis, ac deinceps ossa. eiusmodi mediæ actiones plerunq; subdubiæ sunt inter immanentes, & transeuntes. agnoscit hunc ambiguum statum actionum mediarum Diuus Thomas p. p. in sensatione. Verba sunt. „ Nam sentire quod etiam videtur esse operatio in sentiente est extra naturam intellectualem, neq; totaliter est remotum à genere actionum, quæ sunt ad extra. „ Eodem pacto attractio virtutis naturalis, qua partes sibi alimentum attrahunt, potest dici actio immanens, quatenus in eodem supposito includitur agens, & patiens. potest tamen rectius dici tranfiens, quatenus materia, quæ in alimentum attrahitur est extra facultacem attractricem, eiusq; primum organum, & subiectum. Vnde cum transeuntis, & immanentis sint inserta, & titubantia in præsenti disputatione est ipsa à quæstione de nomine in quæstionem de re diuidenda. Propono itaq; has propositiones. Actionum in supposito contentarum, & remanentium, vel sumuntur eæ, quæ in proprium, ac primum subiectum, & instrumentum exeunt, vel quæ in secunda, & tertia mediante primo descendunt primæ actiones sunt per eam emanationem, atq; hoc modo agit forma in materiam ipsam actuando, & informando, & hoc pacto anima motus in primum sui instrumentum efficaciam mouendi fundit: nam nisi immediatè, & per emanationem, sed per mediam aliam actionem vim motricem communicaret, daretur processus in infinitum, sed actiones in reliqua post primum instrumenta sunt physicæ, & cum motu, & transmutatione; etenim agens iam est quid compositum, aggregatum nempe ex principio, & forma agente, primoq; eius instrumento, & subiecto, & patiens est corpus ei contiguum secundum scilicet instrumentum cum reliquis. at verò actio corporis physici in corpus physicum est physica, atq; cum transmutatione, & motu. constat autem ex positione propositio. Nam spiritus postquam ab anima vim motricem recepit, agit in neruos, & musculos, atq; musculi agunt in ossa motu locali impulsus, vel attractionis, vel motu saltem alterationis calefactione scilicet, & frigefactione, vt alibi exposuimus. idem patet de cibi attractione, postquam enim communicatam concipimus vim attrahendi primo attrahendi instrumento, tum mediantibus villis rectis attrahentur motu locali alimentalis materia, vt docet Galenus, &c. hinc modo palam fit fundamentum ex immanente actione sumptum non suffragari in proposito Zabarellæ. Etenim actio actiuarum in passiuas est immanens

q.27.art.5 in corp.

Lib. 1. de motu Volútario.

Lib. 3. de facul.nat. cap.

manens, quatenus sunt in eodem supposito agens, & patiens, non autem ipsæ agunt in passiuas, vt in materiam actione formali, neque passiuæ qualitates sunt primum operationis, & facultatis actiuæ subiectum & instrumentum, cum qualitates actiuæ agant in elementis absq; passiuis, sed per elementa ipsa, vt per prima instrumenta, dum scilicet qualitates actiuæ inter se agunt, neque suadeant esse passiuas materiam actiuarum verba Aristotelis 4. Metheorum cum dicit „ Cum habeant naturam ex subiecta materia vnicuiq; naturæ: nam accipit ibi materiam pro subiecto actionis, vt lib. 2 de gen. & corrupt. vbi dicit reliqua elementa esse materiam ignis. „ Constat autem ignem non esse verè formam aliorum elementorum, & ipsa esse materiam non esse ignis. hic etiam certum est, passiuarum non esse formam propriè sumptam actiuas præterquam quòd Aristotelis verba adducta significant formam propriè sumptam substantialem nempè, formam scilicet misti ex eis generandi. dicit enim cum habeant rationem ex subiecta materia vnicuique naturæ. nimirum res cum mistione generandæ. Restat rationem Zabarellæ soluere, quam pro se adducit. Non agunt (inquit) caliditas, & frigiditas mediante calefactione, & frigefactione. respondeo etiamsi concederetur hoc non sequi tamen oportere actionem esse per emanationem, etenim attractio humidi à calore vnde fit corpus humidi exiccatio non est calefactio saltem formaliter; est enim ex vi attractiuè indita ex proxime à nobis dictis. & tamen est actio transiens: præterea dico quicquid sit de veritate propositionis, quam ego sane falsam arbitror eam tamen à ratione Zabarellæ non probari, quæ ratio nullius efficaciæ est. Cum enim dicit vel vtraq; contraria qualitas aget, vel altera tantum quodcumq; detur, idem simul, & secundum idem calescet, & frigescet. hæc est difficultas de relatione quomodo contrariæ qualitates in idem subiectum simul agere possint. & in præsentia respondeo vtramque qualitatem agere quoad Zabarellæ rationem attinet. Concedo, &c. idem simul posse calescere, & frigescere nego illationem, etenim impressio denominatur à præualente, si ergo præualeat frigus, dicitur subiectum frigescere, si calor calescere dicetur. Vlterius dico non repugnare, vt eadem pars aliquos gradus frigoris, & aliquos simul caloris acquirat, verbi gratia tres frigoris, & quinque caloris: cum enim hi gradus in esse facto se tolerent ex ipsomet Zebarella de mist. gen. & inter. etiam in ipso fieri se tolerabunt generationum enim contrarietas ex rerum, quæ generantur contrarietate dependet.

Cap. 2. in princ. tex. 50.

Ex superioribus ijsdē dictis.

Lib. 1. c. 3.

QVÆSTIO OCTAVA

Vtrum possint duæ actiuæ qualitates agere in passiuas.

HÆC sanè quæstio præcedere debebat proximam præcedentem. Primo enim determinãdum erat vtrum possint agere quam quomodo agant, at Zabarellæ existimatio, vt ordinem præuerterimus induxit. Tota verò diffi-

difficultas in eo consistit, quod agens, & patiens in naturalibus oportet esse contraria. at inter actiuas, & passiuas non est contrarietas. contrariæ enim sunt sibi inuicem actiuæ, & sibi inuicem passiuæ. contrariæ scilicet inter se. caliditas, & frigiditas; & contrariæ inter se siccitas, & humiditas. Vnde nunc oportet hanc vnam rationem expendere, & soluere. Actiuæ duæ qualitates non sunt contrariæ duabus passiuis, ergo non possunt in eas agere. Cæterum enim conclusio contraria scilicet actiuas agere in passiuas est manifesta ex euidentia, & ex Aristotele passim, sed in 4. Metheor. vt constat etiam ex prox. dictis rem ita se habere. Quoad remouendam ergo difficultatem prima est responsio Alberti Nagni 4. Metheor. cap. de concoct. Non requiri necessario cõtrarietatem ad actionem, sed sufficere dissimilitudinem. sed refutat responsionem Pompon. in 4. Metheor. dub. 3. post medium est autem confutatio eo quod si sufficeret dissimilitudo agentis, & patientis ad actionem caliditas ignis ageret in suam siccitatem, at nihil tale succedit ergo responsio Pomponatij, quæ est caliditatem, & frigiditatem in passiuas agere per accidens, & esse etiam illis contrarias per accidens, non per se: sunt enim illis contrariæ, vt sunt in misto, aguntq; in illas, quatenus in mistum agunt, ipsumq; destruendo, perimunt siccitatem, & humiditatem, quæ in misto illo reperiuntur, sed cõtra hanc sententiam primum præbet argumentum modus ipse dicendi, dum scilicet per accidens causam appellat. Nam causa per adcidens est ex Aristot. 1. poster. cum effectus nonnisi fortuito, & casu sequitur, at terminatio, & compactio semper sequitur actionem actiuarum in accommodato subiecto, nisi impediantur. Præterea cum Aristoteles definiat generationem per actionem actiuarum in passiuas, definiret eam per aliquid per accidens, contra omnem rectè definiendi normam. præterea cum dicit perimi duas passiuas ab actiuis, quia perimit mistũ quæro dũ perimit mistum, in quod per se agit, non enim per se in passiuas cum agat solum per accidens aget. ergo in substantiam ipsam misti per se, ergo substantia misti erit per se contraria qualitatibus actiuis ex suppositione, quod actio per se fit solùm in contrario, at substantiam habere contrarium, & absonum est à vero, & repugnat Aristoteles 5. phys. qui id negat motum esse in substantia quoniam caret contrario. Agent ergo actiuæ in passiuas primo & inde in mistum, quod scilicet corrumpent, quoniam primo loco agunt in passiuas. Aliter ego soluerem adductam rationem aliter scilicet distinguendo contrarietatem, nimirum in formalem, & causalem. Est causalis contrarietas inter solis lumen, & frigiditatem, quia sol lumine suo calefacit corpora, expellitq; cum superat frigiditatem. at non est formaliter lumen contrarium frigiditati, quia lumen solis non est formaliter calidũ cũ tum à caliditate, tum à frigiditate abstrahat. cũ ergo dicitur omnem actionem esse in contrarium est distinguenda actio primum, deinde distinguendo contrarietas in dogmate Aristotelis actio, scil. alia transiens alia actio immanens non habet contrarietatem, fit siquidem per emanationem esse à contrarietate immunem, cum præsertim ex habitu prodit, tum enim nulla est alteratin vera, scilicet & propria est dogma Aristotelis lib. 2. de anima cum scilicet qui habitum sapientiæ obtinet in speculationem actu venit non alteratur vera, & propria non alteratione, verba sunt Philosophi. „ Speculans enim fit habens scientiam, quod quidem aut non est alterari

Resp. Pomponatij.

Tex. 10.

Tex. 57. et 58.

,, terari, in ipsum enim additio est, & in actum, aut alterum genus alterationis est. quo circa non rectè se habet dicere sapientem cum sapit alterari, sicut nec ædificatorem cum ædificat. ,, At actio transiens omnis sanè per contrarietatem procedit, & talis est actio actiuarum in passiuas, sed est distinguenda contrarietas altera enim est formalis, altera causalis, & vt distinximus. Contrarietas ergo, vt est communis formali, & causali in omnibus actionibus transeuntibus requiritur, quod si restringatur ad contrarietatem formalem, non in omni actione reperitur sicut in liquatione ceræ, at Sole, at saltem causalis contrarietas exigitur, & eiusmodi contrarietas inter caliditatem, & humiditatem reperitur, & pariter in vtramq; qualitatem in ambas passiuas nedum vnitas, sed etiam seorsum, & singillatim. hæc de præsenti quæstione cæterorum ad peculiarem agendi modum clarè intelligendum ex superioribus quæstionibus repetatur. Nunc redeamus ad Aristotelem prosequendo inchoatas annotationes interdum aliqua ex nunc dictis repetentur, nec repetitio significabitur, at nec significare est necessarium, & repetitio interdum vtilis.

ANNOTATIO TERTIA

In idem primum Caput.

In particulam quartam. In omnibus quidem caliditas, & frigiditas terminantes.

NAscitur hoc in loco dubitatio à Pomponatio præsertim agitata. Vtrum terminatio sit à calido, & frigido, an potius ab humido, & sicco: videtur enim ab humido, & sicco potius licet verò hæc sit nunc soluta proximè in responsione adhibita tertiæ obiectioni in proxima quæstione vnica precedentis annotationis tamen vt ratione alia dubitandi gratia adductam à Pomponatio, simulq; eius responsionem expendamus hic ex integro disputationem propono.

QVÆSTIO $\frac{6}{1}$

Vtrum caliditas, & frigiditas terminent, an potiùs passiuæ.

POmponatius aduersus Aristotelis hic dicta, & sententiam dubitandi gratia rationem adduxit ex fermento, siue ex massa quæ fit ex farina, & aqua, seu calidæ illæ sint, seu frigidæ, vt frigiditas, & caliditas nullum videantur momētum habere ad terminandū. ergo sola siccitas farinæ, humi-

ditas aquæ sunt, quæ massæ terminationem operantur. Est secunda aduersus hanc eandem Aristotelis sententiam ratio ex antecedente quæstione huc reiecta, quoniam caliditas, & frigiditas, non possunt agere in humiditatem, & siccitatem cum non sint illis contrariæ, immò se tolerant in igne enim cum summa caliditate est maxima siccitas in aere cum calore humiditas, in aqua cum frigiditate humiditas in terra cum frigiditate siccitas, neque ergo caliditas, frigiditas pugnant cum siccitate. neque itidem pugnant cum humiditate. at si terminatio esset ab actiuis agerent necessario in passiuas, aut in humiditatem cum terminatio in duritiem tendit, aut in siccitatem cum in mollitiem pergit Contra vero, est tum aperta sententia Aristotelis, tum inductio, quam supra tetigimus com. 4. expendamus ergo rationes primæ rationi respondet Pomponatius fieri quidem terminationem à passiuis: at bonam terminationem ab actiuis & perfectam. est verò perfecta terminatio cum fuerit eiusmodi, vt iam sit mistum accomodatum suscipiendæ formæ substantiali, cuius introductio non potest fieri absq; calore. immò à calore introducitur. non perficitur itaq; terminatio, sine actiuis, immò ab actiuis ipsis. At responsio non satisfacit, nam cum terminatio coagulationem exigat coagulare simpliciter tribuit actiuis, non benè coagulare hic in litera præterea sequeretur passiuas esse actiuas, nam Aristoteles concludit in litera esse caliditatem, & frigiditatem actiuas, quia coagulant, & coagulare est actio. Ergo si humiditas, & siccitas etiam coagulent erunt actiuæ. nam si ratio Aristotels valida esse debet, maior subintellecta est vniuersalis omnis qualitas coagulans est actiua. quod si respondeatur argumento non concludi ab Aristotele actiuas esse qualitates caliditatem, & frigiditatem ex eo solum, quod coagulent; sed eo, quod simul terminent, coagulent, & transmutent. Ratio itaq; peccat sophismate diuisionis. at probo rationem Aristotelis vim habere diuisim etiam non coniunctim solum. ex ratione, quam adducit ad probationem eiusdem subintellectæ maioris. Est autem quoniam illa omnia, terminare, coagulare, transmutare sint actiones, vt sit prosyllogysmus. Quodcunq; agit est actiuum. Quæcunque terminant, coagulant, transmutant, agunt. Ergo quæcunq; terminant, coagulant, transmutant sunt actiua. Cum itaq; minor sit vera, etiam diuisim, scilicet coagulare esse agere, terminare esse agere, transmutare asse aget, argumentum æquè consistet diuidendo minorem. Quodcunq; agit est actiuum. Quodcunq; coagulat agit. Ergo quodcunq; coagulat est actiuum, &c. alia responsio est, si aqua in farinam infundatur, & non tractetur, ac versetur manu miscella non cogi miscellam in massam, vt eiusmodi tractatio, isq; motus sit causa agens terminationis, at ex motu calor, non ergo sine calore fit massa, immò fit à calore, per calorem enim motus coagulat miscellam. Sed contra responsionem: non enim agitatio, & tractatio, quę manu fit calorem sensibilem inducit; at coagulatio sensibilis, & conspicua non videtur esse posse ab insensibili calore. respondeo itaq; præmittendo, non esse terminata, atq; coagulata corpora, cum adhuc si imprimatur manus eam circumobsistant, veluti aqua, quæ cedit quidem præmenti, & immersæ manui, at refluit, & manui, at refluit, & manum operit. at cum cedit, & retinet formam impressionis non circumdando, & cooperando præmens, vt cæra facit, & maxa jam compacta, vel cum non cedit

dit corpus compactum, & terminatum est, cumq; cedit, & retinet impressionem molle; cum non cedit, durum appellatur. hinc Aristoteles infra cap. 6. concludit omne terminatum corpus aut durum, aut molle. Modo miscella ex farina, & aqua, nisi tractetur, & agitetur manu, non concrescit, nisi tractetur, & agitetur manu; non concrescit, nisi tempore aliquo ab ambientis qualitate, tumq; concrescit non in maxam, sed in diuersa frusta instar crustarum indurata. Quod si tractetur, & commisceatur manu in massam eundo. Quæ tamen primo adhuc fluida est, vt ipsa quoq; circumobsistat, ac ex actione demum ambientis, eaq; breui ob magnam iam massę præparationem concrescit, adeò vt mollis pro fluida euadat, vt idcirco ambientis caliditas, aut frigiditas ad massam terminandam concurrit. dico autem alterutram eam qualitatem concurrere, quoniam massa tum à calore consistit, tum à frigore, ab hoc præsertim in hyemali rigore, ab illo, vt in furno.

Annotatio in particulam septimam eiusdem capitis primi ibi. Concretiuum enim sicut actiuum aliquid est.

Ex definitionibus adductis in 2. de gen. & corrupt. calidi, & frigidi: humidi, & sicci argumentatur nunc Aristoteles, definitionem autem calidi nunc detruncatam affert. calidum est concretiuum, quibus verbis significat, vel innuit integram definitionem calidi, relinquitq; nobis eam in mentem deducendam. Erat integra definitio calidum est, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis. græcè scilicet homogenea. Disputatur de veritate dictæ definitionis, & definitionum reliquarum trium qualitatum frigiditatis scilicet, ac humiditatis, quæ disputationes in 2. lib. de generatione habentur ab interpretibus multis, reliquis autem nunc dimissis placet quæ de definitione caloris adducunt in medium afferre mediocritatem tamen seruans. satis enim erit ea complecti, quæ ad sequentium intelligentiam pertineant, sufficiantue.

Quæstio Vtrum definitio calidi. Quod congregat homogenea sit bona. Disputat Pomponatius dubitatione 6.

Contra definitionem Aristotelis est ratio, quoniam caloris est rarefacere, non congregare cum sint motus oppositi erit argumentum, si reducatur. quod suapté natura rarefacit, non congregat. calor suapte natura rarefacit, ergo calor non congregat. maior probatur quoniam sunt motus oppositi rarefacere, & congregare. minor probatur ex Aristotele in 7. phys. præterea frigoris est constringere, at contrariorum sunt contrariæ actiones ergo caloris erit extendere, & rarefacere, non autem constringere, & congregare. Quoniam verò multi in parte definitionis caloris ponunt segregare etherogenea. eiusmodi particularum adijcientis priori contra hanc arguunt. quoniam cæra, & pix miscentur per ignem, vt ex ijs, qui imagines faciunt: non enim absq; calore eas miscerent. Item calor est, qui mistionem elementorum operatur ex Aristotele. Concoctio enim est à calore: & in concoctione fit perfecta commistio humidi cum sicco: elementa verò sunt inter etherogenea, vt aqua, & terra inter se, & reliqua. In pharmacis item, & medicamentis compositis conficiendis vt ignis ebullitione, sciect artifices plura, & longè diuersa confundunt, commiscentq; in vnum. Hæc contra veritatem: sunt etiam rationes contra assignationem, modulum scilicet definiendi multis de causis

primo non assignatur genus. Secunda est definitio tradita per actionem, adeóq; per posteriora cum definitio tradi debet per priora. Item neque rectè pro descriptione traderetur quoniam descriptio tradi debet per proprias affectiones. at propria affectio, seu operatio caloris est calefacere, non congregare, debuisset ergo describi per calefactionem, non per congregationem calor si describendus fuisset, prætereaq; videtur Aristotelis hæc definitio procedere per id, quod est per accidens. calor siquidem per se segregat aliena depurando ea in quæ agit aliena scilicet detrahendo. plumbum exem. gratia depurat scoriam omnem, detrahendo, hocq; agens homogenea, quæ restant sola congregantur. plumbum enim liquatum, & purgatum in vnum confluit. Hæc ita dubitata sunt contra Aristotelem, qui sanè contrarium dicit asserendo calorem congregare homogenea, eamq; caloris explicationem pro definitione, habendo, sicut explicationes, reliquarum trium qualitatum, quas in eo loco adhibet immò vocat eas ratione quibus qualitates eæ definiuntur immò fortius quibus earum naturæ definiuntur: restat itaq; rationes soluere contrarias primam quidem soluit Pomponatius dicendo calorem per se segregare, non congregare: at congregare per accidens, & ita loqui Aristotelem sequitur solutionem Buccaferreus in eo quod dicit Pomponatius, calori conuenire per accidens segregare, at dissidet in segregatione, quam vult Pomponatius conuenire per se calori, at Buccaferreus vult eam quoq; conuenire calori per accidens, vt calor scilicet & congreget, & segreget per accidens. Solutio huiusmodi Aristoteli sanè repugnat, qui disertis verbis dicit congregare per se tribuit segregare per accidens verba sunt. „ Segregare, quod dicunt facere ignem, congregare est ea, quæ eiusdem generis
„ sunt, contingit enim excipere aliena. „ En vt Aristoteles segregationem alienorum ponit, vt quid consequens congregationem homogeneorum contraquam dicat Pomponatius, qui congregare tribuit per accidens, sed etiam repugnant verba Buccafferei, dum etiam congregare per accidens esse dicit. Item contra eundem Pomponatium, at eius responsionem est. quoniam Aristoteles definiret calorem per ea, quæ essent illi per accidens. Succedit itaq; solutio Zimaræ calorem posse considerari duobus modis primo per se ipsum, & absolutè, secundo, vt instrumentum cælestis corporis, & animæ, primo modo rarefacit, & segregat, secundo modo congregat. Confutat solutionem hanc Arcangelus Mercenarius ex eo, quòd calor indurat orium, idq; aliquid eius in vaporem commutando, sed efficacior confutatio mihi videtur. Quod Aristoteles in 2. de gen. & corrupt. locis annotatis consideret qualitates ipsas per se, primasq; qualitates, vt quæ constituant elementa sint, scil. principia constituentia elementa. At elementa non constituuntur à qualitatibus primis, vt instrumenta sunt cælestis corporis, aut animæ, sed vt sunt qualitates tangibiles primæ omnium qualitatum tangibilium. Est hoc euidens ex verbis ibi Aristotelis, & serie eorum, qui ea ratione primas tangibiles qualitates calorem, frigus humidum, & siccum demonstrat, quòd cæteræ omnes qualitates tangibiles ad eas quattuor reducantur, ipsæ verò ad nullas. Mihi probabilior hæc quæ sequitur solutio videtur si dicatur corpora in duplici esse discrimine, ac conditione, alia nempe in vaporem, & halitum dissolui, alia non dissolui etiam à calore summo, nisi summa

arte

arte adhibito. declaro dictum. lateres ab igne fornacis solidantur, & coguntur non in halitum tenuantur, si tamen in medium ignem inijciantur singuli, ibiq; diuitissimè torreantur in cinerem tandem abibunt, & reliqua pars in tenues halitus euanescet. lignum à vicino igne nisi tangatur etiam si diu in ea vicinitate perseueret, nequacquam in halitus vertetur, at si in ignem inijciatur comburitur, tumq; pars eius in fumum vertitur, reliqua in carbones, & demum in cinerem euadit. His præmissis corpus, eiusque pars, quæ in halitus vertitur rarescit à calore, at corpus, quod non euaporat congregatur à calore non rarefit, vel si pars euaporet, pars restet quoad illam rarefit corpus, quoad hanc cogitur, & congregatur, veluti ouum quod dum coquitur secundum aliquam partem in vaporem vertitur secundum aliam amplius semper induratur. Quoniam verò mistum perfectum est illud, quod in halitus à calore non soluitur, sed ab euaporatione restat. terminatum enim est exactè mistum perfectum, terminatur autem humido superfluo in vapores difflato. ideo Aristoteles per congregationem calorem definit, quoniam considerat ibi elementa, & constituentes in ordine ad mistum, præsertim autem mistum perfectum, & in ordine ad illud præcipuè definit, adeoq; per congregationem non segregationem definit, definiri autem, & considerari in ordine ad mistum qualitates. hæc prima est communis latinorum conceptio, dum negant qualitates eas primas esse formas substantiales elementorum, respondetque Aristoteles verbis dum pro principijs constituentibus refert, & statuit esse principia in ordine ad mistorum constitutionem, non autem elementorum per se, Auerroisq; in expositionem consentit, eum sequacibus. At contra multa mista imperfecta per segregationem idem Aristoteles constituit. Distinctio autem mea caloris, quoad congregationem rarefactionem, & segregationem in calorem summum, & omni arte adhibitum, & in calorem summum; sed non omni arte adhibitum potest aliter exponi in calorem scilicet excedentem omnimodè; & in calorem excedentem, sed non omnimodè deduceturq; distinctio ex Aristotele infra cap. 7. cuius ibi verba sunt.
,, ,, Quæcunque autem propter infrigidationem, & calido coeuaporante
,, omni, hæc insolubilia sunt, nisi superabundet caliditas. ,, Hanc superabundantem caliditatem ego voco caliditatem omnimodè excedentem, exemplum est ferri, quod subijcit Aristoteles hoc ab igne mollificatur, vt flecti, & duci facilè possit, at non liquatur, vt fluat, nisi à calore multa arte obacto, quæ à fusoribus interdum adhibetur Alia solutio subministratur à Vicomercato in cap. de concoct. eliciturq; ibi ex Aristotele, qui dicit
,, Necesse autem est quæ concoquuntur crassiora, & calidiora esse, calidum
,, enim efficit sale melioris molis & crassius, & siccius, concoctio igitur *Solu. Vico.*
,, hoc est. ,, Ex eo loco Vicomercatus elicit calorem rarefacere elementa, *Par. 47.*
at congregare mista.

Secunda ratio. Contrariarum causarum contrarios effectus esse maximæ innititur, at non est maxima perpetuo vera præsertimq; non vera in æquiuocis actionibus, in quibus contrarij effectis ab eadem causa, plerumq; prodeunt, vt à Sole liquatur cæra, & induratur lutum, cum tamen liquatio, & induratio sint contrariæ actiones ab anima motus locales contrarijs in eodem animali proficiscuntur; vt ascensus, & descensus per scalas, vel per montium pendices. Item ab eadem anima tum motus lo-

 calis

calis, vt ambulatio, tum quies pro arbitrio prodit à contrarijs pariter causis idem effectus proficiscitur, vt exiccatio pannorum ruidorum qui cum à Sole sucantur tum ab hyemali rigore, ita docente ipsomet Aristotele infra capite sexto part. . . . Tertia obiectio cũ duabus sequentibus non pertinẽt ad definitionem, cum supponant parriculam (segregare etherogenea) pertinere ad definitionem, & non pertineant. attamen quoniam quoniam refunditur demum in Aristotelis sententiæ, & nostræ explicationis confutationem necesse est eas expendere, ac soluere: Pomponatius ergo soluit tertiam obiectionem dicendo per accidens misceri picem, & cæram à calore quatenus cum primum eas liquauerit eæ deinceps sibi mutuo hærent ob lentorem, vel hærent, & miscentur à pharmacopolis eo quod baculo agitatæ ob eum motum coalescnnt. Buccafferreus aliter soluit. Dicit ergo calorem interdum homogenea; interdum etiam etherogenea coniungere, & congregare, at quoniam frequentius homogenea, quam etherogenea congregat, ideò per homogeneorum congregationem definit calorem. prior responsio in eandem reprehensionem, quam supra obiecimus incidit. definiret scilicet Aristoteles per ea, quæ sunt per accidens. Responsio quoque Buccaferrei multum recedit ab acriuia, quam in definiendo exigit Aristoteles. debet enim conuerti cum definito: at hic definitum multò amplius, quàm definitio extenderetur. Mihi ergo probabilior solutio, & explicatio definitionis dictæ, videtur, si homogeneum ibi eo modo sumatur, quo ab Aristotele ipso in primo cap. 2. de partibus restrictum scil. ad mixtum ex elementis, quod in partes vbique eiusdem denominationis, vt caro in carnes os in ossa. Eo enim loci tres compositiones asserit alteram ex elementis, & est similarium partium, id est homogenearum. alteram ex similaribus, & esse partium nempe etherogenearum. Tertia est membrorum ex partibus dissimilaribus, vt facies, quę resultat ex naso, auribus, oculis, & id genus alijs partibus dissimilaribus. similaria ergo ibi corpora nõ vocat Aristoteles elementa, sed mista ex elementis vndiq; similia carnem, ossa, neruos, &c. eodem exemplo homogenea erunt metalla, fossilia, & partes plantarum similares. accipienda ergo homogenea in definitione calidi non vt elementa etiam significant, sed ad mista in partes eiusdem demonstrationis vbique diuisibilia. sed hoc ipsum clarius adhuc asseritur ab Aristotele cap. vlt. huius 4. verba sunt. „ Habemus enim ex quibus similarium natura constituta est genera ipsorum, cuius generis vnumquodq; per generationem: ex elementis enim, ea quæ similarium partium. „ En ergo vt similaria omnia ex elementis composita asserat Aristoteles, vel ergo sola mista similaria appellat. vel multo potius eam misti appellationem tribuit. Cessat ita obiectio quarta, & quinta. ad tertiam de cæra, & pice commistis rectè pomponatius in secunda solutione non à calore ea commistio fit, sed ab agitatione simul artificiosa liquatarum cæræ, ac picis, & si quando ex sola fusione metalla aliqua commiscentur fit id per accidens eo quod metalla etiam si diuersæ naturæ, sint tamen liquata, æquè fluida. Idem de pharmacis compositis dicendum, eademq; solutio argumento applicatur. Placet verò hic annectere intimam rationem quamobrem calor dicatur per se, & primo congregare homogenea ab Aristotele sumptis igitur homogeneis pro similaribus mistis, adeoq; similaribus partibus animalium, & plan-

Solutio tertia.

Solutio Põponatij.

Solut. Buccaferrei.

Sol. Auct.

plantarum apparet calorem, qui est primus generationis misti author, dum partes similares distinctas gignit congregare homogenea, non etherogenea declaro dictum. caro est quidem adiuncta membranæ ossibus neruis venis, at non componitur ex illis, sed puram naturam suam retinet. est hoc opus caloris, ergo calor homogenea congregat idem de neruo, de vena, de osse, deque cæteris similaribus dicendum. nec hic retracto eam partem actionis in similaribus cogendis, quam frigori antea dedi, sed id nunc assero quam partem habet in generatione similarium calor, habet autem maiorem eam totam in cogendo homogenea ponere. Descendo ad obiectiones contra assignationem definitionis. statuo hoc pro solutionibus fundamentum definitionem aliam esse essentialem aliam esse causalem; quarum hæc maiorem tradit, & præstantiorem cognitionem accidentis. In naturali Philosophia præclariorem, & firmiorem esse demonstrationem ex fine, quàm ex ma teria, & efficiente Aristoteles 2. phys. cap. vltimo de partibus, in cuius postremo capite celebrat cognitionem ex fine, & arripit. ex fundamentis his ego desumo qualitates has primas caliditatem, & frigiditatem ex fine fuisse declarandas accomodato dissertationi de illis, quæ est in ordine ad mista. Est autem finis caloris in ordine ad mista actio, quam in eorum generatione edit. Est hæc vt vidimus generatio mistorum similarium, quæ per congregationem efficitur homogeneorum ex dictis proximè. definitio itaque hæc caloris, quod congregat homogenea est per causam finalem ex hoc fundamento soluuntur obiectiones. Prima ergo obijciebat de ficere genus. Esto deficere in definitione id causali non est defectus cum definitur Eclipsis interpositio terræ nullum id genus. Secunda obijciebat esse definitionem per posteriora. Respondeo esse posteriora origine, sed per priora intentione naturæ, & substantia. ad tertiam est hæc definitio non descriptio, estque per causam finalem, vt expositum est. Quarta obiectio penitus falsa, & falsis innititur, vt patet ex dictis, calor verè per se congregat homogenea, segregat verò ex consequenti.

ANNOTATIONES
IN CAPITVLVM SECVNDVM
Quartum Metheorum.

ANNOTATIO PRIMA ad 1. tex. & Com. 1.

DVM Aristoteles dicit generationem esse operationem primam actiuarum qualitatum admoneo ego ex hoc philosophi dicto fieri quominus non sit misti generatio ex concoctione. præcederet enim concoctio ge-

nerationem, & ideò prima operatio actiuarum esse concoctio non generatio, at contrarium sentire Vallesius videtur in hunc lib. com. 4. iuxta ipsius lectionem, dum dicit fines concoctionis esse ortum, & putred nis interitum, quam viri doctrinam, nec ad Aristotelis mentem esse nec ad veritatis normam vsquequaque constare infra ostendemus cum de concoctione agemus.

ANNOTATIO SECVNDA

Ad idem Cap. Com. 2.

IN explicanda naturali generatione quænam ea sit, quidque significet vox illa ibi Aristoteli aperiui sententiam meam. confutauiq; sententiam Archangeli, & sententiam Vallesij singulis rationibus. placet nunc sententiam Vallesij latius exponere, & examinare, quod in subiecta disputatione præsto.

QVÆSTIO $\frac{1}{9}$

Disputatio aduersus Vallesium de naturalis generationis significatione 4. Methcor. cap. 2.

OPinio Vallesij est generationem naturalem hoc in loco sumi ab Aristotele pro ea, quæ fit suaptè natura sine præsentia peculiaris alicuius agentis, quod per se illam generet. Ita fit ex semine frutes, non enim prunus violenter prunum gignit, vt ignis ignem, sed per vim, quam in semine reliquit, gratia cuius interitum seminis cõsequutus est pruni ortus. Ad huius adhuc suæ sententiæ pleniorem explicationẽ hanc distinctionem statuit. cum omni generatione annexa sit aliqua corruptio. Interdum corruptio eiusmodi fit ab agente violento, interdum fit ab indita virtute absque vlterius agentis præsentia. exemplum primæ corruptionis est cum ex ligno fit ignis ab altero igne comburente, ibi enim corruptio ligni est ab igne violenter agente in lignum. exemplum secundæ est cum animal ex extremo senio perit, generatio ergo cui corruptio annexa non est ab agente violento, sed ex indita virtute est, quam vocat naturalem nunc generationem Aristoteles. Hæc est opinio Vallesij, ac eius declaratio, sed aliam adhuc eiusdem declarationem affert ex hoc alio fundamento. Naturale cum sit vox multiplex duo inter cætera significat. Id quod opponitur violento, & id quod opponitur fortuito. opponitur violento motus grauis, deorsum cum opponatur motui sursum, qui est illi, violentus est. hoc itaque exemplum naturalis, vt violento aduersatũr, at pro exemplo alte-

alterius membri fortuita generatio, dum fit ignis ex ligni combustione, accidit enim casu quodam, vt lignum igni admoueretur. at verò cum ex nutrimento pomi fit semen, & ex semine eo frutes non casu accidit, sed quoniam ita fert rerum earum natura, vt cum altera perfecta fuerit alterum ex illa oriatur pariter ex musto (est hoc aliud Vallesij exemplum) vinum effi itur ob eandem naturæ sequacitatem. Duas itaq; is rationes affert appellationis generationis naturalis. Quod non sit violentæ corruptioni annexa, & eo quod non casu accidat. Quas tamen duas rationes eo dicendi modo affert, vt non duplicare eas velle videatur, sed quasi, vel prima neglecta, vel primæ immemor secundam adducat. Fundamentum autem nullum adducit Vallesius præter considerationem vocis (naturalis) qua nititur dum ergo considerat qua ratione dici possit generatio naturalis, ad eam acceptionem restringit quam ipse amplexus est. Potest tamen ex verbis Aristotelis duci ex Vallesio argumentum. Aristoteles enim hoc eodem loco cum memorauerit generationem simplicem ei oppositam statim subiungit eas inesse plantis, & animalibus, & earum partibus, vt videatur apertè Aristoteles generationem, & corruptionem postea ibi definitas restringere ad generationem viuentium. viuentium autem genera io est, quam circumscribit Vallesius. Præterea Aristot. huic ipsi generationi, quam definit contrarium maximè commune dicit esse putrefactionem, potest eluci argumentum: omni generationi naturali hic definitæ est contraria putrefactio quæ est corruptio secundum naturam. At generationi, cui ānexa est corruptio violenta, veluti combustio non est opposita corruptio secundum naturam ex Aristotele hic, & ex re ipsa, ergo generatio, cui annexa est corruptio violenta non est generatio naturalis, hic definita. Hanc ego sententiam confutaui, quoniam conuenit solum generationi viuentis immò generationi soli ex semine, ea enim est, quæ indita virtute fit absq; præsentia particularis agentis non compræhenderetur itaq; sub ea generatio animalium, nec aliorum viuentium ex putri. multò minus generatio mistorum inanimatorum at mistis etiam inanimatis, perfectis saltem auro, & argento, metallisq; alijs probatur ex Aristotelis Auctoritate, qui definitionem, & fundamento definitionis applicat etiam metallis infra cap. 7. 9. & vlt. probatur etiam ex re ipsa, nam cui competit definitio generationis præsens ergo mista inanimata continentur subdefinitio minor demonstratur. nam mistis perfectis Inest terminatio passiuarum ab actiuis terminatio quidem ex Aristotele cap. infra 8. quam terminationem esse dicit ab actiuis frigore, & calore cap. 9. Verum terminatio passiuarum ab actiuis proportionata, scilicet introducendæ misti formæ est definitio Generationis huius loci. Restat respondere rationibus pro Vallesio. prima ergo nihil efficit positioni meæ nam naturale opponitur nedum violento, sed etiam artificiali, immò Aristoteles in definienda natura 2. phisicorum potius quam violentiæ oppositionem considerauit. Aliquam autem misti artificialem generationem esse ex vitro ostendi, at in metallis etiam locum habet cum scilicet non nascuntur, veluti aurum in fluminibus aliquibus, & in fodinis plerunq; tamen ex pyritè aurum educitur arte cum sit in eo terræ, & petræ mixtus. idem de argento, & de reliquis metallis accidit, quorum vena plerumq; terra est, vel lapis, at arte excocta deinceps metallum euadit. Secunda obiectio solui-

1. fun. pro Vallesio.

2. fund.

3. fund.

Solutio 2. rationis. soluitur expositio non est per omnia subiecta termino, qui exponitur, vel cuius propositio ex ipso, vt ex subiecto costans exponitur. Sed sat est, si per aliqua tradatur, & præsertim primaria membra termini ipsius subiecti. agnosci autem alia esse mista, quæ definitioni generationis subsint ab Aristotele ipso ex ijsque infra in hoc eodem libro dicet satis constat. Ad

Solutio 3. tertiam autem dicendum est fallacem rationem esse, seu melius fallaci prosyllogismo vti, dum enim in minore dicitur generationi, cui est annexa corruptio violenta, non est contraria corruptio secundum naturam, falsa est de generatione misti, quæ hic definitur. omne enim mistum potest putrescere etiamsi postea contingat non putrescere, sed exempli gratia comburi, esto lignum, quod comburatur, at lignum idem putrescere poterat, & putruisset, nisi violenta ea corruptio naturalem præuenisset. Dum verò probatur minore potest, ex generatione ignis in combustione, qui sanè ignis haud putrescere fit transitus à mistis ad elementum, & inter elementa ad illud quod nullo pacto putrescit.

QVÆSTIO $\frac{10}{2}$

Vtrum sit aliqua generatio naturalis, & violenta.

RESpondeo si naturam particularem rei spectemus omnem generationem esse naturalem quoniam per generationem ea ipsa natura producitur. At si naturam vniuersalem esse aliquam præternaturalem, & violentam, vel ratione rei, vt cum generantur monstra, vel ratione modi, vt cum irrigatione calidæ aquæ eiusmodiq; cultu rosas cogimus hyeme florere, & fructus aliquos præcoces admodum exoriri, hasque generationes non naturale protulit Aristotels ipse 5. phys. tex. 57. quas non fato factas, & violentas dicit.

ANNOTATIO TERTIA

In idem 2. Cap.

In eandem secundam particulam. [Harum facultatum est opus.]

TRIA sunt in his verbis consideranda primũ quomodo duæ actiuæ qualitates ad naturalem misti generationem concurrant, vtrum ambæ ad singulas generationes an altera ad alteram an ad quasdam ambæ ad alias singulæ &c. secundũ ad quid concurrant vtrum scilicet ad terminationem solam qualitatum passiuarum an ad introductionem prætereа formæ substantialis misti. tertium quonam sint actiuæ qualitates terminantes inditæ, an externæ, verbi gratia vtrum aurum terminetur à caliditate, frigiditateue

ditateue auri, vel materiæ vnde gignitur, an à caliditate, frigiditateque fodinæ, in qua gignitur. ex quæstionum harum explicatione multa lux oritur ad penitiorem cognitionem generationis. eiusque definitionis. Tertia verò hæc debet esse prima in ordine.

QVÆSTIO $\frac{II}{I}$

Vtrum actiuæ qualitates terminantes sint internæ rei, quæ terminationem eam suscipiunt, an sint externæ.

DEclaraui quæstionis (vt vocant) titulum: modo veritatem inquiramus in vtramq; partem disputando, vt faciendum monet Aristoteles 3. lib. metaphys. tex. 1. neque ego memini me videre sub eodem titulo hanc tractatam disputationem, quo circa in nouam indaginem est diligentius incumbendum. Quod igitur terminatio in naturali generatione fit à calore & frigore intrinsecis non externis plures rationes suadent prima quoniam si ab extrinsecis non esset naturalis, sed violenta generatio, naturale enim est, quod à natura, & violentum, quod à potentia, potentia vero est principium mouendi aliud, quatenus aliud. Secunda caro, & reliquæ partes generantur, adeoq; & terminantur à calore naturali ipsius conceptus ex Aristotele 2. de gen. animalium cap. 4. ergo à calore interno, non externo. Tertia videtur hæc opinio totius scholæ supponi inquam ab vniuersa schola nam ex hoc ipso, quòd calor est, qui terminat, & vincit passiuas nascitur controuersia vtrum omne mistum sit à prædominio calidum in qua controuersia cum varia dicant in ea tamen omnes conueniunt tacita suppositione quòd calor, & frigus vincentia, & terminantia passiuas sint intrinseca rei. Quarto in principio huius libri Aristoteles quattuor qualitates enumerat, & ex his quattuor elementa constituit differit earumdemq; qualitatum duas actiuas, duas passiuas enunciat, at elementa omnia, & qualitates eorum mistum ingrediuntur, ipsumq; constituunt, & componunt ergo duæ qualitates actiuæ à philosopho dictæ æquæ in misto ipso sunt, eiq; intrinsecæ, atq; passiuæ. Sed contra ab externis non intrinsecis terminari passiuas qualitates rationes aliæ suadent. primo quoniam nihil generat se ipsum, sed ab agente generatur distincto, at terminatio est generatio, vel proxima generationi præparatio, quæ ab eodem agente, à quo forma procedit, idem enim agens dat formam, & præparationem ad formam Auerr. 12. metaphys. ergo terminatio est ab agente distincto non itaq; à qualitatibus inditis, & internis. Secunda terminatio omnis fit cum concretione aliqua, at omnis concretio est ab extrinseco, vel frigore, vel calore, ergo terminatio fit ab extrinseco, frigore, vel calore: Minor est Aristotelis infra in hoc quarto. Maior etiam ab eod. auctore, &

capite

Sum. 2. ca. 2. seu cap. 6

capite elicitur. Dicendo enim omnem concretionem aliqua exiccatio-re fieri dicit exiccari vniuersa; aut frigefacta, & calefacta, & ambo scilicet, tum frigefacta, tum calefacta à calore, vel exteriore, vel interio-re; quando verò ab interiore id fieri, quoniam calor exprimitur à cir-cumstante frigore, calor autem exiens secum educit humidum. Tum er-go argumentor quicquid exiccatur vel à calore externo exiccatur, vel à frigore externo. Nam ex Aristotele quicquid exiccatur, vel exiccatur à calore externo, vel ab interno, & cum ab interno tum exiccatur à frigo-re externo. Ergo quicquid exiccatur ab externo, vel frigore, vel calore exiccatur. Quicquid autem concrescit exiccarur. Ergo quicquid con-crescit à frigore, aut calore externo exiccatur, at omne, quod termina-tur concrescit. Ergo omne, quod terminatur à calore externo, vel frigo-re externo exiccatur. proindeq; terminatut, &c. Continuum non agit in se ipsum. at si calor inditus, & internus terminaret passiuas ageret in se ipsum continuum. in eodem enim continuo sunt qualitates internæ. Ergo qualitates actiuæ internæ non terminant. Ego in hac ancipiti diffi-cultate veritatem arbitror eruendam ex consideratione generationis mi-storum. mista ergo alia sunt animata, alia sunt inanimata, animata a-lia partes similares plantarum, aliæ partes similares animalium. inanimata mista perfecta inquam sunt metalla, & fossibilia. consideremus singula-rum generationem à metallis itaq; exordiendo de eorum materia fusa est controuersia, Vtrum sit Aqua, vt Aristoteles multi tribuunt, vel vapor nondum à terra excretus, vt verè sentit Aristoteles, an succus, vt Agri-cola an sulphur, & argentum viuum, vt Thomistæ, & quoquomodo Al-bertus magnus. an aliud quippiam. Sed controuersia hæc de materia, ad me non pertinet. de efficiente itaq; ambigitur vtrum sit calor terræ, vt superius eiusdem terræ circumstantis, scilicet materiam, siue vapor sit, siue quippiam aliud ibi conclusum alij faciunt virtutem fodinæ inexisten-tem, quam mineralem vulgo dicunt, inest verò illa in fibris terræ conti-nentibus materiam metallicam. alij virtutem ex planetis influxam effi-ciens ponunt, quæcunq; verò fit ex his causa est semper externa, at dimis-sis interim planetis, & virtute fodinæ ad duas actiuas restringendo ser-monem quibus omnes videntur tribuere densationem, & coagulationem materiæ metallorum eiusmodi tum frigus, tum calorem omnes intelligunt terræ inexistentem, & quo agit in materiam metallorum terra, & fodina, non autem qui materiæ ipsi metallicæ per se insit. De reliquis fossibili-bus, quæ media mineralia vulgò appellantur eodem modo agunt. licet enim materia eorum diuersa sit à materia metallorum, causam tamen effectricem æquè in ambiente fodina reponunt, si diligenter scriptorum dicta obseruemus. Venio ad partes similares animalis, ex quibus quid de plantæ partibus dicendum sit, facilè elicitur. Aristoteles ergo 3. de gen. animal. cap. 4. omnium similarium generationem explicat incipiens à carne. dicit ergo partes similares à calore, & frigore consistere. verba pono eius ad hoc pertinentia. „ Ortum similarium calore, frigoreq; agi-
„ tur, consistunt, coguntur q: alia frigido, alia calido, quarum rerum diffe-
„ rentias alibi sub 4. Metheor. exposuimus, ante scilicet, quæ humore, igne-
„ que resolubiles, quæ humore irresolubiles, igneq; illiquabiles sint. per
„ venas igitur, & meatus quosq; resudans, quemadmodum aqua per

Agricola de subter. lib. 5.

cra-

„ crudiusculam futem in carnem, aut carnis proportionale conuertitur, fri-
„ gore consistens ex quo fit, vt caro ab igne resoluatur.„ Hæc Aristoteles ommitto nunc quæ de ossibus, neruis, & reliquis partibus dicit. at qui est calor, quæ frigiditas vnde consistat caro, & reliquæ deinde partes? subiungit paucis interpositis Aristoteles dicendo in animalibus ex coitu residere calorem eiusmodi in excremento seminali, scilicet in eo quod restat seminis. Semen autem secundum eundem non est pars materialis corporis, sed agens tantum ex situ... de gen. cap... vnde calor, qui in animalibus ex coitu gignit partium similarium terminationem non est internus, & materialis partis, quæ terminatur, sed alius, & respectu eius partis externus licet respectu animalis internus sit. In animalibus autem ex putri dicit esse temporum, scilicet anni, veris, æstatis autumni, hyemis caliditatem, & frigiditatem, quæ sanè externæ sunt qualitates animali genito, & subiecto, & loco. Idem præterea ostendit. nam frigiditas, quæ in corpore agit ad partium constitutionem est, quæ in extremitate venarum sursum à corde tendentium, ex qua postea cerebrum constitui dicit, vt tum demum fons frigiditatis à quo in reliquum corpus deriuetur, sit cerebrum caloris verò, & fomitem, & focum esse, cur tum 3. de part. animal. asserit cap. 7. & in eod. cap. 4. 2. de gen. animal. esse principium, & fontem caloris. Prætera verò in eodem cap. asserit, cor esse principium, à quo etiam post ordo membrorum describatur, & à quo quæcunq; ad animal absoluendum pertinent, disponantur. Si ergo cor etiam principium, quo describuntu, &] disponuntur membra omnia, at cor non agit nisi per caloris influxu, ergo fabricatio membrorum, adeoq; partium similarium erit per calorem cordis; non per calorem mistionis singularum partium, materiæq; ipsarum, & eundem in sensum dicit paulò post. Id enim (cor) principium est similarium, & dissimilarium partium. concludit ex his calorum terminationis effectorem non esse calorem mistionis adeoq; internum partis, quæ terminatur, sed externum, in eamq; à corde influxum. pariter frigiditatem esse, quæ secundum Aristutelem à cerebro promanat. Confirmo rursus terminationem esse ab externo calore, & frigore ex ijs, quæ Aristoteles tradit de concoctione, eiusq; caussis infra hoc eodem libro sum. 2. cap. 3. præsertim vbi frigus externum, & calorem externum pro caussis sumit, si diligenter dicta attendamus. adducit enim aquam concrescere à frigido. certum verò est non concrescere à frigiditate sua aquam sed à frigiditate aeris ambientis. liquari etiā dicit ab igne, quia est necessario externus, non internus. fictilia etiam in exemplum terreorum aducit, quæ concrescunt à calore, nempè à calore externo, non interno: salem etiam pro exemplo adducit concrescentis rei à calore quiq; soluatur ab humore, at sal concrescit à calore solis, vel ignis, non à calore suo. Sit ergo conclusio, terminatio fit ab actiuis qualitatibus externis si referamus eas ad rem, quæ terminatur præcisè sumptam, vt ad carnem, ad ossa, &c. quod si referamus ad totum animal, vel ad plantam, cuius sit pars similare corpus, quod terminatur. qualitates actiuæ terminantes sunt vt plurimum internæ: dico vt plurimum quonian interdum etiam externæ. sunt vt cum Coralli indurantur statim, atque ex aqua exacti in aerem attolluntur, idemq; de pluribus alijs obseruari potest, quæ ab ambientis calore, aut frigore, vel terminationem, vel terminationis modum recipiunt.

Restat

Restat nunc respondere contrarijs rationibus. Ad primam ergo. Generatio, quæ fit ab externo agente est violenta; falsa est hæc propositio. nam omnis generatio esset violenta cum nihil seipsum generet pater est externus filio, quem tamen naturali generatione producit. Ad confirmationem ex definitione violenti, cuius principium est extra. Respondeo totam definitionem esse cuius principium est extra nihil conferente ei, quod vim patitur at in generatione confert materia sua potentia passiua actioni agentis, & hoc satis est generationi, vt sit naturalis. Ad secundam procedo ex æquiuocatione. Est calor intrinsecus toti animali, non autem carni, aut alteri parti terminatæ. Ad tertiam fateor eam esse plurimorum sententiam, quam asserit argumentatio, attamen ego falsam arbitror, quam falsitatem etiam confirmant, quæ dicunt multi pro solutione difficultatis inde nascentis, quæ quidem absurditate suæ sententiæ, qua pendent improbabilitatem indicant, qua de re alias. Ad quartam necessitatem habet ratio, nec in sanam structuram syllogisticam potest reduci si quidem proposicionis maioris indefinitæ ratio esset in prima figura. esset enim. Qualitates constituentes elementa sunt intrinsecæ misto. etenim elementa sunt partes intrinsecæ misti. Caliditas, & frigiditas terminantes sunt qualitates constituentes. Elementa sunt enim eodem ex contextu dictionis Aristotelicæ. Ergo caliditas, & frigiditas terminantes sunt intrinsecæ mista. Maior ergo non est vniuersaliter vera vniuersalitate, scilicet rei, & temporis. non enim omnes partes elementorum veniunt in mistionem, & saltem non eodem tempore omnes cum elementa semper suas regiones extra mista impleant. Vnde qualitates constituentes elementa existentia adhuc in sua regione, & vniuersitate non sunt intrinsecæ misto, sed extrinsecæ. Peccat ergo ratio dum maiore indefinita vtitur in prima figura, quæ vim particularem non vniuersalem obtinet. minor itaq; est etiam distinguenda caliditas, & frigiditas terminantes constituunt elementa non qua ex parte in misto sunt, sed qua ex parte sunt in regione sua nimirum calor ambientis aeris, vel frigiditas terminant non calor, qui in misto, neque frigiditas eius, &c.

QVÆSTIO $\frac{12}{2}$

QVæritur secundo loco. Vtrum ambæ qualitates actiuæ concurrant ad cuiusq; misti terminationem an ad aliarum terminationem aliæ. Videntur autem singulæ qualitates, singulas terminationes facere, ita Aristoteles de partibus similaribus animalium 2. de gen. animal cap. 4. 1. 8. id in vniuersum profert. „Ortus similarium frigore, caloreue agitur, „ consistunt, coguntur; alia frigido, alia calido „ En vt Aristoteles disertè dicit, alia consistere adeoq; terminari frigido, alia calido: & postea ad particulares partes descendens idem significat. Carnem enim concrescere frigore asserit. verba sunt. „Per venas igitur, & meaculos quosq; „ alimentum refudans, quemadmodum aqua per crudiusculam fu;em in car-

„ carnem. aut carnis proportionale conuertitur frigore consistens.„ pariter de vnguibus, vngulis, cornibus agens terminationem eorum tribuit frigori, verba sunt. „ Sed quæ terrena admodum oriuntur parum humo-
„ ris, calorisq; adepta hæc dum refrigescunt humore cum calore euaporan-
„ te duram, terrenamq; formam capiunt, vt vngues, cornua, vngulæ, ro-
„ stra.„ at ossa, & neruos solo calore concrescere tradit verba sunt. „ Ner-
„ ui, & ossa calore interiore conficiuntur siccescente humore, quamobrem
„ ossa resolui à calore non possunt „ Ex his itaq; philosophi dictis clarum fieri videtur, nonnisi ab altera actiuarum mista singula concrescere. Contra tamen facit calor purus est igneus, at calor igneus comburit, adeoq; dissoluit, non cogit, & terminat. concurrit ergo ad terminationem etiam frigus contemperans calorem. In hac ergo controuersia hæc mihi respondenda videntur. In coagulatione, & concretione adeoq; terminatione duo considerari posse coagulationem ipsam, & modum, moderationemue coagulationis. De coagulatione ipsa conclusio trimembris statuenda est ex Aristotelis aperta doctrina. Alia coagulantur à solo frigore alia à solo calore alia ab ambobus. Ita Aristoteles, qui primo de aqua, & aqueis dicit concrescere frigore non calore. alia calore sicco lac, scilicet sal. alia ab ambobus verba sunt. „ Quod si à duobus accidit concrescere hæc insolubilia maximè fiunt autem talia quæcunq; calefacta deinde frigido concrescunt hæc philosophus, at est præterea obseruatio. fictilia enim primo concrescunt frigore in massa, deinde calore in fornace terminantur, consolidanturque. Hæc est itaq; prima conclusio, ipsaq; bimembris. Secunda conclusio est. coagulatio secundum modum, ac moderationem procedit omni ab vtraq; qualitate simul ab altera quidem vt agente ab altera, vt moderante. hoc probat ratio pro secunda parte adducta licet in eo non sit illa admittenda, quod calor omnis purus igneus dicitur. falsum est, nam etiam calor aeris est purus cum nullo modo sit mistus. Sit modo tertia conclusio respondens ab initio propositæ quæstioni.
. Ad omnem terminationem misti perfecti concurrit vtraq; qualitas actiua. Ratio autem est quoniam terminatio misti perfecti, de qua scilicet in definitione generationis dum includit modum, ac moderationem, at terminatio, vt includit moderationem est ab vtraq; qualitate ex modo dictis. ergo terminatio misti perfecti est ab vtraque qualitate includit verò terminationem misti perfecti moderationem, & per se patet etiam de verbis definitionis generationis. cum dicit. obtinere proportionem vnicam naturæ. importat enim proportio moderationem, quam dicimus. Ex distinctione tradita patet solutio rationum hinc inde adductarum. At difficultas nascitur ex eo, quod non videtur frigiditas concurrere ad constituendas res naturales, earumq; generationem nisi per accidens, sed per se eas corrumpere, vt Aristoteles dicit in hoc eodem quarto libro; idcircò disputationem hanc subijcio. quomodo frigus concurrat ad rerum generationem naturalium.

QVÆSTIO 13/9

Quomodo frigiditas agat, & concurrat ad generationem mistorum.

DIsputatio hæc de actione frigiditatis, eiusq; ad generationem, & constitutionem rerum naturalium concursu agitatur tum à conciliatore aduersus Auicennam sequitur conciliatorem Iacobus de Foroliuio. Iam verò inter recentiores Zabarellam, & Arcangelum Mercenarium controuertitur. Origo præsertim disputationis ducitur ex Aristotelis dictis 4. Metheor. cap. 6. seu secundæ summæ secundo vbi hæc leguntur. „ Actiuum aut frigidum, vt corruptiuum, aut secundum accidens. Auicenna quoq; nonnisi per accidens conferre ad generationem asserit varijs in locis. At per se conferre sentit, ex antiquioribus mesue, & Isaac quos Haly improbat secundo artis paruæ com. 121. sequutus est Conciliator, & postea Arcangelus Mercenarius in dilucid. De hoc ipso argumento quędã tamen adhibita distinctione, quam intelligemus. Interim verò opinionem meam ex præcedente disputatione multa ex parte elucescentem prius totam suppleo, & confirmo mox aliorum opiniones celebriores saltem, & earum rationes examinabo. Distinguenda est ergo prima consideratio frigiditatis, vt elementis, atq; vt in mistis. Tum hæ conclusiones statuuntur elementorum constitutionem, duorum scilicet inferiorum frigiditas per se ingreditur. de hoc sunt concordes philosophantes peripatetici saltem, qui terram frigidam, & siccam statuunt: aquam frigidam, & humidam, at controuersia est de mistis. Iam verò patet ex proxima disputatione sententiam in mistis meam esse, quod ad refractionem qualitatum, quæ in mistione requiritur (vno dissentiente fernelio) qui qualitates esse fractas in mistis seruari contendit frigiditas per se concurrit, refrangit enim calorem à quo ipsa vicissim refrangitur. quoad terminationem verò aliqua mista à frigiditate per se, & primo terminantur, vt ostendimus. Aliqua terminantur ab ea, vt moderatur ipsa calorem, qua ratione quoquopacto per accidens concurrit. Nunc autem subijcio, quoad introductionem formæ substantialis, quid probabilius arbitrer. Tres enim mutationes in misti generatione distinximus alterationem illam præuiam, qua primæ qualitates caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas sese mutuo contrariæ refrangunt. Secunda terminationem passiuarum: tertio introductionem formæ misti de hac ergo exponendum est quomodo concurrat ad ipsam frigiditas. Statuerem ergo hanc conclusionem vt admodum probabilem. Ad misti perfecti formam introducendam frigiditas nonnisi per accidens concurrit Ratio ita institui potest hæc quidem præmittendo. Primum qualitates per se non attingere formæ substantialis productionem, sed solum in virtute formæ substantialis, cuius sint instrumentum substantialem formam

mam producere. Secundum animę instrumentum præcipuum,& primum ad generationẽ pręsertim alterius viuentis,& eius partium est calor. hoc vt ex ijs, quæ de anima tradentur tum rationibus, tum obseruatione satis constat. Ex quibus duabus propositionibus colligitur. calorem esse instrumentum primum, & per se producendi partes similares adeoq; mista similaria in animalibus, & in plantis. restant mista perfecta inanimata. sunt hæc metalla, & fossibilia vniuersa, quæ cum non generentur ab alio metallo, aut fossibili nonnisi ab agente vniuoco, vt animalia, & viuentia perfecta generantur, sed à virtute fodinæ, quæ est agens æquiuocum, virtus autem eiusmodi cum necessariò nectatur cum cælesti virtute ex Aristotelis dogmate 1. cap. 2 horum, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur, virtus autem cęlestis per motum communicatur ibidem. motus autem calorem efficit lib. eod. 1. metheorol. cap. 4. & 2. de Cæl. tex 41. ergo per clariorem, vt præcipuum, & præter instrumentum etiam metalla, & fossibilia secundum substantiam, eorumq; formæ substantiales generantur. ergo frigiditas non aliter concurrit ad formæ substantialis introductionem nisi vt ad terminationem præcedentem, quæ est præparatio necessaria ad formam,concurrit. Ergo concurrit per accidens. hæc pro sententia mea explicanda, & confirmanda. Verum contra hanc sententiam, est argumentum,quod olim proposuit Pomponatius præceptori suo Antonio Trapolino supponendo, vt veram opinionem D. Thomæ, quòd scilicet vnica sit forma in composito, & in corruptione quauis resolutio fiat in primam, vsq; materiam, ex qua sententia necesse est in corruptione, & morte animalis cuiusuis generari formam cadaueris, & mistorum omnium partium, scilicet similarium, quæ sunt in cadauere carnis nempe, ossium, neruorũ,&c. erat argumẽtum statuatur homo in aere frigidissimo, vel demergatur in aquam frigidissimam, vt ibi moriatur frigiditas illa erit causa efficiens mortis proindeq; formæ cadaueris, quæ ex opinione vnitatis formę est forma substantialis omnium mistorum in cadauere contentorum. ergo frigiditas est causa per se introductionis formæ substantialis misti. Huic argumento, vt refert idem Pomponatius, Trapolinus Præceptor (erat autẽ adhuc Scholaris Pomponatius) respõdit inherendo dogmati Auerrois id fieri virtute influẽtiarum Cæli influentis calorem Solis,& aliorum astrorum in aerem,esseq; caliditatem quandam in aere impressam,quę producit calorem, quo demum generatur misti forma. At replicauit Pomponatius posse demergi hominem in aquam profundissimam, quo non pertingat aer. sicut in profundum terræ non penetrat aer, vbi tamen mista generantur. in renibus item generantur lapides: in ventre animalium vermes, nec penetrat in ea loca aer. Respondit Trapolinus referente Pomponatio eo in casu non moriturum hominem, quam responsionem, rejcit, vt fatuam Pomponatius. hominem scilicet in profundissimam aquam demersum non moriturum. Zabarella huic argumento eandem responsionem adhibet, quam prior adhibuit Mercenarius; nimirum non generari nouum mistum in morte animalis, sed expirata anima restare mistionem, quæ prius, eandemq; misti, qua misti formam; in eo solum differentem,quod antea sub anima officio materiæ fungeretur, tum incipiat fungi officio formæ, miraturq; postmodum tanti fecisse hoc argumentum Pomponatium, vt neque ipse, neque eius præceptor vir

celebris soluere potuerint: verum Zabarella hac in re parum memoriter refert dicta, & sensa Pomponatij, neque enim Pomponatius adducit argumentum, vt insolubile; sed vt non solutum à præceptore; neque Zabarella soluit argumentum intra cancellos à Pomponatio præscriptos, qui proposuit argumentum intra suppositionem opinionis D. Th. de vnitate formæ, & de resolutione proinde in primam vsque materiam. Intra eiusmodi limites, & dubitat Pomponatius, & soluere tuetur Trapolinus. Quòd limites ij perrumpantur cessat omnis difficultas, vel ergo Zabarella debebat intra suppositionem Diui Thomę ostendere facilem esse argumenti solutionem vel non repræhendere Pomponatium, quod pro difficili argumentũ illud habuerit. nõ cõsiderauit Zabar. quid sit soluere argumẽta intra positionem alicuius sectæ adeoq; non repetijt mente, quæ Aristoteles docuit 8. Topic. loco 51. Ego sanè sententiam quoq; Zabarellæ, & Arcangeli suscipio, & soluo eodem modo argumentum, sed non intra positionem Diui Thomæ verum ea exclusa. At intra positionem D. Thom. quid respondendum? dicerem virtutem cælestem per aerem delatam interiora etiam terræ penetrare, & aquæ, & corporis animalium, neque sanè D. Thomas diffitetur doctrinam Aristotelis de generatione animalium ex putri cap. 11. gigni scilicet illa. „ Quoniam humor in terra, spiritus in hu-
„ more calor animalis in vniuerso inest. ita vt quodammodo plena sint a-
„ nimæ omnia. Cum ergo animalia generentur in subterraneis locis, & in altissimis aquis testacea, & conchæ oportet illùc etiam cælestem, at vitalem calorem penetrare. De generatione formæ cadaueris, deq; ea forma videatur ex Thomistis Caetanus 1. p. q. 76. art. 4. at ad rem nostram. Opinio Arcangeli fermè meaq; in vnum conueniunt, in puncto ipso disputationis, vt declinam, si qua est in cæteris inter nos differentia. at Zabarella contra Mercenarium fertur nomine suppresso. Rationesq; eius soluit. opinionem viri intelligamus. Is ergo trimembrem diuisionem præmittit considerationis misti. prima est alteratio præuia generationi. Secunda est generatio misti, quæ est eductio formæ substantialis. tertia sunt variæ alterationes contingentes misto iam constituto, & genito. Tum has conclusiones profert prima in qua conuenit cum Arcangelo, & ego cum ambobus eductionem formæ substantialis esse à calore per se à frigore nonnisi per accidens. probat autem ipse quoniam videmus Cælum quod ad omnium generationem concurrit non agere nisi calore, & in reditu solis ad nos omnium rerum generationem fieri per calorem in recessu autem corruptionem per frigus. Secunda conclusio est. Alteratio quoq; præuia generationi fit à calore per se à frigore tantum per accidens, in qua conclusione iam ab Arcangelo dissentit, & à mea positione. fundamenta conclusionis sunt, quæ à Zabarella adducuntur primum quidem in hunc modum. Calor non alia ratione educit nisi alterando materiam, & inducendo illas qualitates, quas forma substantialis statim insequatur: calor enim non agit, nisi vt instrumentum primarij agentis, quare eductio formæ tribuenda est potius agenti primario, quod calore vti instrumento vtitur, quam ipsi calori. Præparatio per alterationem magis calori attribuenda est, quia per eam fit postea eductio formæ: pugnantia ergo dicere videtur quisquis dicat à solo calore formam educi præuiam verò alterationem fieri, & à calore, & à frigore. Secunda ratio est generatio misti

per

perfecti consistit in mistione perfectà humidi cum sicco. at mistio eiusmodi fit à calore per se scilicet. Ergo generatio misti perfecti fit à calore. probat mistionem perfectam fieri à calore, quoniam fit extenuatione sicci vt particulæ commiscibilium commisceri possint. at extenuatio fit à calore. Ergo, &c. frigus contra non extenuat, sed condensat, & constipat adeoq; actionem contrariam extenuationi per se facit. solum autem mistioni deseruit, vt calorem moderatur, adeoq; per accidens. Tertia ratio est. calor est qualitas positiua frigiditas priuatiua solum. Ergo frigus non agit nisi vt calorem, vel remissiorem facit, vel intensiorem relinquit, esse frigus qualitatem priuatiuam hic sumit alias demonstrare conatus est. consequentiam confirmat exemplo luminis. miscetur ipsum cum tenebris, indeq; fit vt aliquod lumen intensius; aliquod remissius sit. at actio lumini tribuitur semper; nunquam tenebris etiamsi lumen sit remissum, & tenebræ commistum. Tertia conclusio est Zabarellæ. In actionibus misti iam constituti concurrit frigus per se dando misto aptitudinem ad actum secundum. probat similitudine,& exemplo rerum arrefactarum. Non potest faber ærarius figuram tribuere æri nisi illud liquefaciat. Liquefacit autem solum calore. at cum iam figuram susceperit, nisi postea congeletur, quòd à frigore consequitur non posse operationes, ac vtilitatem quæsitam præstare. Id ipsum ex ensis fabrica constat mollitur calore ferrum, vt possit in figuram duci incidendo,& penetrando aptam,at postquã aciem illi, & mistionem molli adhuc existente artifex dedit, tum aquæ imergit, vt frigore densetur secus non esset accommodatus vsui ensis. hoc exemplo vsus Auerroes, cuius in hoc ratione vtitur, & auctoritate nititur Zabarella, de rebus naturalibus idem esse confirmat. Natura scilicet metalla generat per calorem extenuantem, & duorum halituum particulas commiscentem, sed postea genito metallo adueniens frigus ipsum indurat ipsum, & dat ei complementum, vt diu conseruetur, & vt ad humanos vsus aptum sit. Sed non dat formam substantialem, quia hæc per se educitur actione caloris remissi tamen à frigore, &c. Hæc ex Auerroe pro sua tertia conclusione Zabarella. Videretur deinceps consideranda sententia Conciliatoris, & Iacobi de Foroliuio, verum quoniam hi viri, vt etiam Auicenna ad animalia etiam qua animalia, & viuentia sermonem extendunt non autem ad mistum qua mistum destringunt, de quo est modo disputatio instituta ideò in alium locum differatur consideratio sententiæ eorum. examinemus itaq; Zabarellæ sententiam, & consideremus fundamenta. Prima ergo, & tertia viri conclusio falsa mihi videtur, & primo præterea implicata, in eaq; à se ipso discedere author videtur. Est implicata prima conclusio, vt ab hoc exordiar. quoniam confundit is alterationem præuiam qua miscentur, & refranguntur qualitates primæ cum terminatione duarum passiuarum discedit à se ipso quoniam distinguit ipse vt duas mutationes alterationem mutuam per actionem, & passionem omnium contrariorum qualitatum inter se, & actionem duarum actiuarum in duas passiuas tertiam enumerat misti productionem, quæ per formæ eductionem fit. Cum verò vtraq; illa mutatio, ac alteratio, præparatio sit ad formam substantialem educendam & inducendam. hic præparationem, vt vnam mutationem suscipit. at falsam esse conclusionem demonstro in alteratione enim mutata contrariorum inter se frigus æquè

per se in calorem agere, atque calorem in frigore sicut, & humor in siccitatem, ac vicissim, vt ad refractionem qualitatum, in qua mistio consistit Aristoteles 2. de gen. & corr. tex. 49. per se necessario contrariæ inter qualitates concurrant, adeoq; frigus cum calore humor cum siccitate. Sed falsum est quoque ex demonstratis non concurrere per se ad terminationem aliquorum mistorum frigus. Est falsa quoque tertia conclusio, vel falsa includit. Non.n.ego nego à frigore mistum obtinuisse interdum saltē, vnde vel operari possit, vel melius operari, sed in eo falsum dicit, dū vult primum esse mistum substantialemq; eius formam postea, quæ dura esse debēt congelari, vt ipse vocat, & consistere. at est hæc contra Aristotelem, & cōtra se, contra Aristot. quidem, qui terminationē in generatione, & cum generatione supponit. hoc est enim illud obtineri rationem ab actiuis, & passiuis accommodatam, cuiq; naturæ quod posuit in definitione generationis. Et cum probat putrescentia primum humescere postea exiccari ex opposita generatione, quoniam in generatione terminatum fuit humido siccum operantibus actiuis prius, ergo vel tempore, vel natura, & tunc simul tempore est terminatio generatione, & etiam contra Zabarellam, qui apertè docet terminationem passiuarum ab actiuis præcedere introductionem, seu eductionē formæ misti 1. de gen. & int. mistis c. 9. vers. fin. verba sunt. „Calor enim iam factus temperatus agit in ea & attenuat,
„ & vnit, & terminat, & ita adiuuat, vt perfecta quoq; earum contempe-
„ ratio fiat prout postulat forma misti, quæ in fine huius totius præparatio-
„ nis momento temporis educitur. „ en ergo vt Zabarella ipse velit eductionem formæ substantialis sequi non præcedere terminationem à misti forma requisitam. Falsum est ergo primo à natura confici metalla postea concrescere, & indurari, sed primo (natura saltem) indurantur, & terminantur postea formam metalli substantialem suscipiunt. exemplum artis non satis pro Zabarella, sed potius contra facit, nam forma substantialis secundum artem ensis non est nisi cum induruerit, nam figura non satis est ad constituendum ensem, nisi vis incidendi accesserit, & pungendi, quam cum absq; duritie nunquam consequitur ensis, neque etiam liquefactum, dum adhuc est liquefactum in statuam euadit, sed post quam induruit tum signa, & effigiem sumit à signis formæ in cuius cauitatem refluxit. Restat, vt modo satisfaciamus rationibus eiusdem viri pro prima conclusione allatis. Prma ergo ratio, vt reduci queat ad structuram syllogisticam non satis video. at hæc cura interim dimissa propositionis veritatem consideremus. Esse ergo potius tribuendam generationem formę substantialis primario agenti, quam caliditatis quę agit ea in re, vt instrumentum solum vera sanè est propositio. at esse calorem, qui pręparationem facit per se. Si intelligit esse calorem solum, qui per se pręparet est hoc, quod disputatur peteret proinde principium ratio. Si verò non subintelligit taxatiuam particulam (solum) vltro id concedimus, at nihil concludit ratio cum non excludat frigus, quominus, & ipsum per se pręparet. Ad secundam autem rationem. Distinguenda est mistio perfecta, de qua dicit argumentum, vel enim intelligit refractionem inter se qualitatum contrariarum, de qua Aristoteles 2. de gen. & corr. tex. 48. vel intelligit terminationem passiuarum ab actiuis cum iam gluten illud fit, quod Aristoteles dicit infra in hoc libro cap. 5. scilicet p. 2. sectionis. si primam mistionem,

ac-

accipiamus ea passiuarum perfecta fit ex actione humiditatis in siccitatem & vicissim absq; actione caloris, aut frigoris, at si de terminatione agamus vt agere de ea Zabarellam arguunt, quæ de extenuatione dicit hæc fit cum à calore, tum à frigore modo antea declarato, etsi caloris actio ad extenuandum requiritur. pariter exigitur actio frigoris ad coagulandum & cogendum. vt idem Zabarella fatetur metalla durescere, & coagulari à frigore in probatione tertiæ conclusionis. Tertio modo ratio nititur propositionibus alienis à schola peripatetica, & à veritate dum merè priuatiuam qualitatem facit frigus, quòd si priuatiuum eatenus dicat, quatenus est ignobilius calore, vt interdum dicit non satis fortè sibi constans. tum erit ad calorem, veluti, nigredo ad albedinem, quæ nigredo est qualitas, positiua, & in mistione cum præualet, actio illi tribuitur non albedine, sicut & cum res denominentur à nigredine, non ab albedine ex doctrina Aristotelis 6. phys. tex. 83. de priuatione hoc in significatu, vt scilicet forma ignobilior priuatio dicitur Aristoteles loquitur 5. phys. tex. 5. & 10. metaphys. tex. 15 cuiusmodi priuatio habet causam positiuam, & denominat mistum, & actio ille dum præualet tribuitur, contraquam dicat Zabarella de frigore. *Solutio tertia.*

ANNOTATIO SECVNDA

In eandem particulam.

QVomodo sit maxime commune contrarium generationi putredo in com. 14. declaraui non ommissa etiam disputatione, neque dissimulata, quæ de hoc agitatur; restat obiectio Vallesij soluenda, quæ dicitur ex oppositione ipsi putredini concoctionis concoctionem scilicet esse putredini contrariam, ac vicissim putredinem concoctioni. non ergo contraria est generationi: vnum enim vni contrarium. hæc disputatio cognitionem exigit concoctionis, quam 4. capite cum Aristotele aggrediemur: at in præsentia eadem, quæ Vallesius supponemus, scilicet definitionem concoctionis ab Aristotele traditam. argumentum ergo duabus rationibus Vallesius ad confirmandum esse putredinem contrariam concoctioni. prima ratio est. quoniam definitiones earum sunt contrariæ. Ergo ipsæ quoque mutationes putredo, & concoctio sunt contrariæ. contrarias verò esse definitiones ex earum ennaratione confirmat. putredo enim est corruptio caloris natiui in quonis humore. concoctio est perfectio caloris natiui in oppositis passiuis humore, & siccitate. Sunt ergo contrariæ definitiones. Secunda ratio est, quæ eidem vicissim insunt, & mutuo se expellunt sunt contraria. Concoctio, & putredo eidem vicissim insunt, & mutuo se expellunt. Ergo concoctio, & putredo sunt contrariæ: sat est in præsentia soluere rationes has contra stabilitam iam conclusionem Aristotelis, quoad primam ergo abutitur testimonio definitionis Aristotelis, qua concoctionem determinat non enim dicit ibi concoctio perfectio caloris innati, sed perfectio passiuorum à calore innato, vt ibi calor innatus sit agens, hic sit patiens satis, est hæc differentia ad tollendum con-

contrarietatem, exempli gratia in definitione putredinis, calor ambientis est agens: in definitione hyemis est patiens. illa siquidem est corruptio caloris innato in vnoquoq; humido à calore ambientis. hæc erit. Tempus quo calor ambientis infringitur. non sunt contrariæ definitiones, neque contraria definita. At replicabit quis pro Vallesio. immò contraria esse. calorem perficere passiuas qualitates, & calorem cessare in humore, qui est passiua qualitas. Non enim possunt hæc simul esse, sed sese inuicem perimunt. hæc iam replicatio recedit in secundam rationem quare eadem solutione ambæ tollentur. Distinguenda ergo est contrarietas. alia enim sunt simpliciter contraria, & sunt extrema in genere dato. cum contraria definiantur, quæ sub eodem genere maximè distant. alia sunt secundum quid, non simpliciter, horum autem alia per participationem vt media apponuntur extremis tepidum calido per participationem frigidi. alia per adiunctionem, vt ignis aquæ peradiunctas qualitates caloris, & siccitatis igni frigoris, & humidi aquæ contrarietas imperfecta ex adiunctione conceditur inter putredinem, & concoctionem, non autem perfecta, neque formalis. cum verò dicitur vnum vni contrarum de perfecta contrarietate verum est, non de imperfecta, secundum quam nedum albo opponitur nigrum, sed singuli colores medij fuscus, viridis, rubeus, fuluus, &c. contrahendo ergo solutionem contrariarum rationum ambarum, & determinationem dubitationis. Putredo opponitur concoctioni secundũ quid ratione adiunctarum illi corruptionis: huic generationis permanentiæ, existentiæue, at simpliciter opponitur generationi misti, qua misti iuxta declarationem commentarij nostri.

10. metaphys.

5. phys.

QVÆSTIO 14/4

Ad quid concurrant qualitates actiuæ.

QVæritur tertio ad quid concurrant actiuæ qualitates an ad præcisam coagulationem patibilium qualitatum an ad introductionem insuper formæ substantialis misti. Pro tituli explicatione notandum est quæstionem hanc intelligi posse mediatè, vel immediatè, si mediatè accipiatur, cessat omnis controuersia. Nam omnes admittens mediatè actiuas qualitates ad formæ introductionem concurrere. at si immediatè dubitatio oritur vtrum ad eam introductionem concurrant, an in coagulationẽ actio earum sistatur. Nascitur verò præsertim dubitatio occasione quæstionis à multis agitatæ. Verum actiuæ qualitates dominentur patibilibus. non enim esse posse id viderur siue diuisim, siue coniunctim dicamus illas his dominari, vt infra differam. Respondet ergo Pomponatius dominari catenus, quatenus introductionem formæ operantur. non autem ratione graduum, quasi præstent passiuis aliquo, vel aliquibus gradibus, hac itaq; ratione, quod mox dicet Aristoteles in definitione generationis. eam esse cum actiuæ proportionem ex passiuis obtinuerint, &c. significabit im-

immediatam actionem actiuarum esse introductionem formæ. Placet mihi disputationem absque contentione transigere sola distinctione. qualitates actiuæ duobus modis considerari possunt vno modo absolutè, alio modo vt instrumenta efficientis substantialis, vel vniuoci, vt in animalibus, & plantis, quæ non ex putri, vel æquiuoci, vt in animalium ex putri generatione, pariterq; metallorum, quorum efficiens est fodina ipsa, &c. si primo modo considerentur, terminat in coagulationem actio earum, si secundo modo tendit in formam substantialem, eamq; suoptè instinctu intendunt dictæ qualitates adeoq; immediatè ad eius introductionem concurrunt. *Controuersiæ determinatio.*

ANNOTATIO TERTIA

In Caput Secundum.

DEfinit Aristoteles generationem simplicem, ac naturalem esse mutationem cum,&c. cum verò mutatio triplex in generatione contingat mistio, terminatio, & introductio formæ substantialis, in qua harum consistat generatio, opinionem meam non exposui in explicatione literæ, sed hunc in locum reieci ideo eam nunc aperio.

QVÆSTIO $\frac{1}{7}$

In qua mutatione consistat generatio.

PRO tituli explicatione sunt singulæ illæ tres mutationes repetendæ, & latius aliquanto explicandæ. Mistio ergo est cum refractis inter se contrarijs elementorum qualitatibus particulæ minimæ, quæ prius singulæ singulorum elementorum erant nonnisi confusæ reperiuntur, & refractæ vt nullam sit designare, vel minimam particulam, in qua omnium elementorum qualitates non reperiantur omnes. Quoniam verò huiusmodi temperatio semper aliqua in proportione fit. verbi gratia, aut æqualitatis, vt si singulæ qualitates sint quatuor graduum, aut inæqualitatis, vt si ex. gr. caliditas sit quinq; graduum, tum enim frigiditas erit trium (est enim suppositio frequentissima scholæ nunquam qualitates contrarias in mistione simul sumptas latitudinem excedere octo graduum) sit siccitas fortè graduum 6. erit verò humiditas grad. 2. in eiusmodi, vel alia demum proportione necesse est qualitates esse in mistione, non videtur verò prorsus impossibile, vt quæ terminationem diuersam obtineant eandem tamen proportionem in mistione assequantur. Premitto autem hic ex lib. de ortu, & inter. alias esse qualitates mistionis, alias qualitates actu, verbi gr. piper actu frigidum est; secundum mistionem, eiusq; gradus calidum, iuxta

iuxta distinctionem hanc dico non esse verisimile mista diuersimodè terminata, parem tamen proportionem mistionis obtinere, immò medici id dant in assignatione medicinarum simplicium, verbi gratia serapio de simplicibus sermone tertio in primo gradu calida, & humida æquè ponit amigdalam, & oleum amigdalinum, cum tamen eorum longè distet terminatio sicci, & humidi, ob quam alia dura, alia mollia efficiuntur, assimilat hanc glutini Aristoteles. gluten enim efficitur ex sicco, & humido, verum miscella eiusmodi, nonnisi ex actione caloris, & frigoris concrescit suscipiendo vel duritiem, vel mollitiem, totam hanc rem expressit Aristoteles infra vbi de putredine, vbi hec eius verba. „ Terminatum autem fuit humido siccum operantibus actiuis. „ Verum nihil prohibet quominus duo corpora æquè dura, aut æquè mollia, sint tamen diuersa specie, vt fortè lac, & pus concoctum. Est itaq; demum tertia mutatio, scilicet introductio formæ substantialis, per quam iam mista efficiuntur specie diuersa. Quæritur ergo vtrum generatio misti consistat in mistione an in terminatione, an in formæ substantialis introductione, an in duobus ex his terminatione & introductione formæ, an in omnibus sit. Declaro tamen hic me accipere mistionē pro præcisa ea ratione in qua qualitates elementorum secundum statam aliquam proportionem fuerint confusæ. non determinando vtrum re ipsa mistæ esse possint, quin etiam forma substantialis non superuenerit, vt declinem disputationem hac de re agitatam hoc æuo inter Arcangelum Mercenarium, & Thomam Erastum, posteaq; arbitrario quodam viri discussam à Iacobo Zabarella lib. 1. de misti gener. & inter. cap. 9. in declaratis ergo terminis has conclusiones profero. Non consistit generatio misti in mistione dicto modo declarata. conclusio patet ex diuersitate definitionum. Mistio definitur miscibilium alteratorum vnio. Generatio autem definitur mutatio ab actiuis cum rationem obtinuerit ex subiecta materia, &c. hoc est Mercenarij argumentum. cui occurrunt, priùs Thomas Erastus, conaturq; ostendere idem ab vtraq; definitione significari posterius, & aliter Zabarella, qui differentiam inter eas definitiones agnoscit, sed ratione tantum. Vt ego verò me ab horum responsionibus extricem vtor fundamento, quod terminorum explicatione patet. Nimirum posse dico duo mista diuersimodè terminata mistionis ratione, & proportione non differre, vt inter mistionem, & terminationem (modo mistio sumatur ratione, & modo declarato) sit realis nedum rationis differentia. Secunda conclusio esto. Non sumi pro sola introductione formæ substantialis. Constat ex definitione ipsa generationis, in qua terminatio includitur, quæ est secunda mutatio. Controuersia verè instat vtrum pro terminatione simul, & introductione formæ substantialis accipiatur. Videtur autem pro sola terminatione accipi. Nam verba Aristotelis non vlterius tendunt, quam vsque ad victoriam actiuarum qualitatum in passiuas, ex qua victoria terminatio misti nascitur, non autem quia talis substantialem formam includit. At probabilius est pro terminatione simul. & introductione formæ substantialis accipi, vtramq; scilicet mutationem in hac definitione includi quod Arcangelus sentit, & Erastus eius aduersarius in cæteris, in hoc non repugnauit. Zabarella, qui vtriusq; disputationem retulit, ipse quoq; terminationem, & introductionem formæ in hac definitione includi asserit, eamq; sententiam tum tribuit

hec 4. libro — *1. conclus.* — *Vera sententia.*

bnit Arcangelo cum ipse suscipit absq; mentione discrepantiæ alicuius Scriptoris. Probatur verò conclusio duabus rationibus altera ducta ex re, altera ex Aristotelica dictione. ex re quidem: quoniam generatio est substantialis mutatio, adeoq; cum introductione formæ substantialis. Quod si ergo Aristotelis definitionem ad solam terminationem restringeremus mancam definitionem, & mancum philosophum faceremus. ex Aristotelica etiam dictione exprimitur argumentum. definit enim ipse, vt in expositione literæ generationem esse mutationem ab actiuis cum habuerint ex passiuis proportionem formæ, scilicet misti substantialis. cum ergo proportio sit relatio, eiusq; terminus, nunc forma substantialis misti. nec possit esse aut considerari, aut poni relatio, quin ponatur terminus. Necesse ergo est cum definiatur generatio per relationem ad formam scilicet per proportionem ad illam etiam definiri per formam ipsam, quod concludere oportebat. Notandum autem etiam primam mutationem implicitè includi quatenus neque potest esse terminatio, neque introductio formæ misti, nisi præcesserit mistio. attamen est inclusio implicita, & ex nexu rei, non ex vi dictionis, & verborum Aristotelis. Zabarella pariter implicitè includi primam eam mutationem dicit. At dubitationes aduersum conclusionem nostram non leues exoriuntur, quas oportet adducere, & soluere. prior dubitatio est. quoniam non videtur terminatio necessaria ad generationem misti siquidem vinum est mistum, oleum est mistum & tamen neutrum est terminatum. Terminatum enim est, quod suo ipsum termino constat, vt Alexander rectè declarat. ipsum scilicet per se suā figuram habet, & retinet; non autem alieno termino figuratur, quod superius iam dixi, & Aristoteles idem prorsus significat, cum terminatum omne, aut durum, aut molle asserit. Vinum verò, & oleum, & liquoris alij, neque molles sunt, neque duri, sed fluidi. cedunt enim, & obsistunt. Neque verò negari potest, quin mista sint vinum, & oleum, & id genus liquores nam, vel mista, vel simplicia sunt non simplicia (elementa siquidem essent) ergo mista. Attamen terminatum esse mistum, quod hic definitur certum ex Aristotele ipso, eiusq; verbis infra particula iuxta nostram sectionem. „ Ex his enim facta sunt, & terminatum fuit humido siccum. „ quę verba de misto omni esse hic definito patet ex nostro ibi commentario. ad dubitationem ergo quid dicendum? respondeo mistum hic perfectum definiri mistum autem perfectum terminationem exigere. definitio itaq; hæc non conuenit mistis imperfectis communione vniuoca, sed communione ex attributione, vt scil. imperfecta ad perfectum quoquomodo referuntur atq; ita per partes solum conuenit imperfectis mistis. Secunda dubitatio est contra sumptionem meam mistionis pro gradu excludente terminationem, & introductionem formæ cum Zabarella, & prior in hoc Erastus velint mistionem complecti etiam introductionem formæ. respondeo à Zabarella ipso distingui tres mutationes in generatione misti, quas ego quoque distinguo. Verba eius affero. Tres partes progressus in generatione misti præcipuæ sunt, nam dicendum est tria ordinatim fieri à mistione, & in misti generatione. Primum est alteratio mutua per actionem, & passionem omnium contrariarum qualitatum inter se. Secundum est actio duarum actiuarum in duas passiuas. Tertium est productio misti, quæ per formæ eductionem fit. hæc illæ. trium harum actionum

Prima ratio.

2. ratio.

In cap. 1.

ego hic primam mistionem vocaui, quod si nolit quispiam ita vocandam per me abstineat vocabulo vocet alterationem est differentia vocis. me ipsum declaraui voce nunc mistionis eam alterationem, ac mutationem appellare, nec iniuria cum in ea confusa iam sint elementa in singulis particulis, demonstrauiq; eiusmodi confusionem absq; coagulatione, & terminatione passiuarum posse consistere.

QVÆSTIO $\frac{16}{2}$

Quid significet in definitione ly cum obtinuerint proportionem.

Alexandri expositio.

QVÆ sit mea interpretatio in commentario exposui: alienas nunc, & celebriores prosequar. Alexander grauissimus interpres exponit obtineri proportionem, & rationem, cum actiuæ possunt agere: passiuæ pati. „Nam (inquit) non quodcunque calidum quodcunque siccum „ aut humidum humectabit, vel exiccabit.„ hæc Alexander commentario (vt in eius partitione) secundo propè finem, sed hæc expositio facit definitionem non conuertibilem cum definito: Nam potest agere etiam calor immodicè excendens in humidum, & siccum, & tamen non generabit propositum mistum, sed quippiam adustum. quòd si definitio æquari debeat definito oportet respectum ad formam misti includi, & ita includi formam ipsam, vt terminum. Secunda expositio est tum ab actiuis in passiuas proportionem obtineri, cum à passiuis ipsis ita sunt refractæ, vt eas excedant excessu moderato: immodicus enim excessus corruptionem faceret non generationem: intelligit enim ly ex subiecta materia importare ibi causam effectricem, quasi scilicet à subiecta materia actiuæ qualitates proportionem accipiant Reprehendit hanc sententiam, huncq; modum Arcangelus Mercenarius duplici ratione, prima est quoniam in generatione Aristoteles ponit duas qualitates humidum, & siccum vt materiam:at verò materia,qua materia non agit, vnde neq; passiuæ qualitates possunt hac ratione refrangere, quoniam refractio nō est nisi per reactionem, adeoq; per actionem. Secunda ratio eiusdem est, quoniam reactio est à contraria qualitate nempe calor agendo in frigus ab eo refrangitur at hic actiuæ agunt non in se mutua, sed in passiuas, quæ non sunt actiuis contrariæ, non enim calori sunt contrariæ siccitas, & humiditas cum illa maneant cum caliditate in igne hæc in aere.non sunt pariter contrariæ frigiditati cum siccitas cum frigiditate meneat in terra, cum humiditate in aqua, verum ego dimissis interim considerationibus, & rationibus Arcangeli eo nomine accuso expositionem, quoniam pariter definitio est manca, & non reciproca pro definito. Non satis enim est modo ratus, & cessus actiuarum supra passiuas ad generandum mistum: sed requiritur præterea proportio ad formam misti introducendam, quæ proportio, & qui-

Secūda expositio videtur Suessani. Com.7. versus finem.

re.

respectus cum dum explicetur definitio secundum Suessanum non includitur in definitione, estq; ideo manca definitio nequacquam conuertibilis, sunt qui credunt proportionem ab actiuis in passiuas, esse quidem intelligendam in ordine ad formam misti induendam, sed hanc ipsi veritatem tradunt non quasi an definitione expressam, sed quasi in ea subintelligendam. Ita sentire videtur Arcangelus Mercenarius, at is ita sentiendo reprehensibilem reddit Aristotelis definitionem, nam ex dogmate Aristotelis ipsius nihil in recta definitione, & sana subintelligere oportet. colligamus nunc ex dictis discrepantiam expositionum, & conuenientiam. prior discrepantia est Suessani, qui interpretatur cum obtinuerint actiuæ rationem ex subiecta materia ly (ex) an sensu efficientiæ, quasi actiuæ recipiant proportionem: passiuæ in ipsis illam efficiant. cæteri contra conueniunt in exponendo ly (ex) subiectiue quod scil. actiuæ sint, quæ faciant, passiuæ, quæ recipiant proportionem, at hi distrahuntur postea in duas sententias. altera est proportionem eam significare excessum simpliciter actiuarum supra passiuas. altera est significare excessum proportionatum ad introducendam misti formam. in hac sententia conuenit etiam Pomponatius dubit. 10. in fine verba eius sunt, ideò oportet quod sit dominium iustitiale in tali gradu, quæ conuenit pro forma misti elicienda. quæ posterior sententia adhuc subdiuiditur. alij enim volunt proportionem eiusmodi ad formam in definitione includi, estq; mea sententia alij subintelligi, quę videtur Arcangeli. At ad hanc ipsam controuersiam plenius explicandam, alia est subterenda disputatio agitata inter interpretes. Vtrũ excessus actiuarum, earumq; supra passiuas dominium sit secundum gradus an alius excessus, & qui. subiungo igitur disputationem hanc.

3. expositio

6. Topic.

QVÆSTIO $\frac{17}{3}$

Qui sit excessus actiuarum, quodq; dominium supra passiuas.

DIsputationem hanc agitat Pomponatius dub. 11. in hunc librum. Zabarella lib. 1. de misti gen. & inter. Buccafer. cap. 3. in hunc 4. lect. tex. 4. duo verò sunt membra opposita controuersiæ prima quorum alterum subdiuiditur primam diuisionem prosequamur à primo loco. alij ergo dicunt excessum actiuarum supra passiuas esse graduum plures scilicet esse gradus actiuarum, quàm gradus passiuarum. alij excessum graduum prorsus impugnant, solum autem excessum virtutis, & potentiæ astruunt, qui rursus scinduntur. alij enim virtutem hanc, & potentiam referunt ad formam substantialem introducendam, quæ est sententia Pomponatij alij ad terminationem passiuarum immediatè. Disputemus vtrum excessus possit esse secundum gradus. hanc materiam impugnat Pomponatius, Bucaferreus, Zabarella eodem argumento, quod per has suppositiones procedit omnis

omnis latitudo est æqualis, scil. est octo graduum. declaratur suppositio: calíditas summa est octo graduum. frigiditas summa pariter est octo graduum. Secunda suppositio cum contrariæ qualitates commiscentur ambarum gradus simul sumpti nec plures, nec pauciores sint, scilicet caloris, quæ oportet gradus frigoris esse tres, vt simul sint octo, nec plures, nec pauciores. hoc idem de siccitate, atque humiditate asserendum, cum fuerint inter se refractæ, ambarum aggregatos gradus octonarium numerum conficere. his præstitutis argumentantur si actiuæ passiuas superent gradibus, vel coniunctim, vel diuisim eiusmodi excessus intelligitur, sed neutro modo verum est ergo actiuæ non superant passiuis gradibus. consequentia declaratur coniunctim superabunt actiuæ passiuas, simpliciter quidem si ambarum actiuarum gradus, ambarum passiuarum gradibus sint plures. ex parte autem si ambæ actiuæ simul superent singulas passiuas, vel contra singulæ actiuæ superent ambas passiuas simul. diuisim autem si singulæ actiuæ superent singulas passiuas, vel rursus, altera actiua (scilicet ex multorum opinione calor) superet singulas passiuas, at verò ipsi ex diuisis membris solum suscipiunt ea, in quibus ambę passiuæ sunt superatę, vel coniunctim, vel diuisim. hęc pro explicatione consequentię. probant autem assumptum. quoniam non ambę actiuę ambas passiuas superare possunt. nam latitudo duarum contrariarum caliditatis, & frigiditatis est octo graduum æquæ, ac duæ contrariæ passiuæ humiditas, & siccitas, non singulæ ambas, quoniam neutra actiua potest esse maior gradibus octo, immò in misto singulæ paucioribus sunt graduum, at duæ passiuæ simul sunt octo graduum, non etiam possunt singulæ actiuę superare singulas passiuas, nam esto caliditas superet humiditatem, erit ex. gr. caliditas quatuor graduum, humiditas trium, vel aliquo alio in numero huius gradus illius gradibus pauciores. at si gradus caliditatis quatuor erunt frigiditatis gradus reliqui ad octo gradus, scilicet quatuor, pariter gradus siccitatis, reliqui ad octo, scilicet quinque plures, ergo gradus siccitatis gradibus frigiditatis, idemq; sequetur in omnibus alijs numeris modo plures caloris, quam humiditatis gradus statuantur, & quod de calore diximus; cum humiditate idem, si de eodem cum siccitate, & rursus quod de calore, idem si de frigore dicamus erit. Aliam rationem adducunt, estq; quoniam sunt aliqua mista, in quibus qualitates passiuæ præualent actiuis, scilicet sunt in ijs plures gradibus humidi, quam sint gradus frigidi seorsum, aut calidi seorsum in alijs autem præualet siccitatis gradus pariter singularum actiuarum gradibus. ergo falsum est dominari actiuas qualitates, & in omni misto passiuis. Esse verò mista in quibus passiuæ qualitates præualeant ex descriptione temperamentorum quam plerique medici proponunt, demonstratur. alias enim calida in primo gradu sicca, vel humida in tertio, aut quarto dicunt. sensus verò est esse, quæ vnicum gradum habeant caliditatis, ac tres, vel quatuor humiditatis, aut siccitatis. Priore argumento adducti aliqui secundam positionem inuexerunt estq: solum calorem esse ex actiuis, quæ singulas passiuas superet, frigus autem non ingredi naturæ opera, atque hoc pacto diuisorum membrorum quantum recipiunt, quod nequacquam confutatur a Pomponatio, secundum quam positionem actiuarum altera scilicet caliditas gradibus superaret singulas passiuas, hocque modo adhuc excessus esset gra-

duum

duum. At Verò cum frigus quoque concrescere ad generationem misti supra constiterit non est cur in hac positoine immoremur examinanda. Tertio itaq; loco succedit positio Buccaferrei, qui dic't non esse dominium qualitatum actiuarum super passiuas accipiendum secundum gradus, intensionemue, neque secundum quantitatem, sed secundum virtutem. Positio demum quarta est Pomponatij, qui dominium, & excessum actiuarum nequacquam vult esse secundum gradus, & intensionem, sed secundum facultatem introducendi formam misti substantialem, nimirum potest esse calor pauciorum graduum tum siccitate, tum humiditate, qui tamen in eas formam substantialem misti pro eiusdem misti temperaméto potis sit inducere. hanc amplectitur *Zabar.* & cęteras, reprehendit etiã Buccaferr. sententiã, nisi qua potest in sententiã Põponatij reduci. refutat itaq; sententiã Buccaf. aliter expositam, quoniã per virtuté nihil aliud intelligere potest, quàm potentiã actiuã, hęc auté nõ potest esse minor, nisi vel Inténsione, vel extensione, seu quãtitate. Dicitur auté minor virtus quãtitate quoniã in magnitudine maiori plus est virtutis actiuę. hęc est ratio *Zabar.* Ego hac in disputatione sententiã Buccafferei, eiusq; dicendi modũ præfero alijs etiam sententię Pompon. quàm potius, contra quã *Zabarella* eatenus solum probarem, quatenus ad sententiam Buccaferrei reduci potest. Sit pro fundamento actionem aliam esse in contrarium formaliter, aliam esse in non contrarium formaliter, sed virtualiter solum contrarium, vt scholæ vtar termino. Declaro distinctionem calor ignis, vel aeris calidioris, dum calefacit manum frigidam agit in contrarium formaliter, quia frigus manus ea is calor sunt veré, & formaliter cõtraria. sunt formæ scil. & qualitates contrarię. At dum Sol calefacit caloré suo manum frigidam, tum actio non est à contrario formaliter, quia non est calor in Sole, sed facultas virtualiter includens calorem, quatenus illum potest excitare, & producere. Cum ergo calor, & frigus agunt in humidum, & siccum, quibus qualitatibus non sunt contraria formaliter, sed virtute solum, quatenus calor interdum humectat liquando, interdum exiccat cogendo, & indurando. idem de frigore. colligitur hinc non attendi excessum graduum in actione actiuarum in passiuas, sed dimensionem virtutis, eiusq; excessum, vt fit ratio. Quodcunque agens in non contrarium formaliter non dominatur ellitienti excessu graduum, quatenus in illud agit, & restringendo. Quodcunque agens In passiuas qual tates non contrarium formaiiter, illis non dominatur. At illis excessu graduum, quatenus in illa agit. Sed qualitates actiuæ agunt in passiuas, quibus non sunt formaliter contrariæ. Ergo qualitates actiuæ non dominantur passiuis secundum excessum graduum. In hoc communi conueniunt Buccaferreus, & Pomponatius, sed vt Pomponatius restringit ad introductionem formæ substantialis actionem actiuarũ in passiuas, earumq; actiuam virtuté nõ probo restrictionem. Quinimò immediatiùs illa respicit terminationé, & coagulationé, quàm introductioné formę, quã tamé respicit, vt terminũ, hoc itaq; mihi volo. calor, & frigus vim habent primũ terminãdi passiuas, quę terminatio quandã præcedit introductionem formæ substantialis ex superius dictis, deinceps virtute sua pertingit etiam ad introductionem formæ substantialis. Malè ergo restringitur virtus actiuarum ad solam introductionem formæ, nisi si pro termino eius accipiatur, à quo magnitudo potentiæ demonstratur, & æstimatur.

matur, tumq; positio Pomponatij, Buccaferrei positione conuenit cum examen nunc aggredior rationum alienarum pro positionibus memoratis adductarum etiam pro positione Buccaferrei, non enim validæ sunt, etiamsi pro conclusione vera. Est ergo prior ratio per suppositiones, quarum certitudo nescio, an satis constet. verbi gratia suppositio æqualis latitudinis omnium qualitatum, vnde natura constat? esto omnes qualitates diuidi in gradus octo, vt Philosophus, vel in quatuor, vt Medici, non tamen necesse est æquales esse quantitate latitudines, exempli gratia omnes circuli, siue maximi, siue minimi in trecentas sexaginta partes æquales, quas gradus appellant Mathematici scinduntur, at longè impares sunt circuli, sicut & gradus singuli, verbi gratia gradus in circulo terræ est circiter sexaginta milliarium. in orbe stellato multas miriadas, miriadum milliarium continet, at suscipiantur suppositiones omnes vt veræ non tamen concludit ducta ab illis ratio: nam concluderet si intelligeremus actiuas qualitates esse eiusdem misti, cuius, & in quo passiuæ, at verò qualitates, quæ terminant passiuam, & de quibus in definitione generationis dicitur non sunt in misto, quod terminatur, veluti dictum est supra. Pariter soluitur secunda ratio, calor, & frigus terminantia non sunt, calor & frigus, quæ misti crasim constituunt (ita quidem procederet ratio) sed sunt calor, frigus, quæ sunt in continente, & non ingrediuntur mistum in quod agunt, vt mistionis partes. Ad rationem autem Zabarellæ contra Buccaferreum dicitur virtutem actiuam vniuocam, nonnisi per intentionem graduum, vel per quantitatem fieri. nempe calidum actu præstat virtute calefaciendi, vel quia plures gradus caloris habent, vt plures habet gradus ferrum candens, quàm ferrum calefactum, ac nondum candens: vel quia in maiori subiecto sit, vt ignis magnus maiorem vim habet calefaciendi, quàm minor, vel quia in densiore subiecto, vt roboris, quercusue flamma magis calefacit, quam flamma paleæ, etiamsi gradibus pares. at virtus actiua æquiuoca, neque ex gradibus eorumq; intensione procedit, neque ex dimensione subiecti, aut densitate, qua talis emergit. Patet de animæ facultate ad mouendum animal. non procedit illa, neque augetur ex magnitudine animæ, neque ex densitate, quibus ipsa caret, sed alia ex ratione, quam non alio nomine, quam virtutis appellamus, distingueudo in schola virtuale ab actuali, & formali principio agendi.



AN-

ANNOTATIONES
IN CAPITVLVM TERTIVM
Secundum Sectionem Auerrois.

Part. 14. simplici autem generationi contrariam maximè commune putrefactio.

ANNOTATIO PRIMA.

DE putredine cum præsertim agat in hoc capite Aristoteles notandum primo loco est, quam variè vox accipiatur putredinis ab Interpretibus, aliqui ergo accipiunt pro præcedente naturalem interitum, vt Caetanus Thenensis, qui tria distinguit in misto deteriorationem: putredinem, & interitum naturalem, qui est de ipso esse ad non esse, in quo scilicet substantiali forma priore ammissa, alia succedit. deterioratio est in animali senectus in plantis ariditas. succedit putredo, nam prius putrescent animalia, quam intereant, & demum succedit interitus. fortè putredo, quę pręcedit secundum Caetanum mortem, est quæ in morbis aduenit vbi putrescunt humores. Vallesius verò putredinem, & præcedere interitum, & illum sequi asserit. Verba viri. „ Scire licet hominem, atque adeò animal quodcunq; aliud antequam naturaliter moriatur incipere putrescere: nam senectus ipsa ad hanc est via siquidem languescit calor per senectutem ad extremum ad eũ peruenit languiorẽ, vt ab externo non dissipetur, tamen anima non sustinet tantam corruptionem, immò antequam in putredine multum procedatur exhalat. quare si quis fætor in hominum naturaliter pereuntiũ corporibus ante interitum sentitur is planè excremẽtorum est, quæ prodeunt per insensibilem exhalationem, qua cessante, cum refrigeratur corpus, cessat fætor, vsque dum membra ipsa ad manifestam veniunt putredinem: Tunc excitari incipit fætor quidam priore grauior. „ Hæc Vallesius, qui etiam vt ex verbis patet præteritum naturalem, ad quem, & ex quo putredinem ordinat sumit pro interitu animalis, non pro interitu misti, qua mistum, vt fortè ex huius sententia putredo etiam sequens mortem animalis, præcedat tamen corruptionem misti. nempe dum caro incipit quod est putredinis, & mirum secundum Vallesium adhuc esse caro perseueret. at frequentior sententia misti, qua misti corruptionem interpretatur, quam meminit in explicanda putredine Philosophus. Est alia, saniorq; sententia, quæ putredinis essentiam in dissolutione elementorum à se ipsis collocat, quæ dissolutio in initio ipso considerari potest in intermedio progressu: & termino. hinc multiplex est acceptio alia siquidem esse potest acceptio vocis pro sola dissolutione in termino, cum scilicet putrefacta iam sunt puluis. alia pro dissolutione in progressu solo, ver.gr. cum caro fætet esse tum solum putredinem non antea, neque post. hæc sententia Vallesij est Com 4. propè finem, alia pro disso-

dissolutione in progressu, etiamq; in termino. alia pro dissolutione in principio. alia pro dissolutione in principio, & in progressu. alia pro dissolutione in principio, & in progressu, in termino. hanc ego postremam sententiam sum sequutus in expositione, & amplectendam arbitror, adijcio præterea dissensionem esse posse, num principium dissolutionis procedat an sequatur, an simul sit cum extinctione formæ misti, adeoque cum corruptione misti, qua mistum est. ego simul cum corruptione misti, qua misti necessario esse putredinis inchoamentum sum arbitratus. vt principium putredinis cum corruptione misti adeò sit vna, vt nequacquam à corruptione misti præcedatur, neque eam præcedat, at sit post corruptionem tum quæ in progressu est, tum quæ in termino est putredo hæc pro mea, & pro varia aliarum acceptione vocis (putredinis) cætera perquirantur inf. q.

ANNOTATIO SECVNDA

In idem cap. 3. & in eandem particulam 14.

QVÆSTIO I

Vtrum putredo sit maximè contraria generationi.

DEclaro aliunde in commentario, quomodo putredo sit maximè contraria generationi simplici nunc tamen ad tollendas obiectiones quasdam placet ex integro quæstionem proponere. Sunt autem obiectiones aliæ Vallesij, aliæ apud Pomponatium, aliæ Buccafferrei. Vallesius contra Aristotelis dictum dubitat, quoniam vnum vni contrarium, at putredo est contraria concoctioni. Ergo non est contraria generationi. Esse autem contrariam concoctioni probat ex earum definitionibus. Definitiones sunt putredinis corruptio caloris innati, in quouis humore. Concoctionis autem perfectio caloris innati in oppositis passiuis humore, & siccitate, sunt autem contrariæ corruptio caloris innati, & perfectio caloris innati ratione, præterea eandem contrarietatem probat. quoniam eidem vicissim insunt, & mutuo se expellunt putredo, & concoctio. ergo sunt contrariæ. at apud Pomponatium duplex est dubitatio prima, quod non sint contrariæ secundæ, quod non sit inter eas communissima contrarietas. prima per hæc procedit. Contraria sunt sub eodem genere. Generatio, & putredo non sunt sub eod. genere. Ergo non sunt contrariæ probat maiorem auctoritate Aristotelis in metaphys. probat minorem auctoritate Galeni nimirum esse putredinem sub genere qualitatis, & generationem esse sub genere substantiæ planum est ex Arist. secunda ratio quod non

non sint contrariæ est. quoniam generationi, quæ definitur cum qualitates actiuæ debitam proportionem supra passiuas obtinuerunt, opponitur contradictoriè non habere proportionem debitum supra passiuas, & eiusmodi oppositio, & vera, & maxima oppositio 2. lib. periher. Quod verò communissimum contrarium putredo generationi probatur, quoniam non compræhendit omnem mutationem contrariam generationi non scilicet combustionem non interitum ex frigore, non etiam interitum ex humiditate, & siccitate. Buccafferreus autem alias duas dubitationes affert prima est, quoniam mutatio non opponitur motui, & vicissim motus non opponitur mutationi. Sed generatio est mutatio, & putredo est motus Ergo non opponuntur generationem esse mutationem est Aristotelis 5. phys. putredinem esse motum planum est ex doctrina Aristotelis ipsius tradita de putredine. Secunda est, quoniam maximè contraria sunt, quæ opponunt, vt extrema non autem quæ opponuntur vt media extremo. Sed putredo opponitur generationi, vt medium extremo. Ergo non est generationi maximè contraria. probatur minor, quoniam prius occurrit putredo, quam corruptio. prius enim putrescit mistum, quam corrumpatur. Hæc ita dubitantur, restat nunc solutiones afferre. Ad obiectionem ergo Vallesij dicendum est contrarietatem aliam esse simpliciter talem, aliam secundum quid, & hæc alia est ex participatione, alia ex adiunctione. Contrarietas simpliciter est inter extrema Aristoteles in 10. metaphys. & inter albedinem, & nigredinem est contrarietas secundum quid ex participatioue, quæ intercedit inter media, & alterum extremorum vt inter fuscum, & album; inter tepidum, & calidum: opponitur autem medium extremo ob participationem alterius extremi lib. 2. phys. vt tepidũ calido ex participatione frigidi. ob adiunctionem verò sunt contrarij inter se aqua: & ignis ex adiũctis scilicet qualitatibus caliditate, & siccitate ignis: frigiditate, & humiditate aquę. ex hac distinctione tollitur obiectio. maxima enim illa, cui innititur. Vnum vni contrarium vera est de contrarietate simpliciter, scil. de contrarietate inter extrema, non de contrarietate amplè sumpta, vt etiam complectitur contrarietatem inter media, & extrema. quocirca albedini nedum opponitur nigredo, sed colores etiam medij multi. ex adiunctione etiam plerunq; contrarietates pullulant, vt ferrum ob adiunctam duritiem contrarium est carni, quam vel secat, vel contundit, pariter nunc generationi naturali misti opponitur, vt simpliciter contraria putredo: at opponitur etiam eidem putredini concoctio, secundum quid, vt concoctioni adiungitur conseruatio misti, & consistentia imò perfectio, cuius misti, est putredo corruptio, ac dissolutio. Satis superq; soluta ex his obiectio Vallesij, at hoc præterea addo Vallesium in prosyllogismo ex definitiobus putredinis, & concoctionis abuti testimonio Aristot. in definitione concoctionis: in ea enim non dicit Aristoteles concoctionem esse perfectionem caloris innati, sed esse perfectionem qualitatum passiuarum à calore innato, vt calor innatus, in ea definitione sit causa agens perfectionis, at in putredinis definitione sit patiens corruptionem. ad dubitationem Pomponatij veniamus. prima quarum ab ipsomet soluitur distinguendo generationem trifariam. primo pro introductione sub'ta termini ad quem scil. formæ substantialis. secunda pro alteratione præcedente, præparationeue ad eam formam. Tertio pro aggregatione ex v-

O traq;

vtraq; mutatione. pariter vult distingui putredinem, applicat deinde distinctionem solutioni. at ego non intelligo applicationem: vitio enim impressoris (vt sæpè accidit) valdè confusa est. intelligo tamen vim solutionis. Si generatio scil. accipiatur pro aduentu substantialis formæ, & putredo pro alteratione præuia ad formam substantialem non sunt contrariæ: sunt enim in diuersis generibus. Cum generatio reducatur ad prædicamentum substantiæ, & putredo ad prædicamentum qualitatis, quod si ambæ eodem modo accipiantur sunt contrariæ. Et ex fundamentis doctrinæ à me traditæ generatio misti, & terminationem includit, & introductionem formæ substantialis. dum sumitur generatio vna cum præuia, & requisita dispositione, putredo pariter terminationis pristinæ solutionem importat, atq; formæ ammissionem. Terminatio præcisè sumpta, cum exiccationem importet, videtur ad qualitatem posse reduci. Ergo, & opposita dissolutio terminationis, quæ est in humectatione, at introductio, & ammissio formæ substantialis ad substantiæ prædicamentum reducitur. confirmatur ex his solutio ipsa Pomponatij, quæ me iudice ex eius mente elicitur: Secunda obiectio supponit id, quod Aristoteles tradit lib. 2. perhierm. cap. vlt. scil. contradictoriè oppositum esse verè, & per se contrarium, quod repugnare videtur, reliquæ Philosophi doctrinæ. Ego id esse verum in opinione, non in re declaraui in partitionibus meis in illum locum. non esse scilicet contrarias has duas propositiones Socrates est iustus, Socrates non est iustus, quæ contradictoriè opponuntur, sed duas opiniones alteram reputantis Socratem esse iustum, alteram reputantis Socratem non esse iustum, esse inter se contrarias. Sunt enim ambæ opiniones positiuæ, vt in animo sunt, adeoq; contrariè animum afficiunt. sed quicquid falsum est non contineri in ratione formali putredinis non contineri negationem proportionis actiuarum supra passiuas, quæ proportio est ipsa terminatio in ordine ad formam introducendam, terminatio scilicet accomodata formæ introducendæ, putredo enim in dissolutione terminationis fit, & dominio passiuarum qualitatum supra actiuas, vt necessariò includat prioris proportionis negationem in sua formali ratione. At melius sanè est negare contradictoriè oppositum esse contrarium verum, & exactum. contrarium autem ei, quod est habere proportionem supra passiuas est passiuas habere proportionem supra actiuas, & ei, quod est esse terminatum pro exigentia introductionis formæ contrarium est esse disterminatum (ita liceat dicere) pro exigentia abolitionis formæ. illud in generatione includitur, hoc in putredine pari modo. Solutio tertiæ obiectionis eiusdem Pomponatij est negando, vel destruendo maximam illam subintellectam. Communissimum scilicet contrarium continet sub se omnia contraria. Communissimum enim contrarium duobus modis accipi potest vel secundum communionem prædicationes, vel secundum communionem subordinationis, vt ad terminum primo modo vera est propositio, secundo modo nequacquam declaro. summum, & oppositum contrarium albedini est nigredo, & medij colores, qua contrarij sunt albedini ad nigredinem subordinatur. ex eius enim participatione maiore, vel minore contrarij sunt albedini. Omnia itaque contraria media ad extremum ordinantur, & ratione huius subordinationis potest dici communissimum contrarium non autem est communio


præ-

prædicationis, non enim fuscum est nigrum, neque flauum, pariter nigrum. multò minùs in abracto flauities est nigredo, idemq; de alijs. aliter respondet Pomponatius, videatur penes ipsum, quæ minus multò probabilis hac mea vt arbitror, iudicabitur. Venio ad duas postremas, quæ sunt Buccaferrei. prior eius soluitur instando minori, dum putredo motus dicitur, generatio mutatio sunt ambæ mutatio, & motus secundum præuiam alterationem est motus generatio, & secundum dissolutionem terminationis, est etiam putredo motus. secundum introductionem formæ est mutatio generatio, & secundum abolitionem formæ misti est mutatio pariter putredo non motus ad posteriorem negatur putredinem esse mediam inter generationem, & corruptionem. primus enim gradus putredinis est cum corruptione misti, non autem intermedius inter generationem misti, ac eius corruptionem, at reliqui duo gradus sunt posteriores corruptione postremus autem gradus, & tertius est putredo iam in termino, estq; multo posterior coruptione, & abolitione formæ misti. Buccaferreus respondet vtriq; obiectioni distinguendo contrarietatem secundum rationem formæ, & ratione causarum. primo modo admittit vtrumq; argumentum. fatetur enim non esse contrarias eo modo generationem, & putredinem, multòq; minus opponi, vt extremum, extremo, at ratione causarum quatenus generatio est ex victoria actiuorum supra passiuas; putredo contra ex victoria passiuarum supra actiuas ita sunt contrariæ. At non benè ita defenderetur, ita dictum Aristotelis, nam non esset putredo maximè contrarium, neque simpliciter contrarium sed secundum quid solum aduersaretur generationi ex adiunctione, scilicet contrariarum causarum. præterea cum terminatio formaliter includetur in generatione, vt aggregat preuiam dispositionem, & formæ introductionem, & dissolutio pariter in putredine formaliter continentur, repugnant ergo formaliter contra Buccaferreum, non solum ex extrinseca ratione adiuncta causarum contrarietatis.

ANNOTATIO TERTIA

In Cap. Tertium. In part. 18.

OCcasione huius particulæ disputatur vtrum putredo sit naturalis, id enim elicitur ex hoc Aristotelis loco iunctis præsertim precedentibus tribus particulis ego, quod id eo ipso com. 18. asserui, & rationem reddidi, cur sit naturalis rerum cum plurimum sit hęc controuersia agitata non est leuiter adeò transigenda, placet ergo eam hic discutere aliorum etiam sententijs in medium adductis, , & expensis.



QVÆSTIO 19/1

Vtrum putredo sit naturalis.

SVnt primo loco pro negatiua parte rationes. putredo est à causa extrinseca ergo violenta non naturalis. definitur enim violentum, cuius principium extra, &c. item naturale est cuius principium intrinsecum. Natura enim est principium in eo, in quo est. at principium putredinis non est intrinsecum ergo. Item non magis est naturalis putredo, quam combustio, at combustio est violenta ergo & putredo violenta. Prior propositio probatur, nam sicut combustio est à calore externo vim inferente passo. ita putredo est à calore externo vim inferente passo. Pro affirmatiua est Aristoteles. Respondendum itaque est putredinem esse naturalem scil. corruptionem misti, estq; prima ratio, & fundamentum corruptionem non esse vllam naturalem, secundum particularem rei, quæ corrumpitur naturam. Cum enim destruatur, & ipsa natura particularis non potest illi esse naturalis, at corruptio naturalis dicitur secundum naturam vniuersalem, cum scilicet corruptio fit secundum legem, & tramites naturæ. quam fato fieri dixit Aristoteles 5 phys. cum animal moritur in vltimo senio ex resolutione humidi innati, ac insidentis caloris est ea mors secundũ legem naturæ vniuersalis, at cum moritur ex ictu securis, vel ex laqueo est, vel mors non secundum naturæ legem. Tum nectitur argumentum. Omnis corruptio secundum naturæ vniuersalis legem dicitur naturalis, quatenus potest dici naturalis corruptio. Putredo est corruptio misti secundum naturæ vniuersalis legem. Ergo putredo est corruptio naturalis misti. maior patet ex dictis. Minor probatur, nam cum misti generatio fit ex elementorum nexu primo dum commiscentur, secundo dum passiua terminantur. contraria corruptio secundum naturalem ordinem, & legem erit necessario dissolutio, quæ est putredo. confirmatur adhuc, & magis quoniam putredo præterea est ex interna propensione mistibilium. Cum enim elementa priora sint abire in loca sua. at retinetur in misto ex vinculo continente mistionem quodcunq; illud sit nunc non moror cum illud vinculum soluitur est naturalis elementis dissolutio à se mutuo, at putredo fit etiam ex interna propensione miscibilium. erit itaq; ratio corruptio, quæ est ex interna propensione corporis præterquam quod est secundum communem naturæ legem dicitur iure merito naturalis. putredo est corruptio eiusmodi est scil. ex interna propensione misti ob propensionem miscibilis præterquam quod est secundum communem naturæ legem. ergo putredo est naturalis. Hac ergo ratione, vel potius his rationibus. Naturalis dici potest putredo. addo verò pro explicatione legis naturæ, quam hic memoro contineri in ea etiam periodum durationis. nam omnia naturalia sua gaudent periodo alia enim diuturnioris suaptè natura durationis sunt alia breuioris, quæ finem periodi attingunt, naturaliter interire dicuntur, quæ citra finem non pari modo est naturalis eorum interitus,

Arist. 4. lib. de gen. anim. cap. 7.

tus, sed aliquo pacto à naturalitate cadit hac ratione decrepitorum interitus naturalis asseritur, at iuuenum non æquè naturalis etiamsi morbo aut aliqua externa vi pereant. vnde Virgilius de Didone immatura morte pereunte dicit non fato per se. sed quia nec fato merito, nec morte peribat. hanc innaturalitatem interitus ob periodi defectum notat Aristoteles lib. 4. de gen. cap. vltimo paulò prius adducto propè finem. Hæc pro explicatione sententiæ meæ. restat aliorum sententias afferre. Prior sententia est, quam Petri de Aluernia asserit Iacobus carpus penès Pomponatium summa sententiæ est, putredinem esse naturalem ratione materiæ, at esse motum præter naturam, neque inconueniens esse, eundem motum esse tum naturalem, tum præter naturam diuersis rationibus. fundamentum verò opinionis est non esse necessarium ad hoc, vt aliquis motus sit naturalis principium eius actiuum esse intrinsecum, sed sufficere si sit passiuum intrinsecum. etenim ex horum sententia principium actiuũ motus grauis deorsum est extrinsecum scilicet generans, vel remouens impedimentum. forma autem grauis est principium passiuum non actiuum motus deorsum, ita D. Th. & alij multi viri doctissimi, videturque opinio Aristotelis tex. 32. 8. phys: Pomponatius hanc sententiam confutat eo quoniam æquè combustio esset motus naturalis, si principium, ac potentia passiua sufficeret. nam & in combustione materia misti combusti est in potentia passiua ad ignis formam, hæc est ratio Pomponatij, quæ sanè confutat sententiam adductam à Carpo, non tamen sententiam D. Th. hic enim grauissimus Scriptor duplicem potentiam passiuam agnoscit aliam materiæ, aliam formæ illa est determinata, & versatilis ad vtramque contrarietatis partem. ad formam animalis. ad formamq; cadaueris, at potentia passiua formæ est determinata ad vnum, vt grauis potentia ad motum deorsum leuis ad motum sursum. potentia passiua materiæ non sufficit ad naturalitatem motus potentia passiua formæ sufficit hæc pro sententia D. Th. ad eam rationem etiamsi ego in sententia viri sanctissimi non sim cum in graui, & leui dem principium actiuum motus, at aduersus rationem inefficacem hæc pro veritate dixi. verum est efficax ratio contra modum naturalitatis assertum à Carpo. nam cum ibi ratione formæ putredo motus contra naturam alteratur. ratione autem materiæ solum naturalis sequitur potentiam passiuam materiæ sufficere ad naturalitatem motus, quocirca combustio quoque esset motus naturalis, vt rectè concludit ratio Pomponatij, quæ idcirco est contra adductam à Carpo sententiam præualida. Adducitur itaq; à Pomponatio secunda opinio, quæ est Alberti, vt ipse interpretatur esse naturalem putredinem, quatenus ex ea multa mista possunt gigni. fortè autem mista, quæ dicit sunt animalia, aut plantæ, quæ gignuntur ex putri fortè etiam sunt vermes, quæ in cadauere animalium gignuntur, dum putrescit, quorũ meminit Arist. in calce huius 3. cap. redarguit Pomponatius sententiam tanquam fatuam, eo quod eiusmodi ratio facit putredinem non misto, quod putrescit, sed misti, quod generatur, respectu cuius non est putredo, neque corruptio, sed est generatio. Secunda improbat, quoniam etiam in combustione potest aliquid gigni fortè Pomponatius intelligit Perucistam, quam gigni in fornacibus asserit Aristoteles, esset ergo combustio naturalis contra Aristotelem. At mihi videtur amarulenta nimis reprehensio Pomponatij, posseq; Albertus addu-

Dub. 16.

Pomponatij obiectio

Sententia Alber. penes Pomp.

Confutatio per Pomp.

Defensio Alberti.

adduci in sensum probabilem, nimirum putredinem esse naturalem secundum naturam communem non secundum naturam particularem institutã verò à natura inter cætera quoniam ex ea ortum sumunt multa: mista, sicuti etiam instituit in vniuersum corruptionem, quoniam ipsam comitatur semper generatio. argumentum verò primum Pomponatij concludit non esse putredinem naturalem secundum naturam particularem misti putrescentis. ad secundum est id per accidens combustioni, solumq; ratione rerum, quæ comburuntur, vt enim asserit Aristoteles nascuntur bestiolæ eiusmodi pennatæ in medio igne volantes in Cypro Insula in fornacibus cum chalcites lapis ingestus cum pluribus diebus cremantur. hæc vt defendam à facultate Albertum, non verò vt vindicem ab omni repræhensione. dogmata enim Interpretes lucidè exponere debent, & non per ambitum, vt necesse sit veritatem instar misteriorum eruere. Succedit tertia sententia, quam Vgo, & Gentilis Alberto tribuunt, estq; in summa calorem misti intendi, & ex intensione ammittere, quod sit amplius caliditas misti, & ammittere proprietatem, ac facultatem continendi reliquas qualitates commistas euadere autem calorem igneum pro calore misti, vnde extrahit humorem, qua calor igneus est, & ita dissoluitur mistum, ac putrescit. & quoniam hæc est natura caloris ignei agere in humorem, etiamq; in vaporem conuertere, & educere hac ratione est naturalis putredo. fit siquidem à calore interno, qui prius erat misti, & postea igneus euadit, & est secundum naturam caloris ignei educere humorem, proindeq; dissoluere terminationem, quæ dissolutio iam est putredo. hac ergo ratione dicitur naturalis putredo, quæ tamen alia ratione est violenta eo quod scilicet calor misti, qui prius continebat miscibilia in mistione fit postea impotens ea amplius continere quod est contrà misti naturam.

3. opin. Gētilis.

Vgo in aliam sententiam huic tamen propinquam deuenit. in hoc enim vno differt, quòd calor, qui humorem educit non est calor interior misti in igneum mutatus, vt ferebat opinio superior, sed est caloris gradus ab externo calore in mistum impressus, quem dicit Vgo calorem intrinsecatum. hic enim in misto receptus ex misto postea humorem elicit. esse autem calorem eiusmodi intrinsecatum (vtor viri termino) probat ex pituita vitrea, quæ cum omni calore proprio careat tamen putrescit; à calore ergo alieno putrescit, quem tamen oportet in eam imprimi, quæ ab eo inflammatur, & ita in putredinem conijcitur, quoniam itaq; calor effector putredinis factus est misto putrescenti intrinsecus, & ab eo humor itidem internus misti educitur. hinc putredo à principio interno est, & idcirco naturalis motus dicitur. hæc est Vgonis sententia vtramq; eiusmodi sententiam impugnat Pomponatius, atque vanitatis arguit. ratioq; est. quoniam æquè combustio esset naturalis motus, nam etiam in combustione imprimitur in re, quæ comburitur, calor fitq; illi intrinsecus, & idem calor vapores, halitusq; ex ligno eleuat, & extrudit scilicet humorem in ligno inexistentem in vapores, & halitus extenuant, qui in aerem exhalant. pars ergo est progressus in vtraq; mutatione putredinis, & combustionis, ergo si putredo dictam ob causam naturalis, & combustio naturalis. at hæc violenta ex Aristotele. ergo non est putredo eam ob causam naturalis. Secunda ratio Pomponatij quoniam supponunt ij viri vtriusque sectæ putredinem totam esse ab intrinseco principio: combustionem totam

4. opin. Vgonis.

Impugnatio a Pomponatio.

tam ab externo, huicq; suppositioni, vt fundamento superstruunt opinionem suam. contra suppositionem, & contra superstructam sententiam hanc rationem adducit. Assatio non est tota ab extrinseco. Assatio est combustio. Ergo aliqua combustio non est tota ab extrinseco. Ponit maioris probationem. In assatione primordium calefactionis est ab igne externo: at impressum calorem sequitur postea colliquatio pinguedinis, & exitus humiditatis. Imprimi autem calorem etiam vstiuum in carne, quæ assatur, patet quoniam si ab igne auferatur adhuc lædit tactum, & vrit. tertia ratio est, quoniam supponunt illæ sententiæ à solo calore putrescere mista. at contra cur non etiam ab humido excedente, à frigore excedente, à sicco excedente non potest mistum corrumpi, adeoq; putrescere? si enim, & ab illis qualitatibus excædentibus corrumpi mistum potest. vel ergo eiusmodi corruptio est naturalis, & non sola putredo est corruptiò naturalis, vel est violenta, & cur solam combustionem pro violenta memorant? quarum rationum tertia potius spectat ad examen definitionis putredinis, quàm ad examen fortè opinionis horum virorum. Non placet mihi nunc singula dicta singulorum excutere, & quidquid alij dicant, & quicquid alij obijciciant expendere, dico tamen harum opinionum veriorem sanè esse, quæ humidi difflationem in putredine tribuit calori innato rei, cum incenditur, vt postea intelligemus. at hanc esse causam adæquatam, cur putredo naturalis dicatur non est verum, vt ex fundamento meæ sententiæ consistit contra sententiam Alberti, & Gentilis Argumenta Pomponatij non habent vim. non enim in combustione calor impressus est innatus, vt in putredine etiamsi in hac ex naturali non naturalis effectus. idemq; est in assatione in neutra scil. calor compressus est calor innatus, sed ab exteriore principio immissus, & impressus. impressioneq; potius fluente, quam permanente. Ego tamen ambabus hìs opinionibus id obijcio, quod scilicet in corruptione naturali quærunt principium intrinsecum, vt in naturalibus motibus quasi corruptio esse possit naturalis secundum naturam particularem, quam naturam definiuit Aristoteles 2. phys. tex. 2. est quo deciperentur, si id ipsum moniti crederent. non potest verò esse particularis, nisi secundum naturam vniuersalem, quæ particularis non eget principio intrinseco, at in putredine reperiri etiam aliquo pacto principium intrinsecum verum est, vt nos explicuimus, & ex parte tangunt Albertus, & Gentilis in exposita tertia opinione. Quinta sententia est Pomponatij, quam ipse his verbis exprimit esse scilicet putrefactionem motum naturalem, & violentum etiam. Est autem naturalis non quia sitá principio intrinseco, sed quoniam si dimittatur mixtum suæ naturæ propriæ, & non impediatur ita quod non corrumpatur violenter, sed secundum cursum communem naturæ, idest si res stent in suis proprijs locis excepto omni impedimento dempta, scilicet omni necessitate, tunc corruptio fit per putredinem, & nulla alia corruptione mixtum corrumpi potest, est verò motus violentus, quoniam fit à principio extrinseco. est hæc sententia Pomponatij, qui hac de causa dicit ab Aristotele appellari putredinem corruptionem naturalem. Hanc sententiam ego interpretor quo ad substantiam rei esse eandem cum mea. notabo tamen in quibus differat. Dum dicit itaq; eatenus esse naturalem, quatenus secundum cursum communem naturæ mixtum nonnisi putredine corrumpitur idem ferme

5. opin Pomponatij.

mè significat atq; si diceret esse secundum naturam vniuersalem naturalem putredinem, idem enim est esse secundum cursum communem naturæ, & esse secundum legem vniuersalis naturæ, pariter cum dicit esse violentam, quia à principio extrinseco remouet putredine eam naturalitatem ac naturam, quæ definitur principium in eo, in quo est, &c. quæ est natura particularis, vt iam dixi. Noto tamen in huius viri dictis duo. aliud est nullum prorsus esse principium intrinsecum putredinis: at vidimus esse ob propensionem miscibilium in sua loca abeundi dum exoluantur à vinculo continente, ac vinciente. aliud est viri assertum quicquid est à principio extrinseco illud esse violentum. non est hoc verum: definitio enim violenti est si fit à principio extrinseco, & nihil ei conferat, quod vim patitur. non satis itaq; ad violentiam esse principium esse extrinsecum, sed requiritur prætetea quòd patiens nihil conferat agenti, sed ad conclusionem iam, & punctum difficultatis redeo, & meam repeto, quam pro vera posui, in qua conuenire etiam dixi Pomponatium licet non in fundamento conueniat. nunc dubitationes contra assertam conclusionem adducenda, & soluenda. sunt verò quas Pomponatius contra se subtiliter dubitans adducit. postrema ipsarum meam seorsum sententiam impugnat, qua in parte scilicet à Pomponatio dissideo. omnes sunt septem, quorum duo priores perstringunt modum putredininis, primam quidem quòd fit à continente. secunda quod fit à solo calore. quæ duo argumenta verè sunt contra definitionem putredinis potius quam contra eius naturalitatem idcircò in disputationem de definitionis eius veritate differam eorum considerationem reliqua nunc audiamus. In septimo climate, cum perpetuis niuibus, ac gelu rigeant homines non possunt putredine consumi, non enim est ibi calor in continente, qui possit euocare humidum innatum, & demum mistum dissoluere immò potius concrescere faciet, ac congelabit sicut videmus ex immodico frigore multa in lapidem concrescere, & indurari hoc est magis adhuc continget in vlterioribus locis, in quibus dicit neque reperiri, ac viuere homines. ergo non omnia mista cum secundum naturam corrumpuntur putrescent. Preterea in primo climate etiam non putrescunt mista, sed ab immodico calore aduruntur combustio verò non est putrefactio, neque eam patitur. multa sunt mista, quæ sunt siccissima, quæ non videntur posse vnquam putrescere, quia quæ putrescunt prius humida fiunt. huiusmodi autem mista siccissima sunt sylex adamas, & id genus lapilli immò, & metalla, & gemmarum periti dicunt margaritas quidem non durare supra centesimum annum, ac adamantem saphirum hyacinthum durare vltra 4000. annos, & nunquam putrescere. Adamas positus in aere temperato non potest putrescere quoniam aer temperatus est minoris multo actionis quam sit adamas resistentiæ siquidem assistit malleo ferro, & igni, ergo multò magis aeri, at putredo est ab actione continentis. Ergo adamas in aere temperato duraret æterno tempore. non enim corrumpitur naturali corruptione mistum nisi putredine, sed asserere casum potentialem cum mistum æterno tempore duret est omninò fatuum, ergo &c. putredo fit à continente adeoq; à principio extrinseco, ergo non naturalis antecedens est Aristotelis consequentia pariter nam lib. de mor. & vita cap. 14. dicit mortem aliam esse violentam, aliam naturalem. violentam autem esse, quæ quando principium extra fuerit: naturalem

autem

autem quando intus in ipso scilicet viuente, Auerroes quoque in eandem sententiam scribit simplicia elementa habere solum principium suæ corruptionis extrinsecum, ac mista habere tum principium extrinsecum tum intrinsecum habent, scil. extrinsecum cum corruptio est violenta: habent internum cum est per naturalis. Hæc nunc argumenta Pomponatij subtilia sanè, vt fuit ipse multæ subtilitatis Philosophus, profiteturq; à se primo ea considerata, & prolata. horum postremum est contra meam solum, reliqua contra vtriusq; nostrum sententiam. Ad primum argumentum deueniendo duobus modis soluit Pomponatius ipsum, & tertium, est primus modus supponendo Aristotelem loqui de naturali corruptione cum omnium misti corruptionem in putredinem terminare asserit. Naturalem verò corruptionem esse cum in proprio loco manet mistum non in alieno vt si animal terrestre demergatur in aquam. suffocatio enim eius ibi erit violenta, non naturalis corruptio animalis, vt dum in aere consueto moritur neque qualitates tum continentis excedant latitudinem, intra quam solet viuere id genus animalis, est naturalis corruptio, at cum qualitates continentis aeris perexcedunt latitudinem cõgruentem ex. gr. homini corruptio ibi hominis nõ est naturalis, sed violenta. ex hoc fundamento soluitur primum, & tertium argumentum concedendo non putrescere cadauera, & mista in 7. climate, & vltra ob gelu, & in primo ob æstum, neque hoc tamen repugnare Aristoteli, quoniam cum is dicit corruptionem omnium mistorum tendere in putredinem loquitur de corruptione naturali mistorum, at in illis climatibus excellens frigus, vel ob excellentem calorem non est naturalis corruptio, hic est primus modus solutionis. Secundus modus est negando id quod assumitur non putrescere cadauera, & mista in illis climatibus. ad rationem autem summi, & immodici frigoris, vnde videtur non posse vllum caloris gradum in ambiente reperiri, qui putredinem faciat humidum euocando, immò congelando omnem humoris fluxum inhibebit. respondet non esse tantum ibi frigoris, vt nullus etiam detur caloris gradus ex quo putredo fieri possit cũ videamus sub niue tantum esse caloris, vt ex putri nascantur ibi vermes, vel saltem ad eum gradum frigus remittitur, vt saltem ex antiperistasi intendat misti calorem innatum, qui ideo intensus supra mediocritatem misti euaporet humidum ducendo adeò sit putredinis effector. hæc secunda responsio melior quam prima, nam si in 7. climate, & in zona gelida, atq; in gnoclandia homines nascuntur naturali generatione, & in eodem aere diu viuunt vt ex historica narratione Nicolai Zeni patet. cur non & ibi genita naturalem corruptionem subibunt? est improbabile admodum. secunda ergo responsio melior. notandum verò naturalem corruptionem nonnisi transacta naturali periodo accidere, sumitur verò naturalis eiusmodi periodus fatiscente inter cætera virtute illa, quæ continet miscibilia toto tempore durationis misti vnita. Tum verò si accesserit conspiratio ambientis, etiamsi leui, & tenui opera tamen miscibilia pro instinctu suo eatenus repressa dilabuntur, prius verò calidum ob subtilitatem, & leuitatem, secumq; educit humidum quicunque ergo sit gradus caloris existens tandem dissolutionem interni promouet, & efficit vnaq; humoris. hæc pro confirmatione responsionis Pomponatij secunda. pariter retinenda secunda solutio tertij argumenti de primo climate is calor, & æstus non est tantus, vt

im-

impediat generationem naturalem hominis neque vitam ibi humanam, nam sub æquinoctiali sub tropicis, sub intermedijs parallelis sunt habitationes etiam commodæ, vt ex recentiorum nauigationibus est manifestum calor ibi est etiamsi magnus tamen humanæ vitæ accomodatus, humanęque generationis. Ergo & nutritione tolerant, & generatione excrementorum, quorum solida non sine putore, & putredine efficiuntur, quinimò & ibi animalia ex putri, vt pateat non esse eam caloris intensionem, quæ putredinem tollat. Ad secundum argumentum de lapidibus, & metallis, &c. hoc etiam rectè soluit Pomponatius negando non putrescere singula. putrescunt omnia tantum mista, nisi à violenta corruptione præueniantur at aliqua ob longissimã durationis periodum non potest obseruari dissolutio, quod præsertim ex oculis hominum subducantur, vbi enim sunt Romanorum gemmæ, vt obseruare possimus, nam illæ in interuallo annorum 1661. quod intercescere inter initium imperij, & hoc tempus, vel ann. 2384. quot sunt ab initio Vrbis, putruerunt. nulla vt credo pro certo monstrari potest. At esto eas durare, & alicubi condi, vt nunc marmora illius æui effodiuntur, non tamen satis constat, vtrum aliquid detrimenti passa sint licet interdum id sensus effugiat certè metalla ærugine ipsa sua demonstrant ex ijs aliquid exolui, & excrementum illud pati ex quo Aristoteles probat omnia corpora materialia corruptibilia 2. cap. de longit. vitæ. Ad quartum dicitur & rectè etiam si adamas resistit ferro, & malleo iam ab aere diutissima actione euinci, vt gutta cauat si lapidem sæpè cadendo, quem non facilè ictus quiuis ferri singuli cauarent. Restat quinta ratio, cui respondet Pomponatius, esse quidem putredinem violentam qua est ab extrinseco principio esse naturalem, quæ secundum naturæ cursum admittendo scil. omnia corruptionem ab extrinseco, qua talem esse violentam, cui tamen dogmati non sum assensus, nisi cum distinctione naturę vniuersalis secundum hanc omnis corruptio, siue ab extrinseco, siue ab intrinseco est præter naturam illam corruptio, quæ secundum legem naturæ eiusdem vniuersalis fit est naturalis. Verum contra hanc meam doctrinam videtur esse distinctio Aristotelis adducta cap. 2. de longit. vitę, vbi mortem naturalem dicit esse, quæ ab intrinseco principio violentam, quæ ab extrinseco agnoscit. Ergo Aristoteles corruptionem aliquam naturalem, eamque ab intrinseco principio tantum, non ex naturæ communis lege æstimat naturalem. Respondeo ego huic argumento. mortem animalium esse solum naturalem secundum naturam communem, & vniuersalem, non secundum particularem, huic enim repugnat cum animal ipsum destruat, eiusq; formã sentientẽ, scil. aboleat animam. dicitur verò naturalis cum est ab intrinseco principio mors in animalibus eo quod est secundum legem naturæ vniuersalis ea corruptio. calor enim in natura cum depascetur humorem radicalem, & hic ex alimento restauretur, sed restauratio, & vires restaurantes certa scientia periodo durent, deinde deficiant. Tum demum moritur iuxta naturæ legem animal. mista autem inanimata quia non habent eiusmodi constitutionem solum ab extrinseco pereunt, nisi quatenus interna propensio elementorum sublato vinculo, quo continebantur adiuuat, & demum molitur dissolutionem. Contra hanc responsionem corruptio, vt sit naturalis secundum naturam scil. vniuersalem, nonnunquam secundum naturam particularem est naturalis
non

non exigit esse à principio intrinseco cum corruptio inanimatorum mistorum sit ab extrinseco, sed in viventibus id exigit ob inditum calorem innatum, qui depascitur humidum radicale (quicquid dicat Vallesius, qua de re suo loco.) depascéo autem per accidens se ipsum perimit, & ita est prę ter intentionem particularis naturæ, & formæ: at est secundum intentionem vniuersalis naturæ, quæ genus rerũ inferiorum mutua generatione, & corruptione conseruat: Ad rationem in initio disputationis quid dicere oporteat patet ex dictis etenim de corruptione verum est esse violentam respectu naturę particularis, at non semper respectu naturæ vniuersalis, secundum quam putredo natutalis est veluti declarauimus; combustio violenta: non enim est secundum legem, & cursum vniuersalis ipsius naturę.

ANNOTATIO QVARTA

In Caput tertium.

QVÆSTIO 10/1

Quæ sit putredo secundum partem.

MEam ego expositionem corruptionis secũdum partem, quàm Aristoteles meminit hoc in loco attuli, at dixi etiam plures alias, & longè diuersas interpretationes esse. Et nunc plato insigniores adducere. Alexander his verbis exponit. Putredo dicitur in his, quæ secundum partem
„ corrumpuntur, cum abdicantur, ac separantur à proprio eorum natura
„ hoc est à motiuo in ipsis principio, quod quidem in quolibet ipsum calidũ, est. „ Subiungit verò, vt coherent hæc eius expositio cum sequentibus hinc ab Aristotele dici omnia alia putrescere præter ignem, quoniam putredo non fit nisi dum actiuum, quod est calidum vincatur à passiuis, ac ignis caliditas euincatur in ipso igne ab alia qualitate. Suessanus interpretatur corruptionem secundum partem eorum corruptionem, quæ secundum totum non corrumpuntur, cuiusmodi sunt elementa quæ secundum totum ęterna sunt, at secundum partes subinde corrumpuntur. in his ergo dicit putredinem propriè cum à calido externo semoueantur à natura, quæ illa conseruat & continet. Corruptio ergo secundum partem intelligitur qua pars quantitatiua corrumpitur solum, non autem totum. Alij verò exponunt locum hunc ex 1. de gen. & corrupt. tex. .. vbi corruptio simpliciter, & corruptio secundum partem opponuntur. illa est corruptio substantialis: hæc corruptio secundùm accidentia hic itaq; etiam corruptionem secundum partem interpretatur cum accidentia rei intereunt, ac mutatur, non autem substantia, & est sensus propriè dici putredinem, cum

res

res est in preuia dispositione ad corruptionem substantialem: nondum verò substantialis forma perijt latinorum frequentior est expositio asserente Zabarella corrumpi secundum partem ea putrescere elementa, quatenus à sua puritate per admistionem alienarum rerum recedunt, vt idem sit in illis putrescere, & à sua puritate recedere, mouitq; eos ad hanc sententiam Aristoteles ipse dum proximè subiungit (cum fuerint separata à natura) Albertus exponit putredinem secundum partem pro imperfecta. dicitq; putredinem perfectam esse mistorum tantum, adeo: mista perfecta perfectè putrescere. Cum itaque elementa non sint perfecta mista, sed imperfectè tantum mista imperfectè etiam putrescunt, ac secundum partem. Alij secundum partem interpretantur putrescere, quæ secundum subtiliores partes resoluuntur remanentibus crassioribus, ita putrescere dicunt vinum, quia eius tenues, & aquosiores partes putrescunt. Buccafferrei expositio id proximè ennaratam accedit eatenus tamen discrepat, quod omnem putredinem secundum partem solum esse asserit, eo quod solum secundum calidum, & humidum putrescant, non etiam secundum frigidum, & siccum. sed quia hæ opiniones a Zabarella dicto loco confutantur. rationes penes Auctorem quærantur. Ego nõ singulas discutio, illud tamen subnoto mordicus carpi à Zabarella Suessani opinionem, quam & alij sequuti sunt scilicet secundum partem corrumpi, quæ non secundum totum corrumpuntur, & ita dicunt putrescente aliqua parte viuentis animalis (vt cum sanies gignitur in aliqua particula) fieri corruptionem, & putredinem secundum partem, hanc ergo sententiam is damnat. nullamq; esse ea posse crassiorem, & rudiorem asserit, ratioq; est quoniam eadem est natura putredinis, siue totum pomum, siue pars eius putrescat, neque inter eiusmodi putredines aliam intercedere rationem, nisi accidentariam. proinde eiusmodi differentiam considerandam non fuisse, nec esse. & pace viri huius nullam ego aliam hac probabiliorem arbitrarer, dum à mea recederem nam & verba sequentia de elementorum corruptione cohærent, quæ secundum partem corrumpuntur, non secundum totum, neque ratio Zabarellæ quicquam efficit, neque enim Aristoteles distinguit ibi putredinem partis, & totius, vt species distinctas immò nullo modo distinguit, sed cum dicat fieri corruptionem, & putredinem id, quod terminatur dominatur terminantibus. posset quis credere hunc dominatum opertere esse in vniuerso misto, verbi gratia non posse dari putredinem carnis animalis cuiuspiam, nisi totam putrescerit; quod falsum cum sit ideo admonendi fuerunt legentes, etiamsi in parte sola ea terminationis dissolutio acciderit esse putredinem propriè, & iam si reliqua caro sana perstiterit. non est ergo adeò stulta expositio, non probo tamen eam; nam ita significaret Aristoteles propriè dari putredinem etiam in elementis, quod sanè falsum est, & non cohærens proximè dictis, in quibus putredinem fieri asserit; cum passiuæ qualitates dominantur actiuis, vt supponit passiuarum terminationem vitiatam, actiuarumq; prostrationem. non potest verò id contingere, nisi putresces constet ex ambabus passiuis, & ambabus actiuis. qua ergo ratione posset Aristoteles huic dogmati statim subnectere illud dictum, quod scilicet elementa propriè putrescantur. Eadem ratione non probo opinionem Alberti. etenim imperfecta putredo, quam ipse interpretatur illis verbis tribui elementis non posset dici propria putredo, vt vocat Aristot.


quarta

quarta expositio eadem & ipsa ratione minùs mihi probatur, nam putrescentibus partibus tenuibus non statim mistum dicitur propriè putrescere. putrescente enim tenui illo halitu, qui per insensibilem transpirationem exhalat (putrescit is in scabie) non propriè dicitur homo putrescere. Buccaferrei opinio rectè à Zabarella repræhenditur cum in putredine abeunte calidum, & humidum restat frigidum, & siccum æquè dissolutum est hoc postremum, atque duo priora, frigidum enim, & siccum cum à cæteris abiunctum permanet est terra ipsa, quæ in suo loco restat, sicut tenuia elementa in sua loca aberint. Restant opiniones recentiorum, qui occasione huius loci magnam litem excitarunt Thomas Erastus, & Arcangelus Mercenarius, qui interpretati sunt putredinem hanc secundum partem esse aliam speciem à putredine infra definita. Corruptio calidi innati in vno quoq; humido, &c. Erastus ergo distinguit hic, duas putredinis species alteram naturalem, alteram violentam, vuultq; violentam definiri in dicta definitione. corruptio calidi innati in vno quoq; humido, &c. & hanc vocari asserit ab Aristotele putredinem secundum partem. naturalem verò dicit definiri supra tex. secundum eos tertio, cui respondet meis particulis (14. & 15) dicitq; fieri à calore interno, & naturali, qui tum tandem depascat humidum naturale misti, & ipse marcescit, & mistum dissoluitur Mercenarius contra putredinem, quam violentam dicit Erastus ipse naturalem statuit, neq; secundum partem esse, sed secundum totum, at putredo secundum partem est Mercenario, illa, quæ elementis conuenit, quæ non fit per dissolutionem caloris, sed impurationem elementorum ex alieni corporis accessu, & commistione. Restringendo ergo opiniones ad loci huius expositionem est sexta expositio Erasti corruptionem secundum partem esse putredinem definitam ab Aristot. corruptionã caloris innati in vnoquoque humido, &c. esseq; putredinem violentam, & vocari secundum partem, quoniam per eam non dissoluitur mistum in elementa, sed in aliud mistum mutatur. Arcangelus verò non recedit ab expositione secunda, quæ putredinem secundũ partem elementorum statuit, ideò non eget peculiari examine, at contra expositionem Erasti facit series literæ, & indagnis Aristotelicæ, quæ tota conspirat in definitionis inuentionem 6. text. positæ, qui textus respondet particulæ nostræ 25. vnde non potest prior pars contrariam putredinem designare putredini demum definitæ. Prætereà id est apertè falsum, & ab Aristotele alienum per putredinem definitam tex 6. seu part. 25. non dissolui mistum in elementa cum subiungat eidem definitioni putrescentia fieri tãdem terram, & fimum. Sequitur Expositio Zabarellæ hic ergo exponit putredinem secundum partem ex hoc fundamento. putredo integra est cum omnia elementa dissoluuntur, vt non restet misti, nisi terra, & fimus, vt dicit Aristoteles modo sunt aliqua mista, in quibus adeò humidum præualet. vt non possit totum educi adeò vt siccum restet ab omni humiditate spoliatum. eiusmodi est vinum in cuius putredine nequacquam ad id deuenitur, vt sola portio sicca, & terrea restet. Horum itaque putredo nonnisi secundum partem est, & dicitur. ita Zabarella, qui egregiè eousq; dicit, dum putrediuem secundum partem interpretatur, in qua ad vltimam misti in elementa dissolutionem deuentum non fit, at dum restringit eiusmodi putredinem citra extremum gradum dissolutionis ad certam mistorum speciem

ciem in hoc errat. nam sumo carnem, quæ secundum ipsum Zabarella in eorum numero est, quæ secundum totum putrescunt, & cum iam putet,& ad verminationem processit, quæro num putreat non credo negaturum: verum cum nondum in elementa sit penitus dissoluta, non erit integra putredo neque totalis, restat ergo esse secundum partem ex eiusdem declaratione, non enim est facta plena, & integra dissolutio. ergò partiaria: at secundum partem putredo locum etiam habet in reliquis mistis, in quibus humidum non excedit, vt in vino. dimitto quæ alia possent contra sententiam hanc dici. rursus quædam subiungentur infra in disputatione de speciebus mistionis. Permaneo ergo in mea sententia putredinem secundum partem esse, quæ ad postremum gradum dissolutionis non peruenit repetendo esse in putredine principium progressum, & extremum. principium est cum terminatio debita formæ misti abolita est, tum quoq; forma misti pergit progressus est cum pergit ad vlteriorem dissolutionem, sed de misto in mistum propinquius subinde semper dissolutioni absolutæ. extremum est, & terminus cum integra iam facta est elementorum dissolutio, solumq; superest terra,& fimus. primus ergo,& secundus gradus putredinis sunt singuli putredo, & corruptio secundum partem, quà misti nam mistum integrè est corruptum cum ad simplicia elementa redactum sit hac ergo ratione dicti duo priores gradus sunt tum putredo, tum corruptio secundum partem. Noto autem verè hic ab Aristotele non vocari putredinem secundum partem, sed corruptionem secundum partem. immò dicit quæ corrumpuntur secundum partem propriè in illis dici putredinem, vt possit alia addi opinio à memoratis diuersa. si vllam dari putredinem secundum partem, sed dari corruptionem secundum partem, & horum tamen, quæ secundum partem corrumpuntur putredinem esse propriè scilicet integrè & simpliciter putredinem. at non recedo à pristina mea sententia, quam vt in scholio admonui in comm. 15. & sequente exposui.

Additio opinionis Vallesij

Opinio Vallesij his ab ipso verbis exprimitur. „ Enimuerò putredo in
„ ijs propriè dicitur, quæ per partes corrumpuntur, cum à sua ipsorum natu-
„ ra distracta sunt: idest in ijs, quæ corrumpuntur partibus, ex quibus con-
„ stant (hæc sunt calidum, frigidum, humidum, siccum) à sua ipsorum na-
„ turali mistione distractis. „ Mistio ergo secundum partem non est Vallesio, quæ opponitur mistioni simpliciter, & integræ, sed complectitur ipsammet mistionem simpliciter, subseq; eam continet. quæ expositio satis violenta appellatio est. si corruptio absoluta est substantialis secundum partem vocetur ea ratione, quod partes corporis vel aboleantur, vel seiungantur.



AN-

ANNOTATIO QVINTA
In idem Caput Tertium.

In part. 24. Quappropter putrescunt omnia alia excepto igne.

MEam huius particulæ expositionem attuli; nunc etiam alienas: duplex verò hic discordia inter interpretes nascitur altera quidem de connexione verborum: altera de veritate quomodo elementa tria putrescant, quoad primam pro varietate opinionum, quæ sit putredo secundum partem, ita etiam variæ connectunt, aliqui ergo connectunt cum proximis (cum separata fuerint à natura) vt sit contextus corrumpuntur secundum partem res, quæ separantur, & quatenus separantur à natura elementa autem omnia præter ignem separantur à natura hoc est à sui puritate, ideò elementa putrescunt secundum partem omnia præter ignem. Alexandri expositio non abhorret ab hac, nisi quatenus contrahit recessum à natura ad recessum à calore naturali, sed non in hac controuersia immoror, qui corruptionem secundum partem de parte quantitatiua exponunt connectunt, quæ sequuntur de putredine Trium elementorum, cum etiam elementa corrumpantur secundum partem non secundum totum. at satis sit hæc dixisse: meam enim connexionem, vt probabiliorem retineo, restat disputatio de putredine trium elementorum, quæ in duas diuiditur. prima est vtrum tria illa putrescant, seu quomodo. Secunda vtrùm sola, vtrum scilicet ignis etiam pariter putrescat.

QVÆSTIO $\frac{21}{1}$

Quomodo tria elementa putrescant (Terra, Aqua, & Aer)

DIsputatio hæc ad duo præsertim capita reducitur, vt duæ sunt hac de re capitales opiniones altera est elementorum putredinem formaliter esse impurationem ipsam elementorum scil. commistionem rei alienæ cum elemento esse formaliter elementi putredinem altera est impuritatem elementorum esse necessariam, vt elementa putrescere possint (non enim elementa pura putrescere vult) verum putredo non in ea impuratione consistit, sed in dissolutione postea mistionis illius imperfectæ prior opinio est inter recentiores Mercenarij. secunda est communior, eamq; ex recentioribus probat Zabarella. Ego sanè probare non possum sententiam Mercenarij, nam hoc modo elementa hæc quæ tangimus, & in quibus degimus

gimus semper putrefacta essent, cum sint semper impura, at certè non perpetuo putrida hæc agnoscimus, & sentimus, sed cum terra suum contraxit: aqua post varios colores nigrescit, & interdum fœtet aer pariter putrescere dicitur, vbi conclusus grauis, & lethalis quandoque efficitur, hominesq; suffocat, quod in fodinis metallorum interdum contingit. in perspiratis sanè locis aerem nitidum nequaquam putridum appellamus, cum tamen non sit purus: nam atmosphæra perpetuo terram circumdat, & ad 52. millaria extollitur, vt demonstrat Alhazenus in opusculo de crepusculis. item aquæ fontanæ, & fluuiatiles fat macinæ non sunt puræ, & tamen non sunt putridæ. Restat ergo, vt elementorum putredo sit in dissolutione quadam, vel in aggressione dissolutionis, quæ verò ea sit, non est sanè facilè explicatu. videtur enim contra dissolutio ex impuro reddere purum elementum, ver. gr si defæcetur aer ab omni commisto halitu aer ipse purus euadit non autem putridus. Zabarella modum hunc putredinis trium elementorum tradit. aeris autem primo loco. si aer permistum habeat plurimum siccæ exhalationis, & vaporis etiam aquei, & ab externo calore, siue ab igne, siue ab astris infuso educatur calor naturalis aeris vna cum aliqua humoris parte (non enim totus humor aeris tàm proprius, quàm alienus potest ea vna actione à sicco per misto separari) erit ea putredo, sed imperfecta, & secundum partem propterea quod neque totus calor, neque totus humor eductus est, neque idcircò facta tota corporis dissolutio, proindeq; tum antea, tum postea retinet nomen aeris, atq; remanet aer licet turbidus, & situm in subiectis corporibus generans. hæc est summa sententiæ Zabarellæ de putredine aeris. in qua tantisper dum examinentur immorando: illud primo falsum reputo naturalem calorem aeris ab externo calore educi. deinde falsum est, si educatur calor, & humor, vt Zabarella dicit, tum aerem putrescere. probatur primum. Nam caliditas aeris est in summo, vt placet frequentiori scholæ, secus oporteret octo latitudinis gradus, qua in parte calori desunt, ab opposita frigiditate suppleri, & ita aer pro duabus qualitatibus ab Aristotele illi assignatis tres haberet calorem frigiditatem, & humiditatem, at esto non esse necessarium hunc syllogismum, vt tamen admissa suppositione est necessarium, & educatur à calore externo calor naturalis aeris magna ex parte, & humiditas dico id, quod restat non esse putridum, nisi aliud accedat, secus cum in mistione refranguntur duæ qualitates aeris tum caliditas, tum frigiditas esset aer is putridus, ex eo enim tum auferuntur, siue ablati sunt calor naturalis, & humor magna ex parte maiore, vel minore pro ratione mistionis. at respondebitur tum esse aerem illum refractum commistum alijs elementis, & ita cessare putredinem. at contra certum est, tum ibi refractum reperiri aerem ex tribus exem. gratia gradibus caloris, & quinque humiditatis. quòd si aerea putredinis essentia in hac ipsa consistat refractione, ergo ibi reperietur formale putredinis aeris ergo, & ipsa putredo. At effugient forsan. argumentum concludere de eductione caloris proprij, & intrinseci aeris. non autem de eductione caloris intrinsecati. hic est terminus à multis vsurpatus, significatq; calorem non innatum rei, sed ab agente impressum, & permanens. contra responsionem, primo quidem quoniam non conuenit Zabarellæ, qui de eductione caloris aeris naturalis apertè loquitur verba sunt. „ poteft

„ test ab externo calore, seu circundantis ignis, seu ab astris genito educi „ aeris calor naturalis vna cum aliqua humoris parte. „ loquitur ergo de naturali calore aeris non de intrinsecato Zabarella. præterea non est etiam verum hoc ipsum: si nempè à calore externo educeretur calor alienus intrinsecatus aeris cum parte humoris adhuc aerem tum putrescere. nam quæ commiscentur aeri sunt vapor, & exhalatio, ex quibus si educatur calor, erit is calor intrinsecatus aeri imprei, tum halitus illi restant frigidi, & sicci ex prædominio scilicet potiùs terrei, quàm aquei. vtrum horum sint semper graues, adeòq; necessario descendent in locum inferiorem, & aerem purum relinquent, quod non est putrescere aerem, sed depurari. De putredine verò aquæ hæc alia disserit. Aqua insitum habet calorem aliquem: debilem tamen, qui vincitur à calore aeris ambientis, ideoque educitur. quum autem calor sit accidens, & non possit transire de subiecto in subiectum, nisi cum aliqua tenui substantia, in qua inhereat, eaque est pars aliqua humoris tenuior, quæ ad superficiem aquæ euocata facit ibi quandam teliculam, quæ putredinis signum esse solet. hæc quoque ratio, & causa putredinis aquæ non satis est, non est proxima, neque in omnibus vera. non est verum inquam id, quod sumit tenuiorem partem humoris euocatam à calore ad superficiem aquæ facere teliculam. oportet enim corpulentum esse halitum, ex quo ea tela præ reliqua aqua consistens genita sit. Sed neque perpetuo gignitur ea tela à calore externo educente internum, & humorem, videmus in aqua ad ignem posita nullam telam gigni immò dum aqua coquitur ad bibendum, halitus exit, tenuiorq; pars (vt bullæ ad superficiem docent) nec vlla tela fit, nec vlla putredo. non ergo saltem est vniuersalis causa, quam tradit. sed forte effugient defensores opinionis respondendo Zabarellam restringere se in aquæ putredine ad calorem aeris ambientis: ea enim sunt eius verba. at contra responsionem æstiuo tempore ab ambientis calore riui, & canales immò, & fluuij calefiunt, vt nudi in eos descendentes multum in aqua calorem experiamur. neque tamen putrescunt. immò æstiuo tempore calescit mare, neque putrescit. De putredine terræ verò ita differit. „ Partes „ terræ, quæ permistam habeant humiditatem aqueam, & aliquid caloris „ possunt putrefieri à calore ambientis educente calorem intrinsecatum vna „ cum illo humido intrinsecato ex qua putrefactione terra fiet humidior, „ & apparebit etiam in ea situs, sicut in alijs multis putrescentibus. „ hæc est sententia; immò & verba eius. quomodo terra putrescat; quibus etiam verbis non continetur causa putredinis in terra proxima, sed causa putrescibilitatis tantum (si quæ continetur) nam terram apricam, & solidam putrescere oporteret aliquo anni tempore. in ea enim est humor aqueus ex Aristotele tex. 49. 2. de gen. & corr. secus enim non consisteret, vt ibi dicitur est calor intrinsecatus cum sit exposita soli calor continentis præualet requisito ad putredinem gradu aliquo tempore anni, nam si debilior est hyberno tempore, maior quàm oporteat æstiuo intermedio tempore, erit quandoque in gradu accommodato. non est ergo causa proxima, qua posita ponatur effectus. quod si dicatur oportere illum aqueum humorem esse vltra gradum humoris terram continentis in soliditate, & consistentia iam defecit Zabarella in exprimenda causa, sed neque omnis terra, in qua superabundet humor aqueus contrahit situm, & putrescit, vt

Lib. 2 de gen. mix. et int. cap. 14.

Putredo aquæ quomodo ex Zabarella.

ſabulo, vtque creta, quæ continet aquam crateris inſtar, neque tamen ſitum contrahere, neque putreſcere videtur. Vt itaq; meam ego ſententiam aperiam hæc præmitto. Putredo vera, & abſoluta, quam hoc in capite tradit Ariſtoteles non eſt niſi in miſtis terminatis ex Ariſtotelis verbis patet. Elementa impura prȩter terram non ſunt terminata ſicuti neque alia corpora fluida vinum, acetum, oleum, ſanguis dum in corpore animalis eſt, & reliqui humores patet ex ſuperius dictis, neque enim ſunt dura, neque mollia, demumque figuram ſuam ipſa per ſe non retinent. concluditur ex his neque elementa cætera præter terrram, de qua poſtea, neq; vinum, & reliquos humores, corporaue fluida putredini propriæ hic ab Ariſtotele definitȩ eſſe obnoxia. tertium (quod præmitto) eſt. etiamſi aqua, & corpora fluida non habeant veram terminationem, habent tamen quippiam terminationi reſpondens, cuius explicatio neceſſaria eſt ad propoſitam indaginem abſoluendam, ſumo ad rei exolicationem vinum hoc (dum muſtum eſt) turbulentum aſpicitur, & à perſpicuitate procul. cum iam ebullierit longo poſt tempore, vt ad minus æſtiuo nitidum, & perſpicuum conſpicitur: verum illis annis, quibus vina conturbari, & euerti contingit idem vinum, quod perſpicuum ex vaſe educitur ſi in ciatho, vel phiala aliquot horas detineatur abſque alterius corporis commiſtione immò opertum, & tectum ne puluis illabatur turbulentum, & nigricans redditur vt atramentum immò attratum pulmentum repræſentet tantum à priſtina perſpicuitate abeſt. erant ergo etiam partes terreſtres ex quarum perturbatione opacatur vinum, in vino, cum perſpicuum perſeuerabat, at tum ita commiſtæ, & diſtributæ, vt perſpicuitatem non impedirent hanc diſtributionem ego dico illud eſſe, quod in fluidis terminationi reſpondet. in aqua pariter ſunt terræ partes. patet nam ſemper fit terreum ſedimentum in vaſe, vbi diu aqua permanet. patet etiam ex eiuſdem diſtillatione, quæ in alembicco fit. ſemper enim in alembicci fundo terrenæ portiones reſident, idque ſubinde ſemper etiam ſi ſæpiùs iteretur diſtillatio, vt partes terreas eſſe oporteat per totam aquam diffuſas ita tamen diſtributas, vt perſpicuitatem, & nitorem aquæ non impediant. Dico itaque quando eiuſmodi (liceat nunc appellare) terminationis imago perturbatur, vt humor prius nitidus turbulentus reddatur tum eſſe putredinem, vel eius ſaltem inchoamentum, ſed res nondum eſt plenè explicata, hoc itaque aliud quarto loco præmittere oportet. humorem à craſſioribus partibus. ac alienis duplici modo ſequeſtrari vno modo nulla præcedente confuſione, vt in muſti ebullitione. partes enim terreæ defæcantur; aquæ difflant, vinumq; loco conturbationis redditur peluidum pariter in coctione aquæ terreſtres partes reſident, aqua nitidior efficitur, at in euerſione memorata vini prima conturbatio fit, vnde ceu lutulentum redditur, at ſi diù retineatur in eadem vaſe difflabunt, tandem reliquæ partes reſtabunt terreæ. His ita præactis fundamentis illud addo conturbationem eiuſmodi non videri poſſe aliter fieri, quam quòd partes terreæ fermentent, proindeq; extendantur, atq; obſcurent, & opacent tenues, & perſpicuas. Hinc iam patet quomodo fluida putreſcant. putreſcunt ſcil. dum partes craſſæ, & terreæ ex ea diſtributione, qua non impediebant humoris nitiditatem ex ambientis calore, & ex imbecillitate caloris interni continentis miſcibilia in officio ebulliunt, & fermẽtent, occupantq; tenuiores, fitq; adeò omnium

con-

confusio, & pro mistionis diuersitate interdum fætor. hæc est putredo fluidorum, primus scil. gradus, qui & ipse tendit ad omnimodam dissolutionem. Est tamen putredo minus propria, sicuti neque est putrescentium eiusmodi propria terminatio. quod de humoribus, eorumq; putredine dicimus, idem de aere dici potest aliquibus mutatis pro diuersitate elementorum. nam & in aere impuro scilicet ob atmosphæram, siue ob vapores, & halitus sunt partes quædam crassiores, ac terreæ. id constat, nam vapores ipsimet in nubes coacti, in aquam demum transeunt in qua aquæ partes terreæ vbiq; sunt ex proximè dictis. & aer interdum depuratur ab eiusmodi crassioribus partibus vel ventorum perspiratione, vel ex pluuię casu absq; conturbatione interdum verò conturbatio præcedit, vt fit in locis concauis, & conclusis, in quibus aer ipse crassus, & virulentus efficitur nempè ex partibus crassioribus surgentibus modo dicto de partibus aquæ. Terra ergo cum humor aliquis partem superficiei terrestris occupat non magnam, sed paruam, ipsaq; aqua parua fit tum increscente calore ambientis vel humor ipse totus difflat, solaq; terrea natura superest, tumq; non est putredo, sed potiùs terræ exiccatio, & depuratio, vel partes terreæ vdæ à calore externo affectæ fermentant, extendunturq; ac partes aqueas aliquas retinent tum pro varietate locorum interdum muscosa fit, & deinde nigricas: interdum mutet, situmq; contrahit. hæcque est putredo terræ. concludo ergo elementa putrescere non pura quidem, sed impura, & hæc non, dum in sui puritatem vindicantur, sed dum crassiores partes commistæ fermentant, & priorem terminationem, seu imaginem terminationis vitiant, & conturbant reddendo elementa fluida pro perspicuis, ac nitidis turbulenta. Terra autem terminationem cum primum vitiauerit humor alienus, à quo vda reddita fuerit. Tum superficies emmollita terræ inter exiccandum putrescit dum partes terreæ illæ aliquid adhuc vdi retinentes fermentant, & situm contrahunt, vel muscum, hæcq; est differentia inter putredinem veram mistorum, & hanc impropriam elementorum, quod illa ex sublatione terminationis inchoat & ad extremam dissolutionem, vt ad absolutam putredinem tendit hæc in sublatione, & vitio terminationis suæ (impropriæ scil. & per similitudinem) consistit, nec vlteriorem terminum habet, nam licet ea ipsa terminationis vitiatio tendat, tenderetue demum ad dissolutionem mistionis eius impuræ tamen dissolutio ea non est putredo elementi, neque retinet putredinis notam, & naturam in eo ipso elemento, sed dicetur elementum illud tum depuratum non putrefactum. Restat respondere rationi contrariæ in principio adductæ, vt patet ex dictis responsio non consistit ex dissolutione ex qua purum redditur elementum putredo, &c. At aliæ excitantur difficultates contra meam sententiam; nam formale putredinis est dissolutio, at hæc elementorũ per me putredo est potius commistio, quam dissolutio, & quoniam dictum esse impropriam putredinem hanc elementorum, posset q; idcirco declinari argumentum dicendo verum esse de putredine propria, quod dissolutio sit. at non de impropria qualis est elemeetorum hæc putredo. contra inquam eiusmodi dictum, & effugium est Aristoteles, qui dicit propriè dicit putredinem in ijs, quæ secundum partem corrumpuntur. ergo si elementa sunt, quæ secundum partem corrumpuntur, putredo in illis propriè dicetur non impropriè. præterea ex

hęc mea sententia recidere videtur in sententiam reprobatam Archangeli, quod putredo sit in elementorum inquinatione cum scilicet ex aliorum commistione impura redduntur. At soluo singula argumenta. primi ergo duplex solutio offertur. prima quidem quam replicatio impugnat propriam putredinem in dissolutione consistere, at impropriam nequaquam ad replicationem verò dicitur, ac iure abuti illam testimonio Aristotelis. non enim Aristoteles intelligit ea, quæ secundum partem corrumpuntur esse elementa, sed intelligit mista cum corruptio eorum nondum peruenit ad integram dissolutionem elementorum velut in commentario exposui. altera solutio est & accomodatior etiam elementorum putredinem esse in dissolutione terminationis pristinæ, in qua ipsa consistunt in naturali statu suæ impuritatis. ver. gr. aqua nitida est in naturali quoppiam statu licet sit impura præ puritate aquæ elementaris, si daretur eiusmodi qualiscunq; terminatio (impropria scilicet,& per quandam similitudinem terminatio) dissoluitur in putredine elementorum. vt etiam terminatio mistorum dissoluitur in eorum putredine, qui est primus putredinis gradus, vt in hac dissolutione, & in hoc gradu conueniant putredo elementorum, & putredo mistorum in reliquis gradibus prorsus discrepent tanquam quos hæc habeant illa non habeat. Ad secundam negatur sententiam meam cum reprobata Arcangeli conuenire, ex eius enim dogmate aqua ipsa dum in naturali nitiditate permanet (aqua verbi grati fontis clitumni penes Plinium iuniorem) cuam impura sit, adhuc putrida erit. at secundum meam sententiam longè best à putredine.

ANNOTATIO SEXTA

In Cap. Tertium.

In Particulam 25. Putredo autem est corruptio proprij, & innati caloris.

IN hac particula plures, & difficiles dubitationes sedem habent, atq; radicem sunt scil. quæ obijciuntur putredinis definitioni. quarum ago insigniores, nisi omnes in medium afferam, discutiamque.

QVÆSTIO $\frac{22}{1}$

Vtrum definitio hæc sit essentialis, an causalis, an perfecta.

QVæritur primo loco vtrum hæc definitio sit essentialis, an causalis, an perfecta. terminorum explicatio exemplaris præcessit in commentario

rio in hanc particulam meo pariter ibi sententiam meam aperij, at nunc alienas aliquas induco. Prior erit opinio Iacobi Zabarellæ, qui definitionem hanc integram profitetur ex causali scil. & essentiali constantem, demumq; à demonstratione solo situ differentem, & quoniam tres terminos eiusmodi definitio continet pares scil. numero terminis demonstrationis in quam mutatur vel potius quæ in ipsam vertitur. Sunt verò genus accidentis non scilicet genus putredinis, quod in demonstratione est maior extremitas, eiusmodi nunc genus est corruptio caloris proprij, & naturalis est subiectum accidentis nunc putredinis quod in definitione essentiali locum habet differentiæ scilicet ex additamento, & in demonstratione locum habet minoris extremitatis estq; nunc humidum (in humido) est deinceps causa proxima, quæ in demonstratione est medius terminus. nunc verò est calor externus, & ambientis. declarat autem quomodo corruptio caloris innati sit genus putredinis accipiaturq; pro genere putredinis ab Aristotele cum sit putredo essentialiter separatio humidi à sicco vt ipsemet Zabarella fatetur, respondet ergo corruptionem caloris verè esse causam proximam putredinis, sed priuatiuam, & quoniam in priuatiua causa non quiescit animus, necesse fuit illam ad positiuam reducere, quæ est calor externus, ac ambientis pro genere verò accipit causam priuatiuam duabus de causis primo qnoniam ex eiusmodi causa sequitur necessario separatio humidi à sicco ita vt in corruptione caloris innati implicitè contineatur separatio eiusmodi humidi à sicco. Secunda causa quamobrem sumit causam priuatiuam pro genere est artificium definiendi. duplex verò est artificium alterum quidem vt definitio sit breuissima alterum vt tres tantum sint ex ea termini, quòd si posuisset pro genere separationem humidi à sicco. pro causa corruptionem caloris innati. & postea pro causa causæ calorem ambientis pro subiecto corpus humidum quatuor fuissent termini, proindeq; in demonstrationem verti non posset, quæ tamen versio est nota perfectæ definitionis. hæc Zabarella quæ dicta, & quæ sententia non possunt mihi vlla ratione probari. Ex confessione enim eiusdem Zabarellæ deest genus explicitè. solum enim implicitè ponitur, at genus debet euidens, & explicitum in definitione essentiali esse nam genus quam maximè natura definiti significat Aristoteles in 6. Topic. in principio. & non est secundum metaphoram assignandum ibidem loco 7. immò omnis assignatio non propria est mala ibidem, mala ergo esset assignatio separationis humidi à sicco, quæ est genus per corruptionem caloris, &c. quæ est eius causa, est enim Tropus metonimiæ exprimere effectum per causam, vt frumentum per Cererem, vinum per Baccum, ignem per Vulcanum. illud præterea malum effectus priuatiui qualis est corruptio non esse standum causæ proximè priuatiuæ repugnat siquidem Aristoteli primo post cap. 13. ibi si affirmatio causa scil. proxima affirmationis negatio causa negationis. eamque causam adhibendam pro medio demonstrationis docet contra quam nunc Zabarella. tertio loco ponit pro causa, quę sit medius teminus demonstrationis solo situ à definitione calorem ambiētis, qui non est causa proxima conuertibilis scilicet cum effectu, nam multæ res in æstate non putrescunt, quæ tamen calori ambientis sunt obnoxiæ. artificium verò definiendi, quod imponit nunc Aristoteli est potius contra artem, quàm ex arte definiendi, nam sequi eam breuitatem, quę ca-

Zabarellæ opinio.

reat neceſſarijs terminis ad explicandam rei eſſentiam malum eſt, & contra dogma Ariſtotelis 3. Reth. exemplo piſtoris, qui celeritatem ab eo in pinſendo exigentibus, reſpondit mallentne celeriter an benè. illucidabilis eſt breuitas, quæ neceſſaria immò oportuna dimittit. Quoad verò poſtremum artificium, neq; id habet locum, dum non eſt definitio perfecta, ſed cauſalis ſolum, vt ego ſentio, neque etiam ſi integra, & perfecta aſſeretur plures tribus terminis eſſent. Nan medius terminus integraretur ex vtraq; cauſa eſſet ſcilicet integer terminus. corruptio caloris proprij, & innati à calore ambientis, prout in commentario expoſui. corruptio enim caloris innati dum ab immodico frigore fit non facit putredinem. non enim diſſolutionem operatur, ſed cogit, & interdum vtq; in lapidem indurat. Eſt ergo alia ſententia, quam recentioribus quibuſdam tribuit Zabarella, qui volunt eſſe cauſalem tantum definitionem, qua in concluſione conuenimus. at in fundamento non æquè. fundamentum ergo eorum eſt putredinis eſſentiam conſiſtere in interitu formæ ſubſtantialis miſti, cætera omnia in ſeparationem humidi à ſicco corruptionem caloris innati. calorem ambientis eſſe cauſas ſubordinatas interitus formæ miſti, adeòq eſſentiæ miſti. confutat opinionem Zabarella, ſed in eo tantum, quod ſeparatio humidi à ſicco ſit cauſa, & non eſſentia putredinis. confutat verò: quoniam generationis eſſentia eſt vnio, ac terminatio humidi cum ſicco. ergo putredo, quæ eſt contraria corruptio eſt ſeparatio humidi à ſicco; cui Zabarellæ aſſertioni ego etiam aſſentio, & ratione licet aliqua explicatione egeat ratio, quam in ſolutione rationis aduerſariorum ſubijciam. Voco verò aduerſarios non in primaria concluſione, quod definitio hæc ſit cauſalis, ſed in eo quòd velint ſeparationem humidi à ſicco eſſe cauſam non eſſentiam putredinis. Expedienda ergo eſt eorum ratio iam adducta, quia ſcilicet eſſentia putredinis eſt corruptio formæ miſti. at ſeparatio humidi à ſicco eſt cauſa eiuſmodi interitus: non autem idem cum eo. huic rationi reſpondet Zabarella generationem quidem dupliciter conſiderari pro formæ ſubſtantialis introductione, & hæc fit in inſtanti. alio modo pro introductione formæ ſubſtantialis, vna cum præuia alteratione, quæ eſt via ad eiuſmodi inductionem, eſtq; non momentanea, ſed fit in tempore. proprijſſimè verò dicitur generatio introductio momentanea formæ non æquè propriè dicitur, cum præuia alteratio iungitur. Verum in putredine rem contra ſe habere dicit; propriè ſcilicet vocari cum tendit ad miſti interitum, & ad perfectam diſſolutionem miſti in elementa, non autem cum perfecta fuerit diſſolutio miſti cum ſcil. nil eius reliquum ſit præter terram, & fimum. tum ſiquidem non dicimus rem putreſcere, ſed putruiſſe. hæc in ſumma Zabarella, ego quoque conſentio Zabarellæ dum vſum vocis communem reſpicimus propriè dici putredinem in terminationis exolutione antequam ad extremam diſſolutionem miſtum deuenerit, in eo tamen diſcrepo putredinem propriè dici eam cum terminatio ſitia corruptionem formæ miſti eſt vitiata vt ſupra declaraui ſicut enim terminatio, in qua conſiſtit generatio eſt cum paſſiuæ fuerint ab actiuis in eam conſiſtentiam adductæ, quæ exigitur ad formæ miſti introducendam non prius ex definit. generat. ita corruptio miſti eſt cum terminatio, quæ exigitur ad eandem formæ ſuſtinendam, ac tuendam reperit non prius.


QVÆ-

QVÆSTIO $\frac{22}{2}$

Vtrum putredo esse possit antequam corrumpatur forma substantialis misti.

EGO meam de disputatione sententiam exposui com. 14. immò potius in ann. 1. in hoc cap. 3. vt cum in ea diuersi diuersa omnino sentiant opportuna omninò est latior de re disputatio, & exactior inquisitio veritatis. Sunt ergo tres sententiæ, ad quas cæteræ reducuntur. alia vult putredinem omnem esse ante interitum substantialis formæ misti. ita scilicet considerant putredinem Medici in febribus, & morbis, quæ putredo antecedit nedum misti interitum, sed etiam mortem hominis eiusmodi etiam est senectus, & ariditas, quas putredinis loco afferre videtur Aristoteles paulò priùs. hanc sententiam complectitur Caetanus Thyennensis, vt supra annotaui in prima annotatione ad cap. hoc tertium. Alia, & opposita quam maximè sententia est omnem putredinem esse post interitum formæ misti: ante illum interitum non esse putredinem etiamsi esse possit aliqua ad putredinem præparatio quasi scil. non possit exolui terminatio, in qua generatio consistit, nisi pereat forma misti, à qua continetur terminatio. tertia est media. nimirum putredinem habere ordinem, & gradus, quorum alij præcedunt interitum substantialis formę misti alij sequuntur, hæc est opinio Valesij, vt supra in annotatione prima ad hoc caput, & Zabarellæ secundo libro de mist. gen. eunte cap. 26. arbitratur ipse dari gradus putredinis. omnes autem, qui sunt citra integram dissolutionem misti in elementa esse putredinis secundum partem. eorum tamen alios esse ante interitum formæ substantialis misti, vt putredo sanguinis in venis. in primis enim ipsis gradibus putredinis sanguis potest restitui sanitati, vt idcircò necesse sit retineri ab ipso in illis gradibus substantialem formam, secus enim à priuatione ad habitum non datur regressus. sunt post interitum formæ misti alij gradus putredinis ante integram misti dissolutionem, qui licet sint adhuc gradus putredinis secundum partem, sunt tamen post interitum formæ substantialis misti. Secunda sententia est quam ego defendo, Alexandriq; etiam esse videtur, vt antea com. 14. dixi, in cuius sententiæ confirmationem hæc argumenta affero. & quæ contra adducit possunt soluam, ex eorum siquidem solutione sententia mea declarabitur, & amplius confirmabitur. Prior ergo pro me ratio omnis corruptio naturalis est via ad putredinem (Aristoteles part. 15.) ergo nulla naturalis corruptio est post putredinem. Nulla enim via ad putredinem est post putredinem. Ergo etiam nulla putredo est ante omnem corruptionē naturalem. esto.n. putredo ipsius A quæ sit ante corruptionem eiusdem A naturalem. erit ergo corruptio ipsius A post putredinē eiusdē, at nulla corruptio naturalis est post putredinem, ergo &c. 2. ratio est. Generationi substantiali non est maximè commune contrarium corruptio accidentaria, sed substantialis corruptio. Putredo & maximè commune contra-

trarium generationi substantiali, ergo putredo non est corruptio accidentaria, sed substantialis. Hinc ergo nulla rei, & misti alteratio præcedens corruptionem substantialem est verè putredo. dico esse verè putredinem. nam nomina extendi ad proximè antecedentia, & ad proximè sequentia satis apertum ex communi fermè vsu est. sponsum dicimus ante sponsalia celebrata cum proximè futura certo credimus. eandem vocamus adhuc sponsam cum marito etiam per annum fuerit. pariter cadauer humanum hominem dicimus. differendę nunc contrariæ rationes. Primo senectus, & ariditas pro putredinibus ab Aristotele reponi videntur Senectus, & ariditas sunt ante corruptionem naturalem nedum misti, sed etiam animalis, ergo aliqua putredo est ante corruptionem naturalem nedum misti, sed etiam animalis, ergo aliqua putredo est ante corruptionem naturalem misti. febres omnes sunt ante interitum animalis nedum ante corruptionem misti. febres aliquæ sunt putridæ. ergo aliquid putridum est ante corruptionem animalis, nedum misti. Sanguis interdum iam putrescens aptis remedijs restituitur pristino statui. at quod remedijs restituitur pristino statui nondum obiecit formam suam substantialem. ergo sanguis interdum iam putrescens nondum abiecit formam suam substantialem. ergo est aliqua putredo ante corruptionem formæ substantialis suæ. Idem arguitur ex vino incipiente putrescere, scilicet acescere, quod interdum restituitur pristino statui. ergo non abiecerat tum formam substantialem. non enim à priuatione ad habitum datur regressus, neque corruptum secundum cursum naturæ reuiuiscit. At solui possunt adductæ obiectiones. prima soluitur ex nostra particulę illius expositione facili negotio. Aristoteles non vocat senectutem, & ariditatem putredines, sed corruptiones ad putredinem tendentes. Tendunt verò ad putredinem cum iam emunctus bona ex parte humor in animali carnem victam in planta lignum prope cariosum reddit: soluitur ratio negando humorum putredinem esse putredinem, quam hic definit Aristoteles, vt etiam antecedente quæstione præmonui, at quoniam multi contrariū sentiunt in sequenti disputatione de hoc agetur. interim repeto posse putrescere partem aliquam viuentis ante corruptionem formæ substantialis viuentis, attamen post corruptionem suæ ipsius formæ, vt pars carnis in cancrena. item sanguis dum in pus transit in vlceribus, aut vulneribus amittit suam ipsius formam viuente licet animali: tertia, & quarta soluuntur negando esse verè putredines sanguinis, & vini quousq; restitui possunt. sed dici putredines ex vocis extensione ad præcedentia cum sanguis est prorsus putridus oportet totum extrahere qui putruit non autem tentandum est ipsum restituere. Verum enimuerò si quantus quantus est in animali sanguis putruerit certè animal nullam curationem admittit.



QVÆ-

QVÆSTIO 24/3

Vtrum putredo sanguinis, & reliquorum humorum in animali sit vera, & propria putredo, quam hic definit Aristoteles. Immò vniuersalius Vtrum fluidis cõueniat verè putredo, quam hìc definit Aristoteles.

AD dilucidationem solutionis secundi argumenti contra conclusionem meam in præcedente quæstione hanc controuersiam nunc agito. dixi iam in penultima disputatione quid ego sentiam, & fundamentum sententiæ exposui. attamen pro diuersitate sententiarum iustum, qui contrarium sentiunt audire. (ita admonuit Aristoteles) non autem inauditos condemnare. Primo ergo loco discrepantes sententias referamus. Medici plures, quorum sententiam testatur Vallesius aliam esse putredinem, de qua hìc agit Aristoteles, dicunt à putredine, quam Galenus tribuit succis, excrementis, & membris, eamq; interesse differentiam dicunt, quòd putredo Aristotelis sit naturalis interitus: at putredo Galeni sit morbosa affectio. Non dissimilis est hæc opinio opinioni plusquam Commentatoris, quam nec probat, nec improbat Pomponatius dubitat. 18. dicit Trusianus, siue plusquam Commentator. Dupliciter fieri putredinem primo modo, vt ponitur ab Aristotele. Secundo modo non potest fieri transpiratio, & humores ebulliunt, & intendunt in calore. primam ponit Aristoteles, secundam Medici, quæ est causa morborum. Thomas Erastus non recedit ab eadem sententia; dum & ipse aliam esse dicit putredinem naturalem aliam violentam, & morbosam, verum in hoc differt à Trusiano, quod hic neuult cognitam ab Aristotele. saltem traditam putredinem violentam, sed solum naturalem. At Erastus vtramque ab Aristotele tradi in hoc loco vult primam in 3. tex. secundum alios, at in partic. 17. violentam definiri, in hac definitione putredo est corruptio caloris proprij, &c. qua definitione Trusianus asserit definiri putredinem naturalem. Tanta est ingeniorum in Viris etiam literatis discrepantia. necesse sanè est maiorẽ esse interioris oculi, quàm exterioris, & multiformiorẽ stracositatem. Secunda sententia est Vallesij, qui vult eandem putredinem, quam hic definit Aristoteles, & quam considerant Medici. Agnoscit sanè Vallesius duplicem putredinem alteram violentam, alteram naturalem, naturalem quidem, cum post debitam sibi durationis periodum res putrescit, v. gr. si vinum post annum acescit, quod multis in locis contingit, violentam vero dicit cum putrescit intempestiuè, vt si vinum calido in loco sit repositũ, aut detectum relinquatur; vtraq; tamen putredo est eiusdem speciei, eandem scilicet formam, & rationem retinet. Zabarella in eo, quod eadem sit putredo definita ab Aristotele, & a Medicis considerata conuenit cum Val-

Prior sententia.

In hunc 4. Com. 14.

Sententia Vallesij.

Sententia Zabarellæ.

Valesij sententia, at in eo discrepat fortè, quod putredinem violentam hic non videtur (quantum ego meminisse possim) ponere. Imperfectam sanè contra perfectam gradu non specie distinguit: at hæc consideratio ad propositam quæstionem non pertinet. Meam ego sententiam paulò prius in quæst. scilicet 21. indicaui vt satis forsan esset repetere eam tantum. dixi vero impropriam esse putredinem fluidorum corporum omnium nedum elementorum. Attamen præstat eiusmodi improprietatem latius distinguere, vt constet quomodo putredo in communi sumpta complectatur sub se fluidorum putredinem an vt æquiuocum sua significata, an vt vniuocum suas species, an vt analogum analogata, an vt commune ex attributione sua membra. Ego igitur has conclusiones profero. Nam est putredo vniuoca ad putredinẽ fluidorum, & terminatorum, nam definitio essentialis putredinis, quæ est dissolutio terminationis, vel eam includit non conuenit putredini fluidorum, cum careant hæc terminatione verè, & propriè. Secunda conclusio est. Esse commune analogum, nam terminatio fluidis cum propriè non insit inest tamen ex proportione ex superioribus dictis. Consideremus nunc aliarum sententiarum fundamenta. Fundamentum Vallesij est, si caro e. gr. bubula hyberno tempore suapte natura decem dies imputrida seruetur, si vndecimo putrescat erit ea naturalis putredo: at si in calido loco conclusa, vel manibus contrectata intra biduum, aut triduum putrescat eiusmodi putredo est violenta: attamen eadem est dispositio carnis hoc, vel illo modo putrefactæ, vt constet eandem esse naturam vtriusq; putredinis, seu naturalis, seu violentæ. Ratio hæc non est contra sententiam meam, cum restringatur ad putredinem misti perfecti, & terminati non fluidi: qua de re in presentia non disputo, immo consentio cum Vallesio. At dubitatio est, num putredo carnis, & putredo sanguinis in viuente sint eiusdam speciei, quod ego in præsentia nego. Alia, & vrgentior dubitatio est, Quoniam eadem definitio causalis vtriusq; putredinis esse vel ex dictis a me [ead. quæst. 21.] videtur. At definitio causalis cum sit conuertibilis cum effectu, necesse est vbi ea reperiatur, ibi effectum verum et essentialem reperiri, idest nunc veram, & propriam, & essentialem putredinem. Respondeo tamen definitionem causalem conuenire vtriq; putredini, sed secundum analogiam non secundum vniuocationem. Non enim eodem modo humido suo in fluidis hæret calor, atq; in solidis, & in terminatis, vt corruptio quoque in alijs caloris non sit vniuocè eadem, quod si dicatur pendere vtramq; à calore externo, & continentis, iam dixi. Causam proximam, & adæquatam esse totum illud corruptio caloris in humido à calore ambientis, quod si calor ambientis seorsum consideretur non est causa proxima, & immediata, sed remota. at causa remota eadẽ esse potest effectibus solum analogia eorumdem. vt causa finalis alarum muscæ, & vespertilionis, & auium est eadem scilicet volatus. at alæ illæ solum inter se proportione, & analogia conueniunt ex Aristotele non specie, aut genere. Tertio loco obijcitur si duæ essent diuersæ putredines fluidorum, & terminatorum Aristoteles esset diminutus, qui non ambas definisset, vel definitione communi si daretur, vel singulas singulis definitionibus. At soluo, Aristoteles contentus est in analogis, vel in ijs, quæ ad vnum, & ab vno definitione prioris membri, ac principalioris, relinquit autem aliorum naturã ex

Sententia Authoris.

Ratio Vallesij.

2. obiectio.

Solutio.

3. obiectio.

Solutio.

ex primo æstimandam, ac deducendam. Ita definiuit amicitiam definitione, quæ conuenit solum verè, & vniuersæ amicitiæ honestæ. demonstrationem definitione, quæ conuenit soli demonstrationi propter quid ita, & nunc putredinem à definitione, quæ solum vniuocè, & formaliter conuenit primo putredinis membro, seu primo analogato. Cæteris verò ex analogia.

QVÆSTIO 25/3

Quid hic significet corruptio caloris. Vtrum scilicet corruptionem caloris ipsius corruptionem naturalitatis.

DIsputatio 23. ad genus definiendi pertinuit: præcedens prox. verò ad definitum determinandum. iam instant disputationes de partibus definitionis, & de earum veritate. quæ graues sane sunt ac multiplices. Primo occurrit corruptio caloris innati &c. quid nam ea significes seu quenam sit. corruptio.n.naturalis caloris duobus modis contingit vel quod extinguatur calor, vel quod pereat naturalitas, etiam si restet calor. perit vero naturalitas, vel dum intenditur supra naturalem misti dati commensurationem ita in febribus calor fit preter naturalis vel cum deficit rursus corruptio caloris ipsius duobus accidit modis secundum Aristotelem de respirat. viuent.&c. vel a contrario dũ scil.a frigore extinguitur, vel a se ipso diciturq; tũ marcor sicut prior dicitur extinctio, at verò vt à se ipso etiã ab alio calore calor interimitur (ibidem Aristoteles) marcescit.n. minor ignis secus maiorem; immo, & maiorem flammam a maiore comburi asserit non secus ac alia combustibilia.,, (inquit per se) lucernæ flamma imposita in maiori
» flamma comburitur sicut quodcunque aliud combustibilium. ,, his premissis nunc primo loco quæritur vtrum modo sumatur corruptio naturalis caloris pro corruptione caloris ipsius, an pro corruptione naturalitatis an pro vtraq; corruptione. sententiæ variæ sunt. Pomponatius credit pro vtraq; pro corruptione scilicet naturalitatis in principio putredinis: pro corruptione caloris in fine in intio calor intenditur non perit; decrescit postea, & tandem interit in fine putredinis. 2. opinio videtur Alberti: sumi nempe pro corruptione naturalitatis potest esse tertia opinio, si dixerimus includi vtramq; corruptionem, sed diuerso modo, atq; ponat Pomponatius. nempe corrũpi secundum partem calorem, & perire naturalitatem corrumpi secundum partem cum euadat imbecilior, quam vt possit continere amplius terminationem. corrumpi naturalitatẽ, quia ob eam ipsam diminutionem excidit ex commensuratione, quam illud mistum exigit. ad hanc tertiam opinionem reduci ea potest, quam quibusdam recentioribus tribuit Zabarella. hi corruptionẽ caloris naturalis interpretabantur diminutionẽ eius 4. opin. cerit.

1. opin. dubit. 18. in hũc quartum.

2. opinio.

3. opinio.

rit afferentium corruptionē esse caloris ipsius. si quæ antea diximus forma remanere oporteat calor, neque in principio putredinis, neque in medio progressu aboletur totus. in termino dissolutionis, adeoq; putredinis fortè totus aboletur, scil. nihil prorsus sit caloris in illis terreis reliquijs in cineribus scilicet qua de re alias. immò in principio putredinis calorem intendi tum experientiæ adductæ ostendunt: cum est testimonium Aristotelis sect. 25. probl. 20. ducit autem omne quod putret calidissimum fieri. ex hoc quarta opinio reprobatur, quam etiam non memini me ab aliquo poni, vt excludenda eius sit consideratio. Tertia dum pro corruptione diminutionem intelligit à vocis proprietate multum recedit: quatenus naturalitatis corruptionem interpretatur cum superioribus duabus ea in parte conuenit. Conueniunt ergo mult' in corruptione naturalitatis suscipienda Zabarella ex illis est. Cuius viri opinio hæc est. calor externus agendo in mistum calorem eius innatum intendit, & auget. est enim caloris calefacere calor innatus obauctus cessat esse naturalis, & ea ratione dicitur corrumpi calor naturalis non quod cesset esse calor, vel eius gradus minuantur, sed quòd cesset esse naturalis, ex qua cessatione naturalitatis aliud sequitur, nempe non contineri terminationem amplius ab eo calore cum sit naturalis caloris solius facultas continendi miscibilia in misto, & terminationem. procedit hinc etiam expositio eius, quod subiungit Aristoteles putredinem à frigiditate propria procedere. est frigiditas eiusmodi propria non defectus caloris: sed defectus caloris naturalis. ex quo defectu dicitur putrescens frigidum etiamsi tum magis caleant, quam antea. Ego hac in re necessariam arbitror expositionem corruptionis naturalitatis, non autem simpliciter caloris, dum definitio debet esse vniuoca omni gradui putredinis tum scil. principij tum progressus tum termini. ex adducta enim proxima ratione certum est in principio, & in progressu intermedio non esse calorem totum corruptum addo præterea calorem, qua calorem non continere terminationem, elementaue in misto. immò calor qua calor non patitur vinculum restrictionis, sed exire, & in suum locum abire contendit, solum itaq; quæ naturalis est, id illi munus contingit. at ad separationem humidi à sicco naturalitatis corruptio ipsa per se concurrat, & exigatur. Postremo ratio hæc alia succurrit caloris, qua caloris corruptio in misto esse non potest quin succedat in eo frigus, at frigus cogit humorem non autem elabi permittit, vt corruptio caloris, qui caloris nedum non esset causa separationis humidi à sicco, sed concretionem operaretur & compungeret amplius. Veruntamen huic naturalitatis corruptioni annexam intelligere oportet corruptionem tot graduum caloris ex misto quot abijsse necesse sit ad humidi exitum, & ad terminationis idcircò illam corruptelam, consequitur, & comitetur formæ misti interitus secus non conuerteretur definitio, non enim cum calor intentior factus ab externo calore est, vt cum ab initio feruet res ad putredinem tendens tum adhuc est putredo cum scil., nihil adhuc caloris euaporauerit. Nam neque tum potuit adhuc humoris aliquid effluxisse, at in principio putredinis humorem effluxisse, & humidam rem effectam esse Aristoteles asserit, vt ex eius sententia, aut illam humectationem nondum putredo incæperit. tamen alia probabilis, & ipsa expositio, si intelligamus definitionem hanc ex attributione assignatam, vt scil. putredini in-

lib. 2. de gen & inter. cap. 9.

Sententia Authoris.

ter-

termino formaliter conueniat non in principio, non in intermedio progressui nisi ex a tributione, qui mos est frequens Aristotelis. Tum verò corruptio caloris exponenda est corruptio caloris ipsius non naturalitatis. respicit enim definitio eum casum cum putridum restat terra, & fimus, quæ reliquia, vel nullum retinet calorem, vel nullius existimationis. Hæc posterior interpreptatio valdè respondet stylo Aristotelis definiendo, vt alias ostendi. prior communiori scholæ sensui. Restat respondere obiectionibus nonnullis. contra priorem ergo responsionem ex prima via est argumentum, quod contra Albertum adducunt recentiores à Zabarella memorati. corruptio caloris, quam ponit in definitione Aristoteles est, ob quam passiuæ qualitates dominantur àctiuis. oportet ergo actiuas ipsas, quæ prius dominabantur passiuis debiliores fieri, vt sucumbant qualitatibus, quibus antea præstabant. præsertim verò calor est, qui dominatur in generatione, & is præsertim est, qui succumbit in putredine. est secunda ratio ex auctoritate Aristotelis cum putredinem fieri asserit à calore alieno, & à propria frigiditate. Propria verò, & interna frigiditas dum viget, & intenditur necessario remissionem caloris importat, vt corruptio caloris in ea definitione significet caloris non naturalitatis integram, vel partiariam corruptionem. Respondetur vtrique rationi facilè, primæ quidem, quoniam satis est ad putredinem ea caloris corruptio, per quam passiuæ, quæ prius vinciebantur, & continebantur terminatione vinculum frangunt, ex eoqi errumpant. est hoc dominari actiuis ad id sufficit corruptio naturalitatis, vt iam dictum est. Ad secundam autem dicitur frigiditatem internam reperiri in putrescibili secũdum aliquem gradum. secus enim esset in eo summa caliditas vnde esset ignis, vtq; ignis esset imputrescibile, quod est contra suppositionem. ponitur enim putrescibile. Secundæ expositioni neutra obiectio refrangitur. Verum secunda hæc expositio eatenus mihi minus probatur, quatenus putredo in principio denominationem putredinis principat; qnam in termino.

QVÆSTIO 22 4

Vtrum sint synonymæ voces proprij, & innati adeoq; Aristoteles reprehendendus.

POmponatius hanc dubitationem mouet vnusque viderim, & soluit cæteri spreuere si sint synonymę vitiũ est nõ .n. synonyma pertinent ad scientias & præsertim ad definitiones in quibus nihil superfluum esse debet ni vero synonymæ dicantur non satis patet, quæ sit earum insignificando differentia Pomponatius idem non esse synonymas voces asserit eam vero inter ipsas in significando differentiam ponit quod proprium dicatur ad differentiams extrinseci, & artificialis hoc in primis verbis ac in calce eiusdem solutioni dici asserit ad differentiam accidentalis at innatus ideo dicitur, quod alijs mistis

Si tamen calor sumatur pro corpore calido, non pro qualitate est in humido, vt in loco, vt hac ratione significatio loci possit etiam admitti, non pari tamen proprietate, nec pari approbatione eiusdem Scriptoris, scribit postremo humidum duplex esse in misto quolibet. aliud continuatiuum: aliud superfluum. superfluum est veluti, quo pingues abundant. idque in ægritudinibus consumitur. Et in hoc non fit propriè putredo. In illo autem quod & intrinsecum est, & continuans, consistit propriè putredo. ex qua viri expositione debemus humidum, quod in definitione sumit Aristoteles pro humido intrinseco, & continuante mistum non pro superfluo accipere.

Censura Sententiæ.

Et in hoc sanè rectè vt postea. at verò non æquè probo calorem esse in humido, vt in materia. Et quoniam in schola frequentiore calculo suscipietur dictum Pomponatij ideò diligentiùs (quæso) hæc contraria ratio attendatur, vel Pomponatius accipit calorem pro qualitate, vel pro corpore calido. si pro qualitate (vt accipit verè, & distinctio eius manifestat) materia eius est substantia ipsa calida non substãtia humida, eadē enim materia, quæ subiectum accidentium. Vnde in aere subiectum caliditatis, qua caliditatis est substantia ipsa aeris, nam substantia humida aeris sicuti contra subiectum humiditatis eiusdem elementi est substantia aeris, non substantia calida aeris. neutra enim qualitas alteram pro subiecto agnoscit neque etiam pro ratione subiectionis, nisi ex accidenti, quod si pro corpore calido accipiatur, calor non erit calidum in humido vt in subiecto, quoniam substantia non est in subiecto, neque enim erit humidum eiusdem materia, ex qua non erit etiam materia ex qua. Sumo enim corpus hoc calidum, quod in humido reponitur, ipsumq; interim per se considero iam habet suam materiam diuersam ab humido, in quo reponitur, cum ponatur ipsum per se corpus, omne autem corpus constat ex materia, & forma ergo seiuncto etiam mense humidum habet illud calidum suam materiam ab humore diuersam. neutro ergo modo calidi est materia humidum. Buccaferreus verò tria præsertim dicit, ad hæc enim cætera dicta contraho, primum est non esse calidum in humido, sed vt in pabulo. ita calor lucernę est in oleo, vt in pabulo, quia illo vt pabulo vtitur. Secundum est humores esse tres. humorem oleosum, humorem aqueum, & humorem nutrimentalem, quorum duo priores sunt in omni misto. postremus solum in viuentibus. Tertium est ly in vnoquoque humido significare hic omnes tres humores, & corruptionem in illis omnibus caloribus, sicut illis omnibus pro pabulo vtitur. hæc Buccaferreus, cum quo in primo dicto consentio, vt deinceps amplius declarabo. Et melius sanè ipse quam Pomponatius loquitur. In secundo verò diminutus mihi videtur deesse scilicet humidum innatum, quod neque cum nutrimentali, idem neq; cum reliquis duobus. oleosum enim restat, & aqueum in animali post mortem, non autem humidum innatum, non ergo idem sunt. innatum etiam, & nutrimentale non sunt idem. quoniam hoc in reparationem innati substituitur, non est autem illud ipsum. humidum oleosum, & aqueum restare post mortem. inde de oleoso patet quoniam ex carnibus, & alijs etiam partibus oleum distillatur. de humido verò aqueo constat, quoniam sine eo carnes, & ossa, & tendines, & id genus partes non restarent

starent compactæ, sed in puluerem, ramentaue dissoluerentur. In tertio dicto dissentio à Buccafferreo, in hac enim definitione solum humidum aqueum, & continuans formaliter includi sentio, vt dicere etiam videtur Pomponatius, egoq; in principio huius quæstionis probaui; de qua formali inclusione modo agimus cæterum enim si tamen extensionē ex attributione, vel ex analogia etiam ad reliquos humores extendi, vt supra dixi nunc etiam repeto sensus hac in re meus est. putredinem humoris nutrimentalis, etiamq; oleosi non esse veram, & absolutam putredinem qualis tantum est putredo misti terminati, ac perfecti, sed analogicè putredinem. mistum autem terminatum ex humido aqueo constituitur continuante partes siccas. idcircò ad mistum aqueum solum pertinet absoluta putredo, quæ in hac definitione secundum formalem, & vniuocam acceptionem solum definitur Zabarella plura alijs dicit, & meo iudicio à veritate multum aliena. Dicit ergo distingui humidum in naturale, & aduentitium. Cæteros verò Interpretes omnes solum naturale humidum in definitione putredinis suscepisse. deinde dubitat contra restrictionem; quod secundum naturam est humidum, ergo ad naturale humidum se restringit. at in definitione ipsa dicit in vnoquoque humida: ergo omne simpliciter humidum complectitur, hac ita agitata dubitatione, deinde ad sententiam suam promendam per hæc graditur. calor misti corrumpitur, quatenus pro eo misto recedit. at non potest inde recedere, nisi subiectum illi offeratur cum quo vt vehiculo recedat. non enim accidens migrat de subiecto in subiectum. in aridis verò ex. gr. lignis non potest facilè educi humidum naturale glutinans dicit esse oleosum. ideo vix putrescent eiusmodi acida nisi humidum aqueum accedat in quod transeat calor, vt cum eo postea recedat. in humidi ergo aduentitio est etiam putredo, vt est occasio eductionis caloris tanquam eius vehiculum. non in omnibus autem putrescentibus reperitur, quoniam in quibus humor naturalis abundat, vt in lacte carne, is facile per se educitur, & cum eo, atq; in eo calor cōmeat. Hęc Zabarella in cuius dictis aliqua noto. Distinguere omnes Interpretes humidum in naturale, & aduentitium, & in naturali collocare putredinem non in aduentitio. hanc distinctionem in proposito putredinis sicut etiam restrictionem, quam dicit Zabarella ego non video in authoribus, quos modo penes me habeo, vt certum sit non omnes eas adhibuisse: Immò non videtur remissio ad naturale humidum conuenire Buccafferreo, qui in nutrimentali quoq; humido ponit putredinem at nutrimentalis humor non est natusalis humor, atq; innatus. fateor eos, qui In solo humido continuante putredinem misti reponunt, vt Pomponatius, & alij cum quibus ego ad naturale humidum definitionem contrahere illud etiam non possum probare humidum oleosum esse, quod conglutinat continuum. Est apertè hoc dictum contra Aristotelem tex. 39. 2. de gen. & inter. At aliud quod pro fundamento adhibet calorem egere humore aduentitio in aridis vt vehiculo, vt exeat, ne scilicet migret de subiecto in subiectum magna incuria dictum mihi videtur, nam humidum aqueum aduentitium accedens adhuc est ab humido naturali, & continuante diuersum, cum sit hoc oleosum illud aqueum, corpora verò duo diuersa ad summum sunt contigua, non vnum, & continuum. ergo calor naturalis humidum continuans, & oleosum insidens, si in aduen-

uentitium transeat, vt oportet ex Zabarella transibit de corpore in corpus, de humido scil. naturali, & oleoso in aduentitium, & aqueum, migrabit ergo de subiecto in subiectum, vt machina, quam ad euitandum id absurdum est molitus Zabar. in id ipsum àbsurdũ recidat. Ego igitur fateor sanè in omni humido dari putredinem. in nutrimentali quidem patet ex putredine humorum. in adscitio, & aduentitio patet in putredine sudoris in pedibus, & sub alis, verum duo dico primum in his humoribus putredinem esse minus propriam; propria enim, vt vidimus locum solum habet in misto terminato. Secundum putredinem eiusmodi humorum non esse putredinem misti, cuius sunt humores, sed ex sola putredine in humore continuante, qui est humor innatus misti qua misti. nam in humore innato viuentis, qua viuentis, si detur putredo moritur sanè animal. at non corrumpitur mistum, ideoq; non putrescit. Vnde cum hic definiat Aristoteles putredinem propriam, & absolutam, quæ est misti, quà misti non respicit nisi humidum naturale, & innatum misti quà misti, & hanc acceptionem declarauit Aristoteles sequentibus paulò post verbis. „ excunte
„ (inquit) enim proprio calido euaporat, quòd secundum naturam humi-
„ dum. „ argumentum autem Zabarellæ ex voce (vnoquoq;) quòd scilicet dicat Aristoteles (in vnoquoque humido, &c.) in definitione respondeo ly vnumquodq; distribuere pro subiecto scil. in humido cuiusuis misti, & qua misti cum & putredo sit corruptio misti quà misti. huiusmodi autem humidum est continuans mistum, quod est innatum, & misti humidum: & hoc pro declaratione humidi in definitione positi. At pro declaratione modi, quo est in humido calor naturalis exclusi iam modum Pomponatij, quod scilicet sit in eo, vt in materia. concessi potius in sententiam Buccaferrei, quòd sit in pabulo, nec recedo nunc à dicto, vel declaro dictum, vt ibi etiam tum pollicitus me facturum. dico ergo calorem naturalem in humido suo esse, vt in pabulo; ipso enim pascitur quicquid dicat Vallesius in hunc librum, at est etiam in eo, vt conseruans in conseruato, nam humor naturalis sub calore suo naturali diutiùs durat, quam sub alio omni calore. non secus atque locus agit in locatum. aer enim nos modo refrigerat, modo calefacit, modo exiccat. attamen diutissimè nos pro periodo nobis assignata conseruat. extra enim aerem citissimè periremus. est ergo (si summa proprietate vti velimus) calor in humido, vt conseruans in conseruato, atque continens in contento. continet enim ipsum ne illabatur è misto.

QVÆSTIO $\frac{28}{6}$

Vtrum calor externus corrumpat calorem innatum misti, & quomodo.

DE corruptione caloris innati à calore ambientis multa nascitur dubitatio. primo & leuior vtrum contingat eiusmodi corruptio. secundo, & grauior quomodo fiat. at coniungimus breuitatis causa dubitationes in

argumentis contrarijs, vt in determinatione quæstionis, & in solutionibus rationum vtriusq; controuersiæ explicatio habeatur. rationes ergo contrariç scil. pro negatiua parte sunt. Prima corruptio est à contrario. at calor non est contrarius calori, sed similis, & eiusdem speciei. ergo calor innatus non potest corrumpi ab externo. Secunda calor ambientis calefacit ea, quæ ab ipso ambiuntur, & continentur, vt patet, in aere enim calido calescimus, in frigido frigescimus. at dum res calescit in ea augetur non corrumpitur calor. ergo, &c. Tertia si calor externus corrumperet internum, vel corrumperet agendo in calorem ipsum, vel in pabulum eius, scil. in humidum. sed neutrum horum: nam si in calorem vel ageret destruendo ipsum, vel ageret educendo illum, & attrahendo non primum. nam calor agendo impimit calorem in subiectum non tollit non secundum quoniam Aristoteles de respirat. dicit eatenus corrumpi calorem à calore, quatenus maior calor consumit pabulum minoris. ergo non agit calorem ipsum: sed in pabulum. at non possumus hoc etiam dicere, quia repugnat Aristoteli hic in litera vbi habet exeunte in proprio calido coeuaporat, quod secundum naturam humidum agit prius in calorem, quam in humidum, & non agit in humidum, nisi vt prius agit in calorem. Doctrina ergo in hoc dogmate peripatetica tota videtur implicata. quarta quoniam si dicatur calorem ambientis agere in innatum per accidens definitio Aristotelis erat per ea, quæ per accidens, cum tamen per accidens excludatur à scientia 6. metaphis. Respondeo calorem in subiecto aliquo à calore alieno marcore posse duobus modis corrumpi à re ipsa interdum corrumpi vno modo per euocationem calidi alio modo per subtractionem humidi vtrumque modum significat Aristoteles. primum quidem in hac litera in verbis proximè memoratis. exeunte enim proprio calido coeuaporat, quod secundum naturam humidum significat secundum lib. de respirat. cap. 3. ibi. „ Causa autem (cur scilicet maior
„ flamma minorem perimat) quia alimentũ existens in flamma prçoccupat
„ præhendere maior flamma priusquam adueniat alterum. „ hæc Aristoteles. at ratio præterea ex penetralibus rei ducta veritatem dictorum Aristotelis aperit, & qua de caupsa modo euocetur calor, modo educatur alimentum, modo præripiatur alimentum, pabulumue, & demum quomodo, & cur Aristoteles tribuat calori ambientis corruptionem caloris in putredine. Esto hoc ex rei natura fundamentum calidum nisi coherceatur suapte natura sursum tendere, calidum enim quodcunque, vel aereum est, vel igneum, & vtrumque eorum elementorum, vel ea in quibus prædominatur sursum feruntur. in mistis autem non fatiscentibus à mistionis vinculo continentur. ex hoc alterum pendet. nimirum cum misti calor ab externo calore intenditur, adeòut retinaculum mistionis superet, tum liberum factum est sat, ac in superiora tendit, at hoc aliud deinceps subijcere oportet de humido fundamentum, distinctionemue, & est humidum aliud esse aqueum, aliud aereum. horum aereum est pabulum caloris; aqueum nequacquam tcum potius aduersetur igni, quam vt alat eum. humor verò continuatiuus misti est aqueus ex Aristotelis dogmate. ex his fit, vt in dissolutione misti necesse sit humorem aqueum educi cum ipse sit, qui continet mistum. non educitur autem à calore pro pabulo, cum is humor non sit pabulum caloris. oportet ergo educi per euaporationem, vel per

effluuium, vt scil. soluta mistione fluat. applicemus nunc putredini, & ijs, quæ de hac proximè proponebantur. quærebatur ergo cur modo euocetur calor, modo educatur alimentum. in putredine ergo euocatur calor à calore externo, quia ipsum intendendo facit vt victo retinaculo mistionis difflet. non autem tum deducendo alimentum, quia humidum continu itiuum non est pabulum caloris cum sit aqueus, sed euaporat, vt dicit Aristoteles in hac litera exennre proprio calido coeuaporat. pars tamen etiam aliqua fluit, idque est quod dicit Aristoteles part. 19. „ Prius humida fieri quæ putrescunt. „ In calore verò combustiuo cum est maior accidit præripi pabulum minoris caloris à maiore scil. flamma præripitur alimentum minoris, vt sensu patet. Et suffragatur ratio, quia tum humidum non est aqueum, sed lene, aereumq; quod est accommodatum pabulū caloris, calor autem attrahit pabulum, vt vidimus supra vi sua attractrice, quocirca maior calor maiorem vim attractricem habebit, proindeque præueniet actionem minoris. Hinc iam rationibus adductis satisfaciamus. quatenus traditæ hic doctrinæ opponuntur. prima ergo ratio non difficile soluitur. primò quidem de corruptione naturalitatis nihil concludit. nam à simili plerumque ea corruptio fit dum scil. intenditur calor quomodo calor animalis febrilis fit, & præternaturalis Secundo non est vera de ea corruptione calidi, quæ fit in subiecto, vt ex eo exit, & recedit. nam euocatio non fit à contrario, sed potius à simili, & hæc responsio satisfacit in negotio putredinis. At verò non est etiam vera de corruptione absoluta caloris. nam calor absolutè corrumpit alium calorem subtrahendo pabulum. aliqui ergo respondent maximæ. Corruptio fit à contrario veram esse de corruptiuo per se, non de corruptiuo per accidens. alij respondent veram esse de contrarietate in communi ad formalem, & virtualem non de contrarietate formali. sicuti Sol destruit niuem eam liquando, at non est Sol formaliter calidus, adeoq; neque formaliter contrarius niui. Ego hanc limitationem maximæ supra recepi. de priore autem limitatione per se, & per accidens in solutione postremæ rationis dicam. Secunda ratio solutionem suscipit ex modo dictis. augetur enim sanè calor, & intenditur. at ex ea intensione obtinet, vt ex misto abeat, & euaporet. Tertia pariter ratio soluitur ex ijsdem fundamentis, calor externus in negotio putredinis in calorē agit ipsum intendēdo vnde is intēsior factus, & obauctus euaporat, & calor ambiens secum ducit in vaporem actum. In combustione verò calor vstiuus agit in humorem rapiens pro pabulo, eaq; ratione agit in calorem eius operando interitum ob detractionem pabuli. Vnde loca Aristotelis, quæ contraria videntur non sunt contraria, sed in diuersis actionibus ambo vera. Quarta ratio quoque non difficili negotio soluitur. Non corrumpit calor calorem per accidens verè, sed per effectum, qui per se procedit à calore agente, & qui per se facit corruptionem caloris patientis. Nimirum calor ambientis in putredine intendit per se calorem misti, qui calor auctus per se euaporat, & difflat ex misto. In combustione verò calor vstiuus per se rapit pabulum. & defectus pabuli per se corrumpit calorem misti, ea scilicet corruptione, quam declarauimus supra in digress. de act. caloris q. 5. in Coroll. potius ergo est causa mediata calor corruptionis caloris, quàm causa per accidēs. Quoniam verio frequens scola dicit esse per accidens possumus di-

stinguendo excusationem dicti excogitare. Nempe se hanc propositionem calor corrumpit calorem; consideremus in genere enunciationis, & secundum modos per se enunciandi nequacquam est per se propositio neq, enim in primo, neque in secundo modo dicendi per se. at si consideretur in genere causandi, & secūdū modos per se causādi est per se, sed mediatè non per accidens, sed adhuc dijingere possumus hanc considerationem causandi in causalitatem effectricem, & in causalitatem finalem, nam non agit propter finem ex 2. phys. si causam finalem spectemus est per accidens à calore ambientis eductio caloris misti. Ipse enim solum ex inuentione suæ naturæ calefacit nimirum in actum secundum errumpit ex actu primo: at quod calor misti liberetur ex mistione, & exeat nequaquam ab eo intenditur per se, sed per accidens solum. in genere tamen causæ efficientis per se eam operatur, sed mediatè, vt diximus. nec dari per se mediatum est nouum cum genus generis prædicetur per se. homo ènim per se est viuens licet inter hominem, & viuens intercedat animal.

Additio prima.

Ego igitur exposui sententiam meam de modo, quo calor ambientis operetur corruptionem caloris in mistis: in putredine autem dixi id fieri per intensionem caloris, qui obauctus abit ex vinculis mistionis, vt per me principium motus in recessu calidi sit ipsius calidi natura ruptis vinculis à quibus in mistione detinebatur. At Zabarella vult esse principium eiusdem motus calorem externum, qui attrahat ratione similitudinis calorem internum misti. Simile vero a simile attrahi dicit esse manifestum, nec probatione egere, attamen interim probat duobus argumentis. Primum quoniam contrarium à contrario pellitur, ergo simile à simili trahitur. Secundum est ex medicorum testimonio, qui operari dicunt purgantia medicamenta attrahendo humores ratione similis qualitatis. Sed causa hæc attractionis in similitudine reposita, seu similitudinem esse causam attractionis non est verum de causa immediata, aut necessaria; nam lignum non trahit lignum, non lapis lapidem, & innumera sunt, quæ eidem experientiæ attestantur. Est præterea dogma Aristotelis, qui negat si terra esset in Cælo illuc glebam motum iri propter similitudinem, nam prætereain proposito caloris si ob similitudinem calor calorem traheret, vel minor traheret maiorem, quod est contra rationem ab inualidiore trahi validius, vel maior traheret minorem, quod etiam est falsum, sicut enim calidius non calefaceret minus calidum, immò subtrahendo calorem refrigeraret, quod est contra euidentiam. *Corellarium.*

Patet ex his quæ sit difflatio caloris de qua in com. 25. dixi in explicatione definitionis putredinis.

Additio secunda aliarum rationum contra actionem caloris ambientis in putredine præsertim.

Placet alias obiectiones adducere aduersus actionem caloris externi in internum præsertim in putredine. Non ergo videtur agere calor in calorem, nam calor esset qualitas passiua si pateretur, non actiua vt dicitur ab Aristotele. Secunda, si calor externus egeret corruptionem caloris, adeoq; putredinem in misto ageret in parte externa, quam attingit, at in multis, quæ putrescunt videmus contrarium, vt in castaneis, quæ extrinsecus integræ, intus putridæ sunt, ergo non à calore ambientis; idem accidit plerunq;

runque in cassia, in pomis, in nucibus, & alijs fructibus, qui extrinsecus pulcherimi sunt, intus verò putridi; pariter in animali caro exterius est sana, & intus calet apostema, quod sagaces chirurgi, etiam si latens conijciuntur, & scindunt. Ad primum ergo argumentum, quod est Argenterij aduersus Aristotelem, quid dicendum ex superioribus constat non est calor qualitas actiua quoad terminationem, eamq; naturalem. Est passiua, postea tum à contrarijs qualitatibus tum etiam à simili, quatenus intenditur vel subtractio humorum permittitur. Ad secundum respondet Pomponatius castaneam sicut etiam & cassiam ligneam valde ventosam esse, proinde seccari ex illis fumos, qui calefaciunt aerem extrinsecum ingredientem per poros, atq; ita putrescere. At responsio non sana, nam causa putredinis est calidi euaporatio. Calor autem ambientis ad eiusmodi euaporationem calidum misti inducit. At ex responsione Pomponatij fumi fructuum, qui sunt eleuati ante actionem aeris, immo ipsimet in aerem agunt, eumq; calefaciunt, neque èrgo euaporatio ea est ab ambiente, proindeq; neq; segregatio humidi, quæ consequitur euaporatione calida. Alij aliter respondent quorum responsio est apud Zabarellam eam cõfutantem. Buccaferreus respondet ideo putrescere eos fructus intus prius quam extra, quoniam calor externus est improportionatus calori castaneæ, qui in intimis partibus non calori, qui in extremis partibus, ideo illum calorem non hunc reddit actione sua improportionatum humido suo in quod agit, & putridum facit. Sed non satis patet quid sit hoc esse improportionatum, ne si quid sit maior, nam actio fit à maiore proportione, num ergo calor ambientis est maior calore interno, & non externo castaneæ? Num calor innatus minor est in meditullio, quam in cortice? Melior responsio Zabarellæ, agere calorem ambientis in totam castaneam, at eo quod paratior est putredini interior pars ob mollitiem, ideò corrumpi prius, & putrescere: exteriores autem partes quia sicciores putrescere posterius. At ex sequenti quæstione solutio vel melior, vel eadem, sed magis confirmata habebitur.

QVÆSTIO 29/7

Num calor innatus misti simul educatur à calore externo, an successiuè.

HVIC quæstioni breuiter respondendum negatiuè. non scil. educi simul sed successiuè, & euidentia id docet nam non statim caro putrescens in terram abijt, sed solum post diuturnam mutationem. interim verò semper gradus caloris restat, cũ.n. omnis calor expe[illegible] fuerit tum solum partes terræ, aut aqueæ restant. indicat idem ter[illegible] in putrida carne diu perseuerans, quæ nonnisi cum calore fit patet idem ex frumento hoc cum cariẽ

Iam ex putredine patitur adhuc tamen reliquias aliquas retinet compactas quæ aliquid farinæ exhibent in molitione, vt constet adhuc restare aliquid pristini misti adeoq; caloris. At dubitabitur, quomodo id esse possit cum calor ambientis videatur calorem misti vniuersum exugere simul, adeoq; simul euocare modo euocationis dicto. Quod si dicatur non simul intendi à calore externo calorem misti, sed prius propriores partes contra replicabitur, nam quæ in medio prius calescunt, vt de frumenti massa patet cum hæc ad putredinem tendit calorem maiorem in medio immersa manu percipimus, minorem aut nullum in extimo. Respondeo nec pariter calere in omni parte mistum neque calorem etiam auctum aquæ à misto exolui. Causa primi est quoniam calor misti cum ex Intentione incipit euaporare ea in misti parte magis incenditur, in qua multæ partes euaporantes conueniunt, vnde quando potuit promptè in medium penetrare vis externi caloris in medio etiam magis exardescit hoc consurgit in frumenti massa. causa secũdi autem exoluitur tardius, calorà misti partibus magis compactis, & terminatis facilius à minus compactis quod castanea diximus, cui etiam applicatur, quod de calore nunc dictum est.

QVÆSTIO 39/8

Quomodo corruptio caloris innati misti operetur eductionem, siue separationem humidi à sicco.

QVoniam sæpè dictum est ob corruptionem caloris innati humidum eiusdem misti educi, & separari à sicco. quætitur hic modus. Iam verò dictum est modum esse, quoniam calor coeuaporare facit. nec sanè nunc eum refuto, sed placet alium etiam adiungere; & est dum calor naturalis imminutus est in terminatione nõ posse patibiles qualitates amplius continere vnde singula miscibilia abeunt. humor ergo pro sui natura fluit vt duplici modo exeat humidum partim à calore in vaporem tenuatum partim fluens ipsum per se ruptis iam terminationis vinculis: fluens eiusmodi humiditas est, quæ reddit conspicuè humida putrescentia ab initio, vt ab initio, vt Aristoteles dixit paulò priùs, & part. 19.

QVÆ

QVÆSTIO 31/9

Vtrum definitio data ab Aristotele sit conuertibilis cum putredine.

DOcet nos Aristoteles in 6. Topicorum definitionem, nedum oportere esse veram, sed conuertibilem prӕterea, & quidditatiuam conditio hęc quòd quidditatiua sit conuenit definitioni essentiali non causali, ac conuertibilitas conuenit vtriq; quӕramus itaque vtrum hӕc putredinis definitio, quam nos causalem asseruimus, sit conuertibilis, multa sunt, quӕ non conuertibilem monstrent. videtur enim aliquӕ esse mutationes, quibus conueniat definitio, nec sint putredines, & contra aliquibus putredinibus non conuenire definitionem. Est ergo prior obiectio. Combustioni conuenit definitio putredinis, & combustio non est putredo. ergo alicui conuenit definitio putredinis, quod non est putredo. Quarta in hyeme multa putrescunt. in hieme non est calor ambientis quinimò maximus rigor. ergo non omnis putredo est à calore ambientis. Quinta humores in animali tum in venis, tum extra putrescunt, & non à calore ambientis. ergo aliqua putrescunt, & non à calore ambientis probatur non putrescere à calore ambientis, quoniam putrescunt cum obstipati sunt pori, & prӕclusa est transpiratio, adeoq; prӕclusus aditus exterioribus qualitatibus, at si putrescerent à calore ambientis tum maxime fieret putredo, cum aperti sunt pori, & patens aditus qualitatibus extra ingruentibus. Sexta si putredo communis esset à calore ambientis mistum in vacuo non corrumperetur, sed hoc falsum: corruptibile non corrumpi, ӕternumq; perseuerare, & contra Aristotelem 1. de Cӕl. in fine, ergo non est omnis putredo a calore ambientis. Septima pariter mistum in centro terrӕ positũ non corrumperetur vtrumq; argumentum eodem nititur fundamento, scilicet misti corruptionem, quà misti esse putredinem. non putresceret verò mistum, neque in vacuo, neque in centro, quoniam neutrobi esset calor ambientis. Octaua putrescit interdum pars ex contactu partis putridӕ continuӕ, vt in cancrena nulla ibi ambientis caloris vis videtur ac operatio. Ergo non omnis putredo à calore ambientis procedit. Nona ratio Putredo est dissolutio misti in elementa, & ab initio terminationis corruptio. separatio scilicet humidi à sicco. humor autem potest ipse quoque ab humido agente, adeò intendi, vt vincat vim continentis caloris etiamsi ipse permaneat in suo vigore, ergo etiam ab humiditate ambientis excedente potest humor misti adeò intendi, & augeri, vt ruptis vinculis terminationis elabatur siccum deferens. non ergo necessario omnis putredo est à calore ambientis. Secunda elixatio non est putredo, at elixationi conuenit definitio, ergo definitio conuenit alicui mutationi, quӕ non est putredo. Tertia assatio pariter conuenire videtur definitio.

1. obiectio.
4.
5.
6.
7.
9.
2.

Vtrum duæ vltima debent esse 2. & 3.

Conuertibilem esse hanc definitionem tueri debent Peripatetici secus male definisse Aristoteles, neque enim excusaretur eo quòd definitio sit causalis: causalis enim definitio ipsa quoque debet conuerti ex eiusdem Aristotelis dogmate. de modo solum conuersionis pot est esse inter eius sequaces controuersia, sed Medici quoq; videntur conuenire in causali definitione cum Galenus quoque in definitione putredinis externam caliditatem, vt causam ponat: definit enim esse mutationem ad corruptelam totius substantiæ putrescentis ab externa caliditate. verum hoc inter Galenum, & Aristotelem interest, quod ille solam caliditatem externam, vt definitione causalem ponere videtur. hic totum illud corruptionem caloris innati in vnoquoque humido à calore externo, vt iam exposui. at certò caliditas externa non conuertitur cum definito. non enim statim atq; calor externus in rem aliquam agit ad putredinem adducit neque enim æstate, neq; vere omnia putrescunt, neq. etiam spirante noto siquidem caro viua plurima tum non putrescit, licet mortua putrescat, non etiam arbores, & demum multa estate multa vere egent etiamsi calori exposita hęc vehementi, hæc refracto, siue lento, vt requirit Zabarella, non ergo statim atq; est calor externus, agitq; in mistum, statim sequitur misti putredo, iam ergo supponentes totam Aristotelis definitionem causalem de modo conuersionis restat dubitatio vtrum conuertaur cum putredine, vt primo analogato an conuertatur cum ea secundum totam analogiæ, vel (si cui placeat magis) attributionis extensionē, & si conuertatur cum extensa putredine causa: vtrū causa ipsa secūdū analogiā extēsa adęquetur putredini: an præcisè, & formaliter sumpta. declaro si corruptione caloris innati ab externis propriè, & vniuocè sumpta efficiatur omnis putredo siue absoluta, & propria, siue impropriè, siue naturalis, siue violenta, si detur putredo violenta, causa præcisè sumpta, & formaliter erit conuertibilis cum tota putredine etiam secundum extensionem capta, quod si non pendeat verè, & propriè à corruptione caloris innati à calore externo omnis putredo, sed aliqua ab eo, quod vicem gerat caloris externi, vt si fortè ob antiperistasim frigus possit augere calorem innatum absque tamen conspissatione pororum, vt calor ipse obauctus è misto exeat non erit ea putredo à calore externo, nisi secundum analogiam. In hanc ego declarationem deuenio, & descendo esse scilicet causam secundum analogiā ęqualem putredinem, & reciprocam putredini, secundum analogiam extensę. Soluo nunc rationes contrarias. Prima soluitur multis modis à multis scilicet diuersis à diuersis Buccaferreus soluit duas significationes in definitione putredinis contineri. recessum à commensuratione, quam quisque calor habet cum suo humido, quæ commensuratio in varijs mistis varia est. Hæc commensuratio tollitur, cum calor supra requisitam commensurationem augetur. Secunda significatio est (quam, & secundarium signum vocat) quod calor auctus agat in proprium humidum educendo ad exteriores partes, & resoluendo ipsum in vaporem, qui expiret & euaporet per poros illius corporis, ad hocq; secundum significandum Aristoteles ea verba apposuit [in vnoquoq; humido] scilicet in proprio humido hęc in summa Buccaferreus, quam solutionem non reprehendo ex eo, quòd falsa dicat, sed quod applicata definioni vim illi faciant, &

à re

a tenore dimoueant definitionis, quæ debet esse plana, neque quicquam illi subintelligendum ex Aristotele 6. Topicorum. debebat ergo ostendere quomodo absque subintellectione tot significet definitio quot ipse in secundo signo ponit Zabarella (vt multas alias solutiones ommittas, quas ipse acrimonia sua inanes vocat,) soluit negando in combustione calorem agere in calorem, sed ostendit agere in frigidum. agit enim in gradus frigoris, quibus calor combustibilis cadit à summo calore. combustibile enim, vel est frigidum, vel medium inter summum frigus, & summum calorem qualitatatem obtinet contendit quoque in humidum agere, vel vt in materiam patientem, vel vt in contrarium, quatenus est sicut ignis. Non conuenit itaque definitio combustioni. Hæc illæ, quæ minus probabilem dubitationis solutionem meo iudicio continent, quàm reiectæ ab ipso. Illud primum obiectum patiuntur. in combustione nedum perire frigidum, & humidum misti, sed etiam calidum eius, immò & siccum, quæro enim dum lignum comburitur, & demum totum combustum est. Vtrum restet calor ligni, & humiditas ligni an pereant. certè perire est fatendum. nam si positionem amplectamur resoluentium in materiam primam compositum in corruptione substantiali iuxta Diuum Thomam oportet ponere interitum earumdem qualitatum in corruptione substantiali ligni iuxta etiam ponentium plures formas in composito, si qualitates illæ supersunt in corruptione ligni, vel transibunt ex materia ligni in materiam ignis, & transibunt accidentia de subiecti in subiectum, vel materia earũ occupabitur à forma ignis, euadetq; ideò materia ignis, & in eadem materia, portioneq; eadẽ materiæ erunt duæ caliditates, caliditas ligni, qu(superesse ponitur, & caliditas ignis, ergo in cõbustione calor corrumpit omnes qualitates non contrarias solum. Præterea si corruptio caloris in putredine tribuitur calori ambientis, quia ipsum educit ex misto. cur non tribuetur in combustione calori ignis, qui calorem misti (etiamsi superesse poneretur) certè ex misto tollit, dum mistum ipsum corrumpit. Quod si dicatur diuersa ratione corrumpi calorem misti in putredine, & in combustione varietas modorum non pertinet ad definitionem, quę sumit corruptionem caloris misti in vniuersum, & abstrahentem à speciebus, & modis corruptionis subiectis. in dictis etiam Zabarellæ illud noto combustibile habere semper aliquem gradum frigiditatis. at oportet satisfaciat auctoritati Aristotelis de Rep. cap. 5. vbi hęc habet. „ ipsa per se lucernæ flamma imposita in maiori flamma comburitur, sicut quodcunque aliud vstibilium. „ Hæc Aristoteles, si ergo flamma est combustibilis non omne combustibile habet gradum aliquem frigiditatis. Illud præterea noto, quod dicit ignem vt siccum agere in humidum. si ergo ignis quà siccus agit in humidum non aget in humidum vt in alimentũ adsumendum, vt dicit Arist. d. loco. nam aget in contrariũ depellendũ, siccũ enim in humidum agit, vt illud expellat non vt vindicet, & in alimentum sumat. Ego dico ex particula [in vnoquoque humido] præclarè distingui putredinem à combustione, & combustionem à definitione eximi. vidimus duplici modo à calore externo calorem misti naturalem perimi altero modo euocando calorem altero modo attrahendo papulum humidum scilicet primo modo calor prius corrumpitur, educitur scilicet, & posterius humidum.

midum. Secundo modo prius humidum, saltem natura deinde calor. in putredine illo modo fit, in combustione hoc secundo. Aristoteles ergo in definitione exprimit modum corruptionis caloris, qui putredini conuenit non combustioni dum dicit corrumpi calorem in humido, ita siquidem significat calorem prius perire, quàm humidum, immò illum educi restante adhuc humido. nam cum dicimus in facie perire rubedinem intelligimus rubedine abeunte adhuc superesse faciem, quòd si cum rubedine facies absumpta esset non diceremus in facie rubedinem perijsse, sed cum facie rubedinem: aptissimè ergo Aristoteles restringit ea particula definitionem à combustione ad putredinem. debet autem combustio definiri potius corruptio humidi misti, & cum eo caloris innati ab externa caliditate. immò ab ignea caliditate non quæuis enim externa caliditas, sed sola ignea comburit, definitio autem debet proximiorem causam includere 2. post. vel esse deberet definitio ad fugiendam copulatiuam. Corruptio humidi cum calore innato misti à caliditate externa, siue ignea: hæc mea solutio multo propior est solutioni, quàm Zabarellæ. Secunda, & eadem solutio accomodatur secundæ, & tertiæ obiectioni de elixatione, & assatione vtraque concoctio prima elicit humidum inde gradum caloris licet neutra omne humidum, omnemq; calorem exprimat. nam assatio retinet plures gradus humiditatis, quam elixatio, vt infra dicet Aristoteles vtraq; autem gradus retinet humiditatis, proindeq; & caliditatis naturalis misti in ea humiditate residentis. vnde cibaria elixata pro crasi antecedente plures, paucioresue gradus obtinent caliditatis, calidior siquidem est caro elixata, veruecina, quàm agnina. quòd si totus educeretur ex assatis humor, cessaret esse assatio, fieretque tostio, & demum pro concoctione combustio elixatio cum cessaret esse elixatio pro concoctione enim consumptio euaderet. Quartæ dubitationis solutio ab Auerroe affertur com. 7. huius 4. vel saltem ex eo loco elicitur, estq; calorem aeris ambientis contineri, & arctari à frigore circumfuso vnde calor ita constrictus, & coactus agit in mistum ab eo contentum, quòd si à frigore non cogeretur, & constringetur, dissiparetur is calor neque potis esset putredinem in misto facere, subiungit autem textibus sequentibus octauo, & nono de putredine, quæ fit hyeme ipsam paruam ab initio fieri; at id eius initium statim à subsequente congelatione proindeque exiccatione, exceptum. Buccaferreus hanc Auerrois doctrinam considerat, & reprehendit; interpretatur autem, ibi ex Auerrois sententia duplicem esse putrefactionem, aliam per resolutionem humidi à calore, quæ fit costate; aliam per expressionem humidi à sicco: dum enim frigus constringit mistum: ipsumq; condensat, exprimit ab eo humorem non secus (hoc sibi vult Buccaferreus) atque comprimendo spongiam aquæ plenam aquam exprimimus, expressa itaque humiditas, & extrusa à misto euanescit, mistumque putrescit. hæc est sententia Auerrois de mente Buccaferrei: at non recte ipse exponit Auerroem, qui eandem, & eodem modo fieri putredinem vtroque tempore sentit per dissolutionem scil. humidi à calore. sed eam ponit differentiam, quòd estate dissolutio caloris perseuerat, & sepe vsque in finem ac hyeme dissolutio caloris, & putredo non tandiu durat, sed succedit congelatio videmus. id in caponibus, sponte mortuis, & eiectis si enim non prius ab aliquibus carniuocis animalibus comedantur, primum
ali-

aliquam putredinem patiuntur, deinde si gelida sit hyems, congelantur, arescunt: non recte itaque exposuit Buccaferreus Auerroem, non etiam iuste reprehendit: quam reprehendit id ipsum dictum de putredine humidi quia non est illud dictum reprehensi Auerrois sed Buccaferrei reprehendentis. Attamen magnam patitur dubitationem responsio Auerrois nam si frigus intenderet calorem aeris circumstantis, mistum ex. gr. carnem expositam aeri quae demum die decima, vel vlteriore putresceret, oporteret calescere aerem circa carnem, quod sensus reprobat. ego itaque potius dicerem ex fundamento antea iacto. Quae hyeme putrescunt in maximis rigoribus non putrescere ex calore externo formaliter, & vniuoce sumpto, sed secundũ analogiam extẽnso, quae analogia in eo consistit, quòd est aliquis frigoris etiam magni gradus, qui potest ex antiperistasi intendere calorem misti, cui circumfunditur, calor autem misti obauctus ruptis mistionis vinculis elabitur ex misto, & educendo humidum facit putredinem, verum non tantam, nec tandiu quanta, & quandiù contingit in aestu; cum superueniat congelatio, nec etiam calor ex antiperistasi vim aequalem habeat calori aestiuo, vel ex calore aestiuo caliditati misti incensae. fieri autem ex antiperistasi putredinem interdum fatentur Drusianus, Vgo, & Buccaferreus. Quod si congelatio anticiparet, & concretio res non putresceret rigore durante, vel etiam in lapidem concresceret, vt quibus interdum concrescere in lapidem adeòq; lapidescere contingit, & hac in parte Auerroes optimè dixit, dum putredinem hyeme factam paruam esse dixit & celeriter à congelatione reprimi hinc etiam soluitur obiectio vermium sub niue genitorum. Ad quintam illud primo repetendum, putredinem humorum non esse putredinem summa proprietate acceptam, vt anteà docui, vnde neque necesse est hanc putredinis definitionem omni proprietate conuenire ex proportione tamen conuenit. Continens autem humorem, cuius calor putredinem facit sunt venarum membranae cum vaporibus inclusis & non expirantibus ob pororum constipationem, qui vapores & habitus inspissati amplius calescunt, proindeq; humores in ebullitione ponunt, qui est aditus proximus putredini proximè consequenti, nam intensior, & auctus calor humorum difflare nititur, non potens autẽ euadere ob pororum constitutionem regurgitant, & huc illud praesertim ad principium recurrendo cor incendit, & mira fit omnium perturbatio. pomponatius quest. 18. post medium versus finem aliter dicit: vult enim ab aere in poros ingresso à fumis vaporosis repercussis ipso facto putredinem fieri, at si aer calefactus potest putredinem facere, cur non potius vapores ipsi, qui illum calefaciunt suo calore, idem operabuntur. Ad sextam supponit omnem misti corruptionem esse putredinem adeòvt hęc sint duo immediata extrema, vel putrescere, vel aeternum perseuerare, at est mistum, scilicet in aliud mistum transire, vt panis transit in carnem, & herba, &c. at illud praesertim est ad solutionem argumenti considerandũ, necessarium esse continuationem hoc est nexum harum rerum cum superioribus, ac cęlestibus, vt Aristoteles etiam monet vt harum virtus inde gubernetur, & pars gubernationis conseruatio est, vt sublata continuatione necesse sit fatescere omnem harum rerum virtutem, & desinere; in quod verò desinant, & quomodo alterius est indaginis. corrumpetur itaq; mistum in vacuo etiamsi fortè non putresceret. Sat sit nunc corruptum

iri

iri vtrum verò corrumperentur etiam elementa singula, eorumq; formę, & si omnes, eorumq; formæ singulæ vtrum materia nuda restaret, vt æterna, an destituta à continuatione in nihilum recideret disputent, quibus otium est, & in aptiore loco. Ad septimam rationem. mistum positum in centro terræ probabiliter lapidesceret, non putresceret. alicubi videmus mista lapidescere, vt de Chirotheca Federici Imperatoris memorant, ergo id multò magis in terræ meditullio ex communi dogmate id credendum accidere, si scilicet solidam ibi terram non cauam iuxtà Theologorum positionem conciperet quis, at posita ibi gehenna ex frequentiore positione Theologorum. Ad octauam veniens difficilis fateor est dubitatio. Respondet Buccaferreus partem putridam habere rationem continentis ad partem vicinam, quam putrefacit, proindeq; illam quoq; à continente putrescere. sed impropriè dicetur continens id, quod ex altera parte tantũ attingit. Præterea cõtinens debet esse contiguũ nõ continuũ ex Arist. at partes sũt cõtinuæ inter se cuiusmodi præsertim sũt partes illæ, quæ in argumento adducuntur Pomponatius dicit partem putridam in finitimam partem dispositionem prauam, & putredini inducere obnoxiam: at putredinem postea gigni ab aere ambiente, quam tamen solutionem incertus veritatis affert solum accomodatam asserit resistendo argumentis contrarijs. cum ergo incertum se prębeat auctor ipse, neque nos pro certa accipere possumus verumenimuerò cum dubitatio hæc nos ad contagis considerationem trahat, cuius difficilima cognitio, ideo non mirum si vix extricari possit dicam ego quod nunc occurit cum pars partem inficit, id duobus modis accidere videtur: vel enim exedens est, vel mortificans infectio. est exedens in cancro vlceroso, in herpete, & id genus alijs; mortificans est veluti in cancrena; reliquæ infectiones ad has reducuntur: dimissis scilicet interim, quæ solam maculam inducunt, quæ partem subiectam in aliam temperiem adducunt, non autem ad misti dissolutionem tendunt, vt tendunt duæ priores. Mortificans infectio non ipsa per se mistioni opponitur, sed vitæ partis illius, quam sensu, & vita priuat, vnde absconditur, & auellitur, ne contactu suo partem vicinam corrumpat: pars ergo cancrena obsessa est mortua in viuente etiam animale non putrefacta, at putresceret deficiente iam vita nisi excinderetur, vt cadauera putrescunt ab ambiente non à morbo, & quoniam continuum non agit in continuum secundum Aristot. non pars ipsa solida in finitimam agit, sed vapores, eorumque virus ex inficiente parte in vicinam prorepunt, eiusq; vitales spiritus, ac animales, vitamque demum destruunt in infectione pariter exedente vapores halitusve acres permeant in vicinã partem, exeduntque humorem naturalem, & substantiam eius, quæ exesio potius combustionem redolet, quam putredinem, non secus ac exustio illa, quæ cauterium conficitur ex impositis cantaridibus, & annexis, quam compositionem ob id ignem mortuum vocant; non dissimilem vim ac facultatem acres ij vapores, ac virulenti obtinent, vt hac ratione nomen in his affectibus putrefactionis non propriè dicatur sed ex cathechesi siuè abusione. at concedendo in his etiam esse veram putredinem, præsertim in purulentibus vlceribus, respondeo putredinem eam fieri à vaporibus calidis ex infecta eleuatis parte, qui cum inde expirare non possint, incalescunt magis, atque in partem propinquam effusi eam obsident,

caloreq;

caloreque suo eiusdem partis calorem educunt, non secus atque antea de humorum putredine in vasibus diximus, abiens itaque in eiusmodi putredine erunt vapores dicti. Nona obiectio superest ad quam negari non potest quin interdum humor praeualens dissoluat terminationem, at non dissoluit mistum, adeò vt sit putredo, miscibilia siquidem restant in misto. declaro exemplo salis. Sal si in aqua ponatur, liquatur, adeoq; pristinam terminationem ammittit, attamen in sale dissoluto eadem miscibilia restant, nihilq; quod prius inerat abit. solum siccæ ab humidis euincuntur, ita vt ipsæ quoque fluant. at in dissolutione putrefactionis euaporaret, tenues effluunt aqueæ, supersunt terreæ, quæ non accidunt in dissolutione Salis. vt in putredine euocato calore interno ab externo calore aliquo, vel scilicet, & præcipuè ambientis, vel ab aliquo eius vicario, vt antea dictum est. Si frigidum excedat, concrescit non dissoluitur mistum. Si siccum superet, non effluit mistum, sed in se amplius mutat humidas partes, vt totum mistum siccius reddatur, minusq; dissolutioni accommodatum, consistentiores siquidem partes factæ longè ab effluendo absint.

Additio. Placet alias obiectiones adducere, quæ pariter impugnant definitionis conuertibilitatem, estque prior de febri. Erit siquidem omnis febris putredo, si corruptio caloris naturalis (eo modo, quo exponsita est corruptio) pro corruptione naturalitatis, non caloris ipsius accipiatur: nam in omni febre fit calor præternaturalis. ergo omnis febris est putredo: at hoc contra medicos, qui febrem aliam putridam, aliam non putridam faciunt. febris enim ephimera, & febris ethica non sunt pulridæ. Secunda obiectio est de pituita vitrea, quæ putrescit, & tamen omni in se calore destituitur, est enim frigidissima. ergo non omnis putredo est corruptio caloris innati, siue naturalis. Tertia obiectio est ex Medicis, quorum Auicenna lib. 4. canon. tres causas primarias adducit putredinis malos cibo opilationem, & malitiam aeris, & Vallesius duas facit primarias calorem præter naturam, & humiditatem. Primam soluo notando non omnē gradum caloris obaucti, & à naturali statu recedentis vocari corruptionē naturalitatis ab Arist. sed illum solum, qui euocare potest ipsum à misto, quē gradum sequitur scil. ea separatio humidi à sicco, in qua consistit essentia putredinis ad eiusmodi, ergo caloris naturalis, seu naturalitatis caloris sublationem restringenda est corruptio. quam Arist. in definitione reponit, vt antea quæst. 25. dictum est. Ad secundam de pituita vitrea, quę est dubitatio Vgonis. respondeo eiusmodi obiectioni esse putredinem vitreæ pituitę eiusdem generis, cuius diximus esse putredinem aquæ, & cæterorum elementorum infra ignem, ideòq; contineri nequacquam in definitione Aristotelis nisi per extensionem analogicam, addendo tamen id, quod sentire videtur Pomponatius in solutione pariter eiusdem argumenti, & penes illum Drusianus, & Gentilis esse in pituita vitrea calorem naturalem etiamsi paruum, qui tamen valeat continere in mistione elementa in eadem pituita, in cuius caloris eductione reponunt ijdem putredinem eiusdem pituitæ. Ad tertiam dicitur Auicennam adducere causas, quæ cognoscendæ sunt Medico ad curationem, vel ad præcauendum, at non sunt illæ immediata causa, & prima ex qua definitio causalis constat, & quæ medius terminus est demonstrationis potissimæ. Quoad verò positionem,

&

retinent præterquam duritiem. Secundum fundamentum est non esse definitione essentialem putredinis, neq; eius essentiam consistere in corruptionem formæ substantialis misti, & quoniam corruptio formæ misti duobus modis accipi potest; altero quidem pro ammissione formæ misti, sed subeunte forma alterius misti; altero pro totius mistionis abolitione cum mistum in elementa prorsus dissolutum fuerit in neutra præcisè consistere essentiam putredinis demonstro non consistere, &c. in prima formæ misti interitu probo, dum in nutritione frumentum transit in carnem, est ea corruptio frumenti, & generatio carnis, at non dicitur putredo frumenti, nisi secundum metaphoram. Cum tamen ibi mistum primum corrumpatur scilicet frumentum, & in aliud mistum transeat, nimirum in carnem. Non consistere etiam in dissolutione misti omnimoda essentiam præcise putredinis probatur. Quoniam essentia rei eatenus extenditur, quatenus ipsa res extenditur. at putredo est nedum in termino dissolutionis cum scilicet elementa fuerint omnia superata, & superest solum terra, & fimus: sed antea quoque vt supra non semel declaraui, ideo essentia putredinis præcisè non est ipsamet omnimoda dissolutio, neq; in ea consistit, secus ante eam dissolutionem integram, & absolutam non esset, neque reperiretur in re ipsa putredo, verbi gratia caro cum iam in cadaueris tabo diffluit fætore affligit, & verminationi largæ subest, non adhuc putresceret, quod est contra communem sensum, dictaq; omnium. Ex his fundamentis sternitur via ad propositæ definitionis essenialis indaginem. non ergo quæuis dissolutio terminationis sufficit ad putredinem constituendam, sed quę ad mistionis vlteriorem dissolutionem suaptè natura ducit. ea verò fit cum id, quod elementa in mistione continet separatur, est autem is calor naturalis ex superioribus, oportet verò ipsum ita deperire, vt humidum educat, & soluat ad effluuium è misto, secus non tenderet ad dissolutionem mutatio, neque ideo esset putredo: quocirca à calore alieno educendus est, vel constituendus, vt educatur, siue euaporet. si enim à frigore externo cogeretur concresceret amplius humidum non flueret. Hæc determinationis dissolutione, quæ ad putredinem requiritur, quæ ex fundamenro priore eliciuntur, nam cum terminatio cessat, vt in liquatis, ac fusis: at calor naturalis non soluitur, nec perit, sed permanet, vnde statim atque ignis subducitur cooperante frigore externo in pristinam terminationem reducit, tum non est putredo, quòd si euaporet humidum quoque subducitur, & terminatio in ordine ad vlteriorem dissolutionem corrumpitur, putredo iam est. Verum hoc addere oportet. Si exprimeretur in definitione ordinatio ad vlteriorem dissolutionem excluderetur à definitione dissolutio integra, quæ non ordinatur amplius ad dissolutionem vlteriorem. Abstrahere verò aliquid commune postremæ dissolutioni, iamq; in termino, & ad illam tendenti, si conemur, nihil æquè aptum erit, ac illud, quod multi vsurpant, scil. separatio humidi à sicco, hoc enim vtrique dissolutioni conuenit, & quæ in primo ingressu, & quæ in fine habetur. Iam verò dixi corruptionem terminationis eius requiri, quæ ad formam misti suscipiendam, ac retinendam est necessaria, qua sublata pereat forma misti. in definitione ergo essentiali est ponenda corruptio formæ misti, vt terminus: sed quænam corruptio formæ misti est intelligenda? an quæ in formam aliam misti terminet, an quæ in absolutam

lutam dissolutionem elementorum tendat? Respondeo corruptionem esse intelligendam, quæ ab hac, & ab illa abstrahit est scilicet intelligenda ea corruptio, quæ præscindit ab eiusmodi differentijs, vt animal à rationali, & ab irrationali, dum in tota latitudine sua definiatur putredo. hæc ergo debet esse definitio essentialis, dum pars eius explicitè ponatur. Separatio humidi à sicco, quæ pertigerit ad interitum formæ misti quà misti. Hæc essentialis definitio mihi videtur satis accommodata & veritati, & menti Aristotelis, & quoniam interitus formæ misti, & corruptio misti idem sunt, & separatio humidi à sicco est dissolutio terminationis, potest pariter definitio eadem hoc alio modo exponi. Corruptio misti, quà misti cum dissolutione terminationis eidem misto necessariæ. dum dico autem esse informem definitionem menti Aristotelis, id ipsum constat ex indagine nostra eius sensus iam habita. Sed clarum, & hinc fit cur Aristoteles potius causalem, quam essentialem definitionem adduxerit: nam hæc per se parum omninò luminis ad cognoscendam putredinem exhiberet, cum & ipsa ex definitione causali illustretur, vt indago proxima nostra monstrauit. Esset autem definitio integra, & perfecta ex causali scilicet, & essentiali compacta. Separatio humidi à sicco, quæ pertigerit ad formæ misti interitum ob corruptionem caloris in ipso humido à calore ambientis. esse verò definitionem traditam pro essentiali ad Aristotelis mentem elicitur ex Aristotelis dictis in superioribus proximis particulis, particula enim decimanona dicit humida primo fieri. quæ putrescunt deinde sicca. indicant hæc verba separationem humidi à sicco confirmat particula vigesima prima, in qua Philosophi hæc sunt verba. „ Fit autem corruptio, cum id,
„ quod terminatur. dominatur ipsum terminans; qualitates scilicet passiuæ
„ vincunt actiuas. Actiuæ verò continebant in terminatione passiuas,
„ dum eas vincebant. dum ergo vincuntur ex terminatione passiuæ exeunt.
„ humidi verò est effluere, & elabi, siccumque deserere, at subijciet quispiam non esse saltem ad mentem Aristotelis postremam particulam: interitum scilicet formæ misti, huius enim non facit mentionem Aristoteles in definienda putredine quo nomine reprehendit Aristotelem Argenterius. At non rectè hoc dicitur, est enim ad mentem Aristotelis in putredinis essentia contineri formæ misti interitum, vt in commentarijs exposui, & ostendi, proindeq; ex eius mente est in definitione essentiali includenda, ipseq; conclusisset si definitionem essentialem tradidisset, vt causalem tradidit: at essentialem solum innuit, non tradidit, neque elaborauit eam ob causam, quam mox dixi. & hoc de mente Aristotelis sentiendum. ratio, quam adducit Argenterius, cum enim Aristoteles commune contrarium esse afferat generationi substantiali putredinem, & in generatione substantiali includatur formæ substantialis inductio, vt ego explicui, oportet etiam in putredine includi interitum formæ substantialis. hucusq; rectè argumentatur Argenterius. At dum postea reprehendit Aristotelem, quod in definiendo putredinem corruptionem formæ substantialis non meminerit, seu solum corruptionem caloris ipse se reprehendendum exhibet non cognoscens Aristotelem tum causalem definitionem afferre non essentialem. Assignata ergo essentiali definitione putredinis, quam ego veram, & de Aristotelis mente arbitror restat alienas definitiones excutere. Prima ergo, quæ erat esse corruptionem

substan-

substantialem misti, qua misti in iustam censuram incidit, vel .n. sensus eius est corruptionem esse totius mistionis, ideoq; corrumpi mistum, qua mistum quoniam tota abolita est mistio, & in elemēta penitus dissolutum est mistū. vel sensus est corruptam esse formā misti eo quòd factus sit transitus in alterius misti formam, vel per integram elementorum separationem, dissolutionemq; vtro in sensu accipiatur definitio, non est bona. Si .n. primo modo sumitur corruptio frumenti, ac mutatio eius in carnem, quæ fit in nutritione, erit putredo; quod tamen non est dicendum. in ea .n. mutatione fit transitus à forma frumenti, quod est mistum in alterius misti, scil. carnis formā. definitio itaq; in hoc sensu, esset latior definitio. In 2. autē sensu non conueniet putredini omni, sed soli putredini in termino. Galeni definitio etiāsi videatur ab examinata nunc definitione expressa per intentā imitationē: attamen verè differt cum recentior definitio habeat pro genere corruptionem substantiæ, & definitio Galeni mutationem ad corruptionem. attamen eidem difficultati subesse videtur. mutatio enim ad corruptionem non potest conuenire dissolutioni vltimæ elementorum, quæ est ipsamet totius corruptio, sed soli mutationi præuiæ ad eam tendenti, ergo definitio non conuenit putredini in termino. At Zabarella in eandem definitionem inuehitur ostendendo illam tum ab Aristotelica dissentientem, nec leuiter, vt aliqui Medici, sed grauiter, tum malam, ac repræhensibilem. reprehendit verò multipliciter primò quoniam conuenit definitio etiam combustioni. est enim ipsa mutatio ad corruptelam totius substantiæ à calore externo. at quoniam addit Galenus differentiam. (Putrescentis) dicit enim esse mutationem ad corruptelam totius substantiæ putrescentis, impugnat responsionem, quoniam ita non distingueretur à combustione putredo aliqua differentia, sed solo definito. Præterea definitum pars esset definitionis. Præterea adhuc non distingueretur à combustione nam inijciatur aliquod putrescens in ignem. combustio eius erit mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescentis à calore externo, nec iuuat, si putrescens tum per accidens comburi afferant. nam neque per accidens potest alteri à definito conuenire bona definitio: secunda repræhensio est. Quod desit definitioni, & in definitione subiectum, tria siquidem in omnis accidentis definitione necessario reperiri asserit. Genus, subiectum, & causam. nullum verò est subiectum in definitione Galeni proprium. non enim ibi aliud subiectum est, quàm tota corporis substantia, quod quidem subiectum est nimis amplum; & commune. Tertia repræhensio est generis adhibiti: Est autem mutatio ad corruptelam totius substantiæ, quæ mutatio est nimis fusa. complectitur enim omnem præuiam alterationem ad quemlibet substantiæ interitum. at genus solet essentiam, & formam definiti significare. Has obiectiones relinquit Medicis soluendas. vt qui nullam ipse solutionem potis sit reperire, vtq; dicere vult nulla reperiatur vera, & solida solutio. Verum non difficilis adeò solutionis verè sunt. quoad primam enim obiectionem rectè dicunt, qui ly putrescentis restringere ad putredinem aiunt definitionem, & à combustione seiungere. Ad replicationem autem satis est adducere pro responsione Arristotelem 3. physicorum, qui in definitione motus ponit mobile in definitione specierum motus singula mobilia, vnde tex. 23. ita scribit. non enim immanifestum est quomodo definietur specierum vnaquæq; ipsius. Alteratio enim alte-

rabilis quatenus est alterabile, actus est. mutatio ergo, & motus per mobile, & mutabile definienda docet Aristoteles, ergo putredo per putrescens potest definiri, vel Aristoteles reprehendendus, quod non admittet Zabarella, vel Galeni definitio hac in parte excusanda, nec reprehendenda, contraquam fatetur Zaberella. replicationes verò eius quoniam soluantur à multis Peripateticis in proposito motus à me interim dimittentur. Illud vnum noto falsum esse, quod sumit definitionem non posse accomodari alteri à definito etiam per accidens. nam quæ per accidens sunt, ex. gr. quanta per accidens etiam participant definitionem quanti, ver. gr. albedo in quanta per accidens ad quantitatem subiecti parietis, & eadem ratione participet definitionem, quanti scilicet habere partem post partem. secunda obiectio deesse subiectum non deest subiectum fatetur id ipsum Zabarella, sed proprium. at falsum est si proprium dicatur hic ad putredinem, nam putrescens est subiectum proprium putredinis. vt alterabile alterationis. Si verò dicatur proprium, vt homo risibilitatis, quod subiectum est differentia per additamentum cuiusmodi subiectum solum conuenit affectionibus proprijs non accidentibus communibus eiusmodi subiectum non conuenit accidentibus communibus in plura scilicet genera fusis, vt est putredo, quæ mistis diuersorum generum competit. Tertia pariter non difficilè tollitur, nam reprehendere in eo genus positum: quòd sit commune est reprehendere genus in eo, quod est nota, & natura generis, quæ scilicet communitas est. at dicit esse nimis commune. verum dum à differentijs sufficienter contrahatur non est communitas etiamsi magna reprehendenda. æquè enim licet definire hominem esse animal rationale, & definire esse corpus mistum viuens sensitiuum. sed non hoc sibi vult Zabarella, verum mutationem ad corruptelam conuenire alterationi, cuius extrariæ ab essentia putredinis, & corruptionis substantialis, verbi gratia abundantius calescere est præparatio etiam ad corruptionem substantialem, & tamen non est putredo. cum non pertingat sæpè ad putredinem vsq: sed fallacias fortè nectit argumentator, nam voces, & orationes per se præsertim in definitione sumi debent non per accidens per se mutatio est, quæ denominatur à termino, & pertingit ad terminum, vt mutatio ad caliditatem est calefactio, nõn autem ambulatio dicitur per se calefactio, etiamsi ad eam tendat. mutatio pariter ad corruptelam est, quæ eam attingit dum per se sumitur, non quæ ad eam se habet per accidens. Prior etiam obiectio solui potest æquumq; est proniorem esse in defensionem, quàm in reprehēsionem doctissimorũ hominum modo sine præiudicio veritatis procedat defensio. sit fundamentum substantialis corruptio fit in instanti, vt simul fiat, & sit facta simul, scilicet sit mutatio, & mutatum esse. vnde corruptio substantialis est simul via, & terminus. sit secundum fundamentum. mutatio non est ad mutationem, nec motus ad motum. Aristoteles demonstrat 5. phys. vnde mutatio non est ad corruptionem, qua mutatio est, sed qua terminus. modo esse ad terminum corruptionis, ad eumq; tendere conuenit tum præcisæ corruptioni substantiali: tum præparationi, ac præuiæ alterationi ad corruptionem. & ita exponendo Galenum cessat prior obiectio. Potest ergo defendi, & iustè conuertibilitas definitionis à Galeno traditæ cum definita putredine. at duo ego minus præstare credo ad rigorem accuratæ definitiuæ, quæ tamen acri-

actiuia non est pariter exigenda à facultate subiecta, & subalterna qualis est medicina, atque exigitur à naturali Philosophia; magisq; à metaphysica, proinde arbitror eiusmod. rigore ·· laxandum in censura definitionis in medica facultate. Alterum eorum est obscurior explicatio essentiæ, cum licuerit clarius exponere. aliud est imperfectio definitionis causalis quoad primum. obscura sanè est expressio essentiæ, dum mutationem solum dicimus substantiæ, quoniam ex ea non aliud cognoscimus, quàm esse corruptionem substantialem misti. eaq; sola nobis conceptio putredinis obtunditur. quam corruptionis substantialis in vniuersum obtinemus. Differentia enim (putrescentis) etiamsi restringat, obscura tamen id restrictione facit, & vniuersalem conceptionem non mutante. Verum definitio, quam nos ex Aristotele deduximus scilicet separationem humidi eam ipsam mutationem clariùs, & distinctius offert. Inter conditiones autem ad rectè definiendum requisitas est clara interpretatione vti hec sunt Aristotelis verba 6 Topic. loc.5. „Sunt autem eius, quod non est
„ benè partes duæ. Vna quidem obscura interpretatione vti. oportet enim
„ definientem, vt contingit, quà ·· clarissima interpretatione vti., Definitio pariter causalis. à calore externo. est diminuta, & insufficiens, vt antea demonstraui, nec est in tanta propinquitate repetendum. hæc de Galeni definitione. Secunda definitio erat corruptio misti secundum totam substantiam prouenıens a frigore proprio vnà cum calore ambientis. hæc definitio eandem patitur reprehensionem, quam prima nimium, vel est restrictior, quam definitum, vel latior. Tertia definitio ex primo fundamento tollitur, nam in auro fuso terminatio deperit, & tamen non est putrefactum. non ergo conuertitur definitio cum definito. Quarta definitio erit pariter restrictior, quàm definitum, non enim conueniet putredini in termino, ad sustinendam ergo eiusmodi definitionem oporteret interpretari definitam esse, vel definiendam putredinem ex attributione, vel secundum analogiam pro primo attributo, vel primo analogato. quam opinionem supra non improbabilem duxi. at si accipiamus definitionem, vt vniuocè communem omni propriæ putredini, non potest sustineri definitio. Quintam iam aggrediamur hanc profert Vallesius, & Galeni auctoritate confirmat, verba Vallesij sunt com. eius ♣ in hunc librum, quæ placet exscribere. „ Antequam anima exhalet corpus non est
„ putre id, quod vel fætor significat euidenter (fætor enim est proprium ac-
„ cidens putredinis, qui vt exuberat, ita plus, aut minus esse processum in
„ putredine ostendit, vt dicit Gal. 1. prognost. com. vltimo, & 5. de simpl.
„ medic. facult. cap. 14.) nam cadauera non incipiunt fætere magna ex parte
„ ante secundum diem; postquam anima exhalauit., Hæc Vallesius, quæ non vera ego arbitror. putrescunt castaneæ, putrescunt multa poma absq; vllo fætore quinimò citria mala cum putrent suauem odorem efflant, non est ergo proprium accidens putredinis fætor, cui nequaquam cum ea conuertitur. Hæc de essentiali definitione putredinis dicta sint, & ad enunciandam meam sententiam, & ad alienas excutiendas. perfectam, & integram ex causali scilicet, & essentiali constantem attuli.

Annotatio, Additioq;.

Separatiò humidi in definitione essentiali posita debet intelligi cum effluxit humidi spontè naturæ quomodo humidum liberatum ex vinculis

terminationis effluit. Secus enim etiam in combustione separantur humidum, & siccum, vnde ad maiorem claritatem addenda est ea particula sponte naturæ, vt sit tota definitio separatio humidi sponte eius naturæ à sicco cum pertigere ad formæ misti interitum.

ANNOTATIO SEPTIMA

In Cap. Tertium. Part. 30.

[In hyeme enim paucum est.]

IN Commentario in trigesimam particulam reieci considerationem ampliorem conclusionis, & rationis in hanc annotationem. quoad propositiones itaq; maior est consideranda, & expendenda est ratio quandocunq; calidum ambientis scilicet est exiguum, nihil potest agere. In hyeme calidum ambientis est exiguum. Ergo in hyeme calidum ambientis nihil potest agere. Maior propositio simpliciùs accepta, seu in simpliciorem transumpta ex monito Aristotelis in analyt. in eam resoluitur. Exigua qualitas nihil agit in præualentem scilicet qualitatem nititur, quàm maximè satis communiter iactatæ. actio fit ab agente maioris proportionis; non ergo poterit calor exiguus qualis in aere est hyberno tempore agere in calorem contentorum mistorum, partus scilicet animalium, aut plantarum, quæ partes sunt calidiores tum aere ipso, neque si limitetur maxima, (quæ est eius communis limitatio) procedere in actione primaria, non de reactione, adhuc tollitur argumentum, nam sumus in actione primaria non in reactione in hoc negotio putredinis. ad tollendam hanc difficultatem duo modi occurrunt respondendi. alter quem in commentario adhibuimus. Verba Aristotelis esse sumenda comparatiuè, vt sensus eius sit cum dicit (quare nihil potest) minus multò posse, quàm tempore æstiuo, quæ sanè responsio congruit reliquis ibi Aristotelis verbis, & præcedentibus, & sequentibus. At ex ijs, quæ dicta sunt in quæst. 31. ad quartam obiectionem possunt etiam verba absolutè exponi. ibi dictum est hyeme putrescere res non à calore externo vniuocè, & formaliter sumpto, sed per analogiam extenso, quia scilicet frigus tum ambientis eius est gradus, & earum virium, vt possit ex antiperistasi intendere calorem misti, adeò vt is obauctus euaporet, & exeat à misto cuius antea miscibilia continebat, dum priorem moderationem retinebat. Si ergo calorem ambientis vniuocè accipiamus is nihil potest agere in præualentem calorem misti: at potest calor analogicè sumptus. maior verò est actio caloris primo quam secundo accepti, ideò Aristoteles concludit minùs putrescere, non verò nihil putrescere res hyeme. vnde verba (nihil potest) & possunt exponi comparatiuè tumq; cessat omnis exorbitatio, & possunt accipi absolutè tum ad calorem vniuocè, & formaliter sumptum restringenda est caloris significatio, & excipienda est extensio analogica. eritq; sensus calorem ipsum per se aeris ob sui debilitatem non educere calorem naturalem misti, at educi calorem eiusmodi naturalem misti à continente, intendente, &

augen-

augente calorem misti per antiperistasim, quoniam verò æstate calor ambientis per se augere hyeme ambiens eundem calorem intendit solum per antiperistasim, & minus calefacit ambiens cum calefacit per antiperistasim, quàm cum calefacit calore ipso præualente patienti. ideò minus calefacit hyeme, quam æstate, proindeque minùs putrefacit hyeme, quàm æstate.

ANNOTATIO OCTAVA

In idem Caput ad part. 33.

[*Quod mouetur & fluit minus putrescit.*]

DVbitabam in Commentario de progressu Aristotelis. pugnare enim videbatur cum conclusione ratio, vel contra conclusio cum ratione. ratio enim sumit nullam permutationem fieri in refluente à caliditate ambientis: at conclusio est minus putrescere, quæ fluunt, non autem nullatenus putrescere, vt concludendum videtur si nulla permutatio fiat in refluente ab ambientis caliditate. hic primo, & dispiciendum vtrum quæ fluunt quousq; fluunt putrescere possint. Ambiguus videtur fuisse Vallesius, dum in commentario huius particulæ scribit. „ Constat quoq; aquam „ lacustrem frequentissimè putrescere: fluuialem aut rarissimè, aut prorsus nunquam. ancipitem ergo se præbet difficilè ne putrescant an nullo pacto quæ fluunt. crederem tamen ego putrescere etiam posse, quæ fluunt licet multò difficilius quàm conclusa, & quiescentia. cum ver. gr. spirat nothus, & vapores insulubres aeri immisceantur potest putredo in aere gigni, & interdum gignitur etiam pristino flatu flabelletur. pariter aqua in canalibus ceruiensibus aliquam putredinem patitur ob terræ subiectæ, & in putredinem pronæ naturam. licet aqua eorum canalium fluxum, & refluxum aliquem obtineant. nisi fortè dicatur, tum solum putridas euadere, cum ob exiguitatem, non amplius refluunt, sed quiescunt. sed non satis vera responsio esset. dum enim fætens canalium ceruiensium adhuc fluxum, & refluxum aliquem retinent. Dum ergo putrescere, sed minus afferamus fluentia, tum restant exponenda verba (nihil facit permutari) possumus ergo exponere sensum tribuendo comparatiuum præ scilicet humoribus stantibus, præq; aere concluso, in quas res agit externa caliditas vehementer. agit eadem caliditas in fluentem humorem, & aerem fermè: nihil possumus fortè aliter tueri dictum Aristotelis exponendo illud distributiuè scilicet subsit pars A. humoris fluētis hęc primo ab imminente tum parte aeris tentatur calore. at non afficitur idem de parte aeris, cui secundo subijcitur, de tertia pariter de quarta, & alijs disponunt illæ ad calefactionem non calefaciunt cum abunde, præparata verò fuerit eadem pars A. tum à parte aeris, cum ita præparata subijcitur demum calefit, non secus atq; accidit in excauatione lapidis à centesima gutta; priores enim solum dispositiones centesima sola excauat. prior expositio fortè accomodatior grauitati Aristotelicæ, sed cum aliqua indulgentia

proprietatis sermonis, secunda nimis forsan subtilis. sed modo nascitur quæstio non spernenda, quam ob causam aquæ, & humoris motus tueatur à putredine aquam, & humorem. pariter motus aeris, ac perspiratio eius eum tueantur quinimo, & ventilatio res etiam solidas à putredine tuetur; aliquandiu tamen: non enim perennat.

QVÆSTIO 33/1

Vtrum præseruet, & quænam sit verè, causa; quamobrem motus præseruet à putredine.

HIC primo motus pro locali est sanè accipiendus non pro alteratione,& ita omnes accipiunt. motus item localis duplici modo capi potest,& à nonnullis capitur in hoc proposito pro motu, scilicet locali rei ipsius,quę præseruatur, & pro motu externo, quem illa excipit exemplum secundi, cum res ventilatur, & perflatur; suscipit nempe illa motum ventilationis non autem ipsa loco mouetur exempla primi multa passim occurrunt. De secunda hac acceptione non loquitur nunc Aristoteles,sed de prima solum, cum res ipsa mouetur. Verum, vt breuiter de secunda aliquid transigamus. Non omnis perflatio putredinem pellit, sed aliqua etiam producit, vt cum spirant austri res eius flatui obnoxiæ. de vinis est experientia in promptu cum cella vinaria patet eiusmodi ventis spirantibus vina facilè peruertuntur, & putrescunt: quod si fenestræ claudantur, nec aditum præbeant vllum, etiamsi ijdem venti dominentur, tamen præseruantur vina. perspiratio ergo, & ventilatio aliqua putredinem potius facit,quàm pellat. Aristoteles idem significat probl.18.sect.26. Quæ verò ventilatio à putredine præseruat? flatuum scilicet frigidorum, & siccorum quales Aquilonij. Secundo loco calidi, & sicci flatus à putredine minus quidem præseruant, præseruant tamen aliquatenus, vnde venti, qui ab arido solo eleuantur, vt qui à sabuletis Africæ fortè in ijs ipsis locis antequam associentur alijs spirando halitibus sunt calidi, & sicci, quales aliquos austros agnouit Aristoteles sect.26.probl.52.3.loco cum ventus fuerit omninò vehemens adhuc putredinem differt, vt qui subinde remoueat à corpore partes subinde aeris, nullamq; patiatur hærere, neque adeò perseueranter in illud agere. De hac aliena quæstione hæc satis. De motu rei ipsius nunc differamus. Distinguendus autem est primo rei motus. alius enim est per se. alius per accidens est motus per accidens, cum is ideo mouetur, quia est in mouente, vel in re mota, vt vectro apud Aristotelem, motus autem per se est cum res ipsa per se exercet motum, non autem alieno ducitur motu. mouetur inquam, quia ipsamet est subiectum motus non quia in alio reperiatur, quod sit subiectum dati motus. motus per se subdistinguitur in motum naturalem, & violentum. omnis motus est ab alio. motus naturalis alius ab alio, alius à se ipso. grauia, & leuia secundum Arist.mouen-

uentur motibus ipsis suis, deorsum, & sursum ab alio (quod tamen quomodo sit intelligendum alibi declaraui) mouentur autem à se ipsis animalia Aristoteles idem eod. lib. 8. phys. Ita distinctio motu quæri potest de singulis membris vtrum præseruent à putredine. De motu ergo per accidens non omnis videtur præseruare. testatur experientia vini, quibus enim annis sunt vina putredini, ac subuersioni obnoxia, facilius subuertuntur, quæ ex dolio in gutturnia, & phialas dimittuntur, quam in dolio quiescentia, cum enim inde extrahuntur sana sunt, at extracta breui tempore subuertuntur. motus etiam importuni animalium, & præsertim hominum in venis humores in ventriculo alimentum subuertunt, & est eiusmodi motus per accidens humorum, & alimenti. Quæramus modo de motu per se, & videtur omnis conferre ad præseruationem à putredine ex ratione Aristotelis, quòd scilicet, dum res subinde mouetur, non expectat defixam ambientis actionem, verum multò efficacius operatur agens in quæ defixa agat actione, quàm in quæ agit actione interrupta. Cum itaque omnis motus per se id ipsum præstet, vt res non expectet actionem defixam agentis, omnis etiam motus per se præseruabit à putredine ex vi rationis Aristotelis. Attamen non est conclusio in vniuersum vera: Contra enim potius aliqui motus violenti producunt ad putredinem, vt violentæ exercitationes, quæ animal ad lassitudinem, & colliquationem vsq; ducunt. ad lassitudinem inquam interdũ phlegmonis sensum habentã, quę ad putredinem potius pergit, quàm ab ea præseruet; & ratio adest cum motus violentus accendat calorem mobilis, iam ipsum intendit vltra gradum mediocritatis naturalis, proindeq; reddit ad euaporationem propensum, quæ erat causa putredinis, & hinc cessat ratio in contrarium adducta, nam etiamsi id operatur motus, vt ambiens minus defixa actione agat, quatenus tamen calorem mobilis eiusdem intendit, amplius ad putredinem adducat, quàm alia ratione abducat. Restat de motu naturali quærere. De quo est conclusio statuenda. Ipsum præseruare à putredine, quia non expectat defixam actionem agentis, cui rationi alia coniungitur. quod scilicet motus naturalis roborat, & perfectionem addit corpori cum actus secundus sit primus perfectio, & absolutio. natura ergo rei in motum exeundo roboratur, & perficitur. præseruat autem robur, & perfectio à corruptione adeoq; putrescibilia à putredine. Applicando itaque aqua fluens minus putrescit, quoniam præter rationem non expectandi actionem ambientis roboratur secundum naturam, & perficitur. hocq; multò meliùs est dicere, quàm quòd motus eius calorem intendat, neque enim aqua calida suaptè natura est, vt calorem solum præternaturalem participet, at calor præternaturalis intensus ad putredinem facit, non ad præseruationem à putredine. Sed contra conclusionem hanc adeoq; contra Aristotelis assertionem videtur esse Arstoteles ipse sect. 22. probl. 4. vbi dicit omnia corrumpi solere, cum mouentur. Ergo motus non præseruat à putredine, sed facit. Vicomercatus respondet Aristotelem in probl. non loqui de omnibus, quæ mouentur, sed solum de illis, quæ in vtribus continentur. quærit enim in eo problemate Aristoteles cur fructus arborum, & carnes &c. id genus vtribus vehementer inflatis contenta valeant incorrupta durare, &c. nec minus diligentissimè piccata, atque obscurata circum vndiq; fuerint. rationem reddit, quoniam corrumpi solent omnia,

cum mouentur, at non moueri ita inclusa, quia cum plenum sit illud spacium prohibet motum, qui sine inani spacio non agitur hæc est summa rationis. secundum ergo Vicomercatum vis rationis esset corrumpi in vtribus contenta, quia in vtribus mouentur; non autem in vniuersum corrumpi quas mouentur. at videtur restrictio potius esse effugium, quàm vt rationem Aristotelis demonstratiuam reddat, tueaturue, neque quæ ipse subiungit ad rationem reddendam cur in vtribus, & vasis opertis putrescant mota, solida sunt, efficaciamqꝫ habent. fortè melior est conciliatio dictorum Aristotelis hæc alia. non fit putredo, nisi fit euaporatio calidi, & humidi, quæ euaporatio est motus localis tenuuium. hoc ergo modo quęcunque putrent mouentur; non potest autem is motus fieri, nisi aer ambientis præstet aditum in seipsum euaporationem recipiens. cum verò vtres vehementer inflati sunt aer inclusus non potest amplius contrahi, vt locum præbeat alijs vaporibus. impeditur itaque is motus, &c.

ANNOTATIO NONA

In Cap. Tertium. In part. 34.

Eadem autem causa quoque.

CONclusio Aristotelis in part. 34. est: multum minùs, quam paucum putrescere contra quam conclusionem, aliqua sunt argumenta. cadauer magnum facilius putrescit, quàm paruum. aceruus frumenti magnus faciliùs putrescit, quàm paruus immò aduersus putredinem frumenti, & hordei extenduntur ad paruam altitudinem acerui, & ita quæ grana incaluerant, & refrigerantur, & à putredine præseruantur. pariter fæni, & palearum magni aceruí, atqꝫ calcati in fænilibus faciliùs putrescunt, quàm si parui fuerint, minus compressi. Respondet dubitationibus Vicomercatus posterioribus de aceruis frumenti, hordei, fæni, vnica responsione. Conclusionem Aristotelis accipiendam esse, ac intelligendam de continuo aliquo vapore, ita scilicet comparentur continuum maius, & continuum minus, non de multis corporibus simul congestis, ac congregatis. argumenta autem procedunt de his. cum conclusio sit de corpore continuo; vnde non afficiunt Aristoteli. Ego tamen credo conclusionem Aristotelis veram etiam esse, de congregatis, nedum de continuis, dum quæ congregantur non sint vitiata, verbi gratia putrescunt grana aceruata cum humida, & non bene sicca reponuntur. calescunt enim aceruata, inde putrescunt. iuuat verò ad refrigendum, dum se extendantur, vt tota perflata refrigerentur. quòd sicca reponantur nedum marcores acerui faciliùs corrumpuntur, quin etiam magis conseruantur, nos, qui in foueis frumenta reponimus experimur cæteris paribus magis se tueri ab alienis iniurijs magnas foueas, quàm minores cum ambæ repletæ fuerint. idem de fæno dicendum si fæna non satis exiccata reponuntur putrescunt quo maiores etiam compactiores fuerint, ea enim amplius calescunt, & putrescunt, immò interdum incenduntur, quod si abundè exiccata in

fęnilibus collocentur maiora fęnilia plena minoribus itidem plenis diutiùs conseruabuntur. Ad obiectionem de cadauere Vicomercatus eam soluit dicendo ideò corrumpi maius cadauer facilius ac putrescere: quoniam calor naturalis iam sit extinctus, maiorq; in eo copia humoris, quàm in paruo cadauere sit, sed solutio hęc potiùs arguit, quàm defendat Aristoteles, nam quęcunque causa sit, dum maius cadauer facilius putrescat minore semper colligetur hęc conclusio. Aliquod corpus maius facilius putrescit minore. quę est contradictionis conclusionis Aristotelicę. omne multum difficilius putrescit, quàm paucum. Ego igitur respondeo negando cadauer magnum cęteris paribus magis putrescere, quàm paruum. putrescet magis, si corpus magnum pinguedine superet minus. si sit humidus pro proportione, quàm minùs. at si æquè tereta cadauera sint, ęquèue sicca crederem faciliùs aliquantò putrescere minus. nempe maius pro maiore virtute secundum potentiam, non secundum gradum ex superius dictis magis resistere agenti.

ANNOTATIONES

IN CAPITVLVM QVARTVM

De Concoctione, & Incoctione

Secundum meam Sectionem.

ANNOTATIO PRIMA.

In part. 37. ibi. Ex subiectis natura constantibus iam.

VErba hæc, quæ respondent adamussim græcis ego exposui de rebus iam genitis, non autem generandis, vt sit sensus concoctionem non esse, neque pertinere ad res vt generandas, nequæ vt corrumpendas, in quibus sedem habent generatio, & corruptio, putredoq; sed ad res vt genitas in hisq; vt in subiecto suo residere: vnde deduxi concoctionem veram, & vniuocam esse cum præsertim humores iam geniti chylus: sanguis suam perfectionem recipiunt, quam potes sunt recipere retinendo formas suas, chylus quidem chyli: sanguis sanguinis, idemq; de alijs. confirmaui sententiam ex ratione boni, & perfecti; quæ non procedunt ex ipso esse substantiali, dum de simpliciter bono, & perfecto loquamur; sed ab esse superaddito. dogma formauimus cum Auctoritate D.Th. tum re ipsa: sequitur ex his itaque eam mutationem, quæ in formam substantialem terminatur, non esse simpliciter perfectionem, ideoq; non esse simpliciter concoctionem. verum in his multos haber sententia mea aduersarios, vt necesse fuerit sententias aliorum hic indicare, quod nunc (breuiter tamen) præsto. In expositione ergo propositorum verborum ex subiectis natura

natura constantibus iam, Vicomercatus apertè consentit; Alexander Aphrodisiensis videtur etiam potius eiusdem sententiæ habendus. licet non adeò apertè loquatur, vt apertè restringit corpora eiusmodi natura constantia hic ad animalia, & plantas, & demum inter Interpretes, qui mihi nunc adsunt non video, qui apertè in expositione horum verborum dissentiat, at in ijs, quæ interpretationem consequantur, discrepant multi à mea quidem sententia: at simul à sua expositione. Nam Vallesius & multi arbitrantur perfectam concoctionem esse cum in formam substantialem tendit, at mutatio in formam substantialem est rei generandæ, non genitæ, ac natura iam constantis. non ergo si expositionem sequamur, erit concoctio [vniuocè sumpto nomine,] tertia secundum Medicos concoctio, qua adiectus sanguis à priore natura iam deficiens in idoneam alendæ parti substantiam conuertitur: cum sit ea mutatio secundum substantiam. ex his ergo determinatur quæstio sequens.

QVÆSTIO 34. remissiuè.

VTrum perfecta concoctio sit illa, in qua introducitur noua forma substantialis, an in qua retinetur forma substantialis pristina additurq; gradus, potentiaue pro rei capacitate. Vallesius, & communior sententia vult esse perfectam concoctionem, in qua continetur noua forma substantialis ego contra rationes meas in hac ipsa annotatione significaui prius adductas in digressione ad part. 40.

ANNOTATIO SECVNDA

In Cap. 4. Ad Part. 40.

Concoctio est perfectio à naturali.

EXplicui ego definitionem iuxta meam sententiam, at cum discrepent multi in ea exponenda, pręterea verò dubitationes plures, quę aduersus definitionem suboriuntur, non eodem modo solui iuxta meam expositionem, atq; iuxta alienas possunt. neq; ego solutionem omnibus applicuerim pręstat nunc ex integro definitionis examine resumpto vna indicare alienas expositiones grauiores tamen, & dubitationes suborientes aduersus definitionem adducere, & singulas soluere. sunt tot particulę definitionis. aduersus singulas dubitationes oriuntur, in tres ergo disputationes partiar ego examen propositum. singulę verò disputationes multas obiectiones continebunt.

QVÆ-

QVÆSTIO $\frac{15}{1}$

Vtrum rectè assignetur concoctioni pro genere perfectio.

CONtra genus hoc ab Aristotele assignatum multæ obiectiones ingruunt. prima est perfectio. est nomen transcendens, at non ponendum transcedens in definitione ergo nō rectè in definitione ponitur perfectio. Secū- *Lib.6.Top.*
da concoctio non est trāsmutatio vna. Perfectio est vna mutatio. omnis.n. perfectio est vna perfectio. Ergo concoctio non est perfectio. maior probatur scilicet concoctionem non esse transmutationem vnam. probatur nam fit ex pluribus mutationibus concurrentibus. prima quarum est calefactio humidi, secunda attenuatio humidi, tertia euaporatio humidi, quarta humidi constantia, & perfecta eius commistio cum sicco. Tertia obiectio. Omnis motus est imperfectus. definitur enim actus entis in pontentia, &c. Concoctio est motus. Ergo concoctio est imperfecta, non perfectio. Quarta datur superfluè concoctum, & non datur superfluè perfectum, ergo concoctio non est perfectio. Quinta. Non datur magis, & minus perfectum, sed datur magis, & minus concoctum. Ergo concoctum non est perfectum. maior probatur ex 5. metaphys. cap. de perfect. perfectum est, cui nihil deest. At pro affirmatiua parte est, nedum auctoritas Aristotelis, sed res ipsa. concocta enim dicimus, quæ in suo genere sunt perfecta, & non antea, neque dicemus elaboratum, & absolutum, ac perfectum sanguinem, antequam sit plenè concoctus, neque vicissim concoctum dicemus, antequam sit elaboratus, & perfectus. restat ergo dubitationes singulas soluere. Primæ respondetur (Buccaferreus refert, & sequitur) perfectionem sumi posse, vt transcendit omne genus: est enim omne genus perfectum, & sumi posse, vt limitatur ad genus aliquod, vt nunc ad genus qualitatis primo modo nō potest reponi in definitione, secundo modo potest, & ita reponitur in præsentia, verum non videtur rectè dictum. hic definiri concoctionem, vt qualitas est, cū definiatur, vt operatio actiuarum expositione priùs facta part. 8. & nunc part. 37. sitq; operatio transiens, quæ ex nullius sententia sit qualitas. operationem sanè immanentem multi in prædicamento qualitatis collocant; neque etiam rectè dicitur perfectum esse transcendens, quod omne genus sit perfectum, licet omne ens sit bonum, non enim idem est esse bonum, & esse perfectum, neq; obijciatur perfectionem conuenire varijs generibus, nempe in qualitatis genere esse aliquam perfectam in quantitate etiam. item in substantia, &c. nam aliud est conuenire pluribus prædicamentis secundum denominationis præditionem, aliud secundum prædicationem rectam. Illo enim modo etiam color prædicatur de diuersis generibus, vt de substantia, vt bos est coloratus, & de quantitate scilicet superficies est colorata. perfectio pariter, vt mutationem importat, est in genere mutationis, quæ cum genus passionis non extendat, non esse videtur

tur transcendens. perfectio verò hoc modo importat mutationem absolutam penitus rem subiectam. Ad secundam dicit Buccafferreus perfectionem per se, exq; ratione sua formali vnicam esse mutationem, est nempè condensatio, & constantia humid', per accidens autem esse plures mutationes, quæ ad eam requiruntur. notandum verò tum concoctionem, tum perfectionem pariter esse vnam mutationem, & plures, nam tum ad concoctionem tum ad perfectionem plures mutationes eodem modo exigũtur præuiæ scil. plures, ac formaliter, & postremo vna. Ad tertiam [motus est imperfectus; concoctio est motus, &c. Ergo concoctio est imperfecta, ergo non est perfectio.] Dicitur perfectionem, vel sumi pro termino, vel pro via ad terminum. si pro termino perfectio non est motus, mutatio ue, sed qualitas permanens. si pro via est mutatio, quæ secundum genus suum est imperfecta cum sit successiua, aliquaq; ideò illi pats subinde adijciatur; licet tum quoque, vt scilicet mutatio est perfecta ratione termini, quoniam motus à termino ad quem spectet contrahit perfectum est cui nihil addi potest. De concoctione idem pro via est imperfecta, quæ mutatio est. at ratione termini, tum quoque perfecta dicitur, vt mutatio ad terminum ad quem speciem sumit, at concoctio pro termino, quem inducit non est mutatio, sed terminus mutationis ad quem, & hoc modo non ordinatur ad vlteriorem sui partem. ad rationem itaque maior concoctio est motus, seu mutatio conceditur, dum sumitur pro termino. maior verò omnis motus est imperfectus vera est ratione successionis falsa ratione termini. cum enim mutatio denominetur à termino, cuius terminus est perfectum ipsum, & esse perfectum est hac ratione perfectanea imperfecta. rursus ex distinctione perfectionis si perfectio sumatur, & ipsa pro via potest de aliqua mutatione prædicari, & hoc in significatu non admittitur absolutè maior omnis motus est perfectus cum aliqu's sit perfectio, dum autem sumitur perfectio pro termino. Tum conceditur maior. Nulla mutatio est perfectio. & etiam nulla concoctio est perfectio, at concoctio sumitur pro via, at verò, vt sumitur pro termino falsum est concoctionem esse mutationem. Cum verò hic ego exponam potius concoctionẽ pro operatione, & mutatione sumendam. Contrahenda est solutio ad hoc caput. quod cõcoctio etiam pro mutatione sumpto est nedũ perfecta, sed perfectio, vt perfectio cõuenit mutationi; cõuenit autem ratione termini, quando scilicet terminus fit ipsum esse perfectum. Ad quartam rationem, Negat Buccafferreus dari superflue coctum concedit quidem non dari superfluè perfectum. negat autem dari superfluè concoctum, & quia probat dari superfluam eiusmodi concoctionem Auicenna in 1. can. quoniam ex superflua concoctione sanguinis bilem gigni dicit ergo datur aliquid superfluè concoctum. adhuc Buccafferreus. si sanguinem (inquit) respiciamus, & attendamos non est concoctio cum bilis gignitur, sed corruptio. si bilem verò ipsam spectemus, est eius concoctio, non supercoctio. At nescio quàm verè negetur supra coctio in sanguine cum bilis gignitur. Esto enim corrumpi sanguinem cum gignitur bilis attamen vltra gradum concoctionis perfectæ sanguinus est vlterior aliquis gradus concoctionis cum adhuc restat sanguinis forma, tumq; sanguis erit necessario supra coctus, & superfluè coctus. Ego itaq; potest instarem formæ syllogisticæ; non enim est sanus syllogismus datur

super-

superfluè coctum non datur superfluè perfectum. Ergo concoctio non est perfectio. syllogismus est ex quatuor terminis, aut perfectum, aut superfluè perfectum concoctum. esset idem ratiocinandi modus. si diceremus datur misericors superfluè misericors nullus probat superfluè probat, ergo nullus probat misericors. datur diues qui superfluè est diues nullus liberalis est superfluè liberalis: rursus enim est in medio. ergo nullus liberalis diues, quod est falsum, & mirandum est Philosophos graues admittere fallaces argumentandi formas cum tamen prius sit secundum Aristotelem occurrendum vitio formæ syllogisticæ, si adsit, quàm vitio materie. Ad quintam. Responsio est Buccafferrei perfectum aliud esse simpliciter, aliud secundum quid. perfectum primò modo non suscipere magis, & minus, & ita definiri in metaphysica. perfectum secundo modo sumi hic, hocq; suscipere magis, & minus. At fortè melius diceretur distinguendo perfectum, secundum latitudinem, & secundum exquisitum gradum. declaro virtus est perfectio secundum Aristotelem 7. phys. at virtus habet latitudinem vt ipsemet docet 5.& hic in qua tota latitudine tamen,& simpliciter virtus, non secundum quid virtus. Perfectum itaque esse cui nulla possit fieri in eo genere additio accipiendum est de additione vltra latitudinem, non de additione intra latitudinem. intra latitudinem est perfectum suscipit additionem, & concoctum pariter. citra quam latitudinem adhuc est inconcoctum. vltra verò illam est supra coctum, adeoque ex concoctionis limitibus exiuit.

QVÆSTIO $\frac{5}{36}$

Vtrum concoctio sit à calore naturali, & proprio.

NON esse à calore [concoctionem] tanquam scilicet à propria, & adæquata causa multa suadent argumenta. Primum Aristoteles dicit supra has expositiones esse commune opus duarum actiuarum caliditatis, & frigiditatis, ergo non est solius caliditatis. Secundum contraria inductione ab experientia Medicorum. Humores enim calidi, & tenuiores, & biliosi coquuntur ad expellendum à frigore, non à calore. Concoquuntur enim à syrupis frigidis, & ab aqua frigidissima, ergo aliqua concoctio à frigore. confirmatur penes etiam naturales Philosophos, vt Theophrastum multi fructus non maturantur, nisi frigus superuenerit, ergo pariter adeps à frigore consistit membranæ, cum purior in eam sanguinis pars inciderit, at generatio adipis est concoctio quædam. ergo aliqua concoctio à frigore. Item spiritus animales ex vitalibus fiunt mediante frigiditate cerebri, at generatio ea spirituum est quædam concoctio, ergo aliqua concoctio à frigore. Item metalla à frigore concrescunt, & fiunt, eaq; generatio est cõcoctio, ergo aliqua concoctio à frigore. Tertium argumentum principale est. Quoniam si concoctio esset à calore, vel esset à calore rei, quę concoquitur, vel à calore cõcoquentis, ver. gr. vel chylus à calore

lore suo concoqueretur, vel à calore ventriculi, at à neutro. ergo non à calore chyli, vt videtur per se manifestum non à calore ventriculi, quoniam tum esset concoctio à calore externo non proprio rei, & æquè assatio esset à calore interno, & proprio, quia est is calor proprius ignis concoquentis, sicut is calor est proprius etiam naturalis ventriculi: Quartum argumentum. Quoniam quod excedit calore temperamentum mediocre perficitur à frigore dum ad temperamentum reducitur. ergo aliqua perfectio à frigore non omnes à calore. Hanc controuersiam iam antea agitaui, & tertium hoc potissimum argumentum consideraui, & solui, quoniam tamen obiectiones ex primo, & secundo argumento aliquæ fuerunt tunc ommissæ, ideò libuit hanc subiungere disputationem. Firmata ergo conclusione Aristotelis, vt antea quoq; firmauimus, & declarauimus, esse concoctionem à naturali, & proprio calore. soluendæ sunt obiectiones adductæ antea non consideratæ. Ad primum ergo argumentum. Quomodo non etiam à frigore procedat concoctio, Buccafferreus dicit frigus concurrere ad concoctionem per accidens; calorem per se: definiri autem res per ea quæ sunt per se, non per ea, quæ sunt per accidens, idcircò tribui nunc concoctionem soli calori in præsenti definitione, attamen verum est etiam esse commune opus caloris, & frigoris quatenus frigus etiam concurrit, & si per accidens. An præstat respondere concoctionem definiri hic, vt primo analogato pro scilicet concoctione viuentis, vt est functio animæ, non vt est introductio animæ. Instrumentum autem animæ est calor naturalis, non frigus. quocircà per solum calorem definitur concoctio. vt verò concoctio secundum analogicam extensionem accipitur. est etiam à frigore. vel expeditior erit solutio, si dicamus sensum dicti Aristotelici cum dicit considerandas esse operationes actiuarum qualitatum, inter quas postea reponit generationem, & corruptionem item concoctionem, sed etiam erunt, inter eis concretio, & liquatio, & cætera non esse collectiuum, vt scilicet omnes eiusmodi operationes sit ambarum simul actiuarum, sed esse indeterminatum scilicet sensus esse singulas ab earum altera saltem, nisi ab ambabus sint. Argumentum secundum, vt in plures solutiones requirit. Experientiæ ergo medicorum respondetur. Concoctionem humorum ad expulsionem non esse concoctionem veram, & vniuocam, sed solum secundum analogiam, & ad expellendum, attamen eam ipsam esse à calore naturali fieri, vt à primario agente (dico primarium agens, non secundum animasticum vigorem, sed secundum sensatiorem Philosophiæ laxitatem) nam calor naturalis est, qui actuat pharmaca, & medicamenta actuando autē retundit turgorem, & impetum humoris calidi, & tenuis ad partes nobiles, atque consistentiorem reddit, paratioremq; ad expulsionem, & hæc est concoctio quam medici dicūt humorū ad expulsionem. quoad maturationem fructuum aliquorum nonnisi a frigore, respondetur communiter esse eam ratione antiperistasis nempe esse à calore, qui ex antiperistasi à frigore continentis auctus tum concoquitur, estq; bona solutio. Attamen ego prætereà dicerem non esse frigus ad eam maturationē necessariū etiamsi vtile sit, sed necessarium esse spacium temporis, non enim intra tempus æstiuum poma eiusmodi perfici, & concoqui possunt, sed diuturniorem periodum exigunt, vt variæ scilicet sunt periodi pro varietate rerum

gene-

generationem, vel perficiendarum lib. 4.de gen. animal. cap. vlt. vnde etiam si tepidum Cælum haberemus per id tempus, quo solent poma eiusmodi maturescere adhuc maturescerent, vt tepidioribus regionibus contingit. Ad concoctionem adipis, spirituum animalium mettallorum. vnica responsio sufficit. est ea concoctio analogica, & ad formam, non autem vniuoca, & cui vniuocè definitio hæc Aristot. conueniat. in ijs autem generationibus, quem locum habeat frigiditas antea diximus. Buccaferreus soluit hæc ipsa argumenta. Tertium argumentum antea iam solutum est ea responsione, quòd calor prior operetur in illis concoctionibus licet postea frigiditas perfluat, & absoluat, vt non est acceptanda solutio: non enim principium inchoans, sed principium perficiens causa est vera effectus. Quartum argumentum petit quæstionem per se ipsam agitatam à multis de restitutione lapsus in caliditatem à mediocritate. ad quam etiam discutiendam præstat aliam præmittere, vtrum soli humores veram, & vniuocam subeant concoctionem, an etiam partes similares solidæ caro, neruus, &c. post ergo sequentem quæstionem illæ tractabuntur, ibique propositi huius quarti argumenti solutio habebitur.

QVÆSTIO 4/57

Num concocta crassiora fiant.

DE tertia particula nascuntur dubitationes, quas antea tetigi in com. par. 40. & 45. num replico dubitationes, at declarationi eiusdem particulæ antea traditæ part. 45. aliam subiecto dubitationem antea quoque discussam, vtrum concocta omnia crassescant; crassiora scil. reddantur: iam distinxi de concoctione propriè sumpta, & cui vniuocè conuenit definitio ab Aristotele tradita, & de concoctione analogica tantum accepta de illa vera in vniuersum assertionem dixi de hac non perpetuo, & in vniuersum veram asserui. at cum cotrouersia hæc sit latè agitata præstat ex integro repetere, & exquisitiorem explicationem veritatis afferre, & potiores dubitationes aduersus Aristotelis dicta, & meam explicationem adducere & soluere. A dubitationibus recensendis inchoabo. Est prior dubitatio de solidis alimentis, pane scil. carne, & id genus alijs, quæ dum in ventriculo concoquuntur in chylum scil. vertuntur liquantur non crassescunt. Secunda obiectio est de fructibus pomis, malis, cæterisq; id genus, quæ molliora, ac solidiora, cum matura fuerint, quàm cum immatura. ergo ex concoctione minus crassa cum molliora reddantur. molle verò humidi species est. Accedit auctoritas Aristotelis sect. 25. dicentis concocta molliora fieri. Tertia est de humoribus viscidis, & crassis, qui dum ad expulsionem concoquuntur fluidiores, non crassiores reddendi sunt. Secunda obiectio confirmatur à nonnullis experientia, dicunt enim fructus immaturos in aqua positos demergi, ac maturos insidere, & innatare non demergi argumēto id est plus habere terræ fructus immaturos, ideoq; que

que crassiores esse, quam maturi sint, Quarta ex sanguine per concoctionem fit lac: at lac est fluidius sanguine, adeoq; sanguis crassior lacte: ergo per concoctionem aliqua attenuantur, non autem crassiora redduntur. Quinta ex sanguinis putiore parte per concoctionem fiunt spiritus, at spiritus sunt tenuiores, qua vis parte (etiamsi purissima) sanguinis. Magna est controuersia hæc, in eaq; varij modi dicendi. Medici referente Pomponatio passim volunt aliquam concoctionem fieri attenuando aliam incrassando. Vgo distinguit concoctionem in eam, quæ fit in iuuatiuo, & in eam, quæ fit in nocitiuo, eadem est hæc distinctio cum superiore mea ad retinendum, & ad expellendum, de concoctione ergo, quæ in iuuatiuo concedit procedere ipsam incrassando, & de illa sola loquutum asserit Aristotelem, at de concoctione, quæ est in nocitiuo distinguit aliam fieri attenundo humores, & est quæ viscidos, & lentos humores disponit ad expulsionem, aliam verò fieri incrassando, & est, quæ subtiles præparat itidem ad expulsionem. Conciliator conuenit cum Vgone in reliquis solum distinguit concoctionem in iuuatiuo in eam, quæ fit propter mutationem, & hanc ipse quoque concedit fieri incrassando, & in eam, quę non per nutritionem, vt cum ex sanguine fit per concoctionem lac, & hæc proceeit attenuando. Vgo aliam opinionem inducit, & sequitur, duas priores repræhendendo, vt refert Pomponatius, nunc enim careo scriptis Vgonis, quamobrem ipse se ipsum corrigeret de prima sententia, ni tamen primam sententiam posuerit, tanquam aliorum. Sententiæ huius Vgonis summa est concoctionem aliam esse ad nouam formam substantialem, aliam esse ad melius aliquod esse retenta eadem substantiali forma. exemplum huius est maturatio pomorum, & fructuum in arbore: fructus enim non recipiunt maturescendo nouam formam substantialem, sed perficiuntur tantum. concoctio verò ad formam substantialem duplex, alia enim est materiæ, quæ immediatè suscipit formam, vt humiditas, quæ rori succedit formam carnis. alia, quæ mediatè, vt cibi assumpti, & chylus etiam mediatè suscipit formam carnis. concoctio ergo ad melius esse procedit subsiccando, vt maturatio fructuum. Concoctio, quæ ad formam substantialem postrema concoctio, quæ scilicet formam immediatè præcedit fit incrassando: præcedentes autem concoctiones aliæ incrassando fieri possunt: aliæ attenuando. Thomas de Garbo, qui fuit filius Dini Florentini, aliter soluit nodum difficultatis. supponit autem pro fundamento materiam propriam concoctionis esse humidum. licet sit materia eius etiam aggregatum ex humido, & sicco, at non æquè propriè. Tum ergo quatuor conclusiones profert. Prima est, respectu humidi ipsius per se concoctionem fieri incrassando. Secunda respectu sicci procedere subtiliando. Tertia respectu aggregati concoctio modo procedit incrassando modo subtiliando. Quarta simpliciter, & absolutè loquendo concoctio semper procedit incrassando. quoniam cũ propria materia concoctionis sit humidũ. hocq; incrassetur cócoquendo idcircò oportet simpliciter, & absolutè dicere concoctionẽ fieri sẽper incrassando, quod est Arist. dictum, & assertum. Hæ sunt opiniones, quæ à Medicis afferuntur saltem potiores licet ego nõ distinguam inter Medicos hac in re, & Phylosophos quicunq; ex rei principijs inquirunt, & cõtemplantur sunt omnes Phylosophi, attamen vocantur Philosophi qui sequuntur. Buridanus, Pomponat.

Buccaf

Buccaferreus, Vicomercatus, &c. Burdanus ergo distinguit concoctionem in æquiuocè sumptam, & vniuocè. æquiuoca concoctio procedit attenuando, at vniuoca semper incrassando. mutatio cibi in chylum est æquiuoca concoctio, & procedit sequestrando partes crassas à subtilibus, & fæculentas à nutrientibus, vocariq; eam dicit ab Aristotele potius macerationem, quàm concoctionem Pomponatius, qui omnes alias reprehendit sententias, dubitando aduersus Aristotelis dictum in solutionem deuenit, sed anceps veritatis eius, adeoq; veritati dicti Aristotelici est dubitatio. cibus dicitur cibus, qui est redactus ad mediocritatem in qua consistit concoctio. sicut ergo potest cibus excedere in subtilitate, & aquositate substantiæ cur non etiam potest excedere in crassitie? quo in casu nonnisi subtiliando, & tenuando ad mediocritatem, proindeq; ad concoctionem reducetur. soluit deinde Pomponatius, sed non venditat pro certa solutionem. si cibus excedat mediocritatem siccitate, non posse reddi aptum nutriendo per ablationem siccitatis, & idcircò nonnisi qui cibus excedit humiditate posse ad nutritionem concoqui, & hoc sibi voluisse Aristotelem dum definit concoctionem perfectionem à calore, non à frigiditate. à calore enim solam, quæ humiditate abundant possunt ad mediocritatem reduci; nam quæ excedunt siccitate à calore amplius exiccantur, non autem ad mediocritatem reducuntur. Vicomercati opinio huius ad tuendum Aristotelis dictum tribus nititur fundamentis primum est conferri posse cibum cum postremo termino alitionis, qui est pars ipsa solida animalis, qua ex alimento reparatur, & posse conferri cum aliqua mutationum intercedentium. ver. gr, panis, & caro quæ in cibum assumuntur possunt conferri cum carne, cum ossibus animalis, & alijs partibus solidis, in quas alimenterum demum mutatur, & possunt conferri cum chylo in quem primum vertitur cibus assumptus deinde cum sanguine hinc cum rore postremo cum glutine. hæ omnes sunt intermediæ mutationes, & mutationum subiecta, quæ sunt cibo externo fluidiora. at quæ sequitur iam assimilata pars, & portio est consistens crassior cibo. quo in fundamento cum Vgone in secunda solutione conuenit. Secundum fundamentum Vicomercati est Aliqua posse crassiora esse, attmen molliora, vt non reciprocrentur mollius, & tenuuius. neque crassius; & durius nam glacies est durior luto, at lutum crassius glacie. Ita pyra immatura sunt duriora maturis ac matura tamen illis crassiora quòd illorum humor sit aqueus horum crassior ex attemperatione cum partibus terreis, deinceps commistis. postremum fundamentum est tenuationem multarum rerum, vt humorum viscidorum, vrinarum crassarum esse præparationem ad concoctionem, non autem concoctionem. in ea scil. tenuatione sequestrantur partes fæculentiores. quod deinde restat postea concoquitur, tumq; concoctione crassescit. cessant ex his fundamentis, quæ contra assertionem Aristotelis adduci solent. Hæc de sententiarum varietate. Quarum sententiarum censura diligens longa esset. succincta hæc erit. opinio prima rectè distinguit, & non applicat, dum enim negat Aristotelem de concoctione ad expellendum etiam loquutum repugnat dictis Aristotelis, qui apertè meminit Tuberculorũ, & puris, &c. ideoq; iure in hoc Vgo reprehenditur à Pomponatio, qui id tribuit Vgoni, & eius seculo, vt cum non inspiceretur Aristoteles, sed

S tan-

tantum quæstionarij, & inuolutoria, vtor viri verbis. Verum nunc penes multos idem vsus inualuit. opinio conciliatoris eidem reprehensioni subest. 2. verò dum non distinguit inter concoctionem quæ ad nouam formam substantialem est atque inter veram, & exactam concoctionẽ vt distinguendum ego antea declaraui. In 2. opinione vgonis id etiam noto falsum esse quod ipse asserit concoctionem omnem ad melius esse tenuando fieri nam concoctio chyli prius facti item sanguinis iam geniti procedit incrassando, non tenuando vt supra docui, opinio Thomæ de Garbo reprehenditur à Pomponatio tanquam sophistica, & prius reprehensa fuerat ab vgone cuius tamen rationibus respondet Pomponatius, & ipse suis postea reprehendit, sed ego multam probabilitatem agnosco, & subtilitatem in opinione Thomæ, nec video cur sit sophistica dicenda. id quidem noto distinguendam fuisse concoctionem in eam quæ ad retinendum, & expellendum vel vt alij dicunt in nocitiuo, & iuuatiuo. non autem quæ in nocitiuo respectu humidi procedit semper incrassando. non etiam quo ad nouam formam substantialem agit semper incrassando fit vt de mutatione sanguinis in lac patet. de vniuoca concoctione verum dicit si rectè exponatur Thomas, vt postea dicã. Buridani sententia dum distinguit cococtionem in æquiuocam, & vniuocam suscipienda omnino est. intelligendo tamen æquiuocum a consilio quod est analogum, & ad vnum. dum vero dicit æquiuocum omne procedere tenuando non est id admittendum: nam concoctio ad nouam formam est ex demonstratis æquiuoca scilicet analoga, & hoc plerumque fit incrassando debebat remouere dubitationem de maturatione fructuum. item de concoctione sanguinis in lactem. quæ concoctio secundum illum est vniuoca licet secundũ meam sententiam non sit. Pomponatij dubitatio, & opinio ex distinctionis defectu procedit. nam cibus potest considerari nondum ab animali sumptus atque vt iã ab ipso alteratus. primo modo falsum est cibũ in siccitate excedentem non posse concoqui cum biscocto etiam pane nutriamur, & salitis aliquibus piscibus siccissimis interdum etiam prę egestate carne cocta nutrimur tamen licet non æque bene quòd si de cibo iam alterato scilicet in chylum mutato agimus is cibus seu chylus non peccat siccitate actuali cum fluidus necessario fiat, & ab initio cũ secretę fuerit fæculentiores partes fluidior necessario sit quàm post ulteriorẽ concoctionis gradum. quòd si obijciatur posse peccare siccitate virtuali vt in aromatibus assumptis, & chylo ex illis genito respondeo eiusmodi siccitatem non corrigi tenuando sed æque chylum ex illis proportione crassescere aliunde vero si corrigendus sit, eius correctionem pendere. In Vicomercati, opinione noto non distingui concoctionem vniuocam a non vniuoca ideoque conferri cibum exteriorem, & partibus similaribus animalis reparatis cum tamẽ in vera, & vniuoca concoctione conferendus sit chilus statim factus cum eodem iam vlterius concocto, pariter sanguis tum genitus cum eodem elaborato, & cõcocto superueniente gradu cõcoctionis. in secundo fundamento consentit cum Thoma de Garbo, & verum est fundamentum si recte intelligatur, restat demum ad veram opinionem inuestigandam ãniti præmitto autem quæ de hac re in pluribus locis dixit Aristoteles par. 47. dicit crassiora fieri, & calidiora, quę concoquuntur quod calor melioris molis crassiusque, & siccius. in cap. vers. seq. part. hæc habet ex spiritosis igitur aquosa, ex talibus

bus

bus autem terrestria consistunt,& ex tenuibus semper crassiora fiunt quæ maturantur. ac part. distinguit quæ concoquuntur elixatione alia tota fieri crassiora. aliarum vero partẽ crassiorẽ fieri partẽ tenuari sicuti lactis pars in coagulũ crassescit, pars in serũ dilabitur. pariter part habet. „quapropter & tenues humores. eorum quæ cruda sunt,& frigidi magis quã calidi,& inesibiles,& impotabiles. „ his præmissis ad determinandam disputationẽ repeto conclusionem de hac ipsa controuersia supra statutam in digressione de concoctione ad part. 40. In concoctione scilicet vniuocè sumpta concocta crassiora reddi, ac in concoctione secundum analogicam extensionem capta non esse id perpetuo verum. verumeninuero de vniuoca concoctione est res amplius declaranda non enim satis ex superioribus innotuit. Repetendum itaque materiam concoctionis primam esse humiditatem quod etiam Aristoteles in proxime annotatis verbis tradit quapropter, & tenues humores eorum quæ cruda sunt,& frigidi magis&c. eiusmodi autẽ humiditas est, quę ex contusis fructibus exprimitur siue calcentur pedibus siue torculare comprimantur. cum succus ergo qui hoc modo exprimitur ex acerbis fructibus est aqueus, qui ex maturis est consistentior, & crassior vt ratione humiditatis, & suci ipsius falsũ sit fructus acerbos esse crasiores & tenuiores maturos, imò contrarium penitus est nec argumentũ duritiei arguit crassitiem sed terrestreitatem nondum humori,& succo commistam commiserit postea cum maturescunt. sit ergo summa. Assertio hæc Aristotelis crassiora fieri, quæ concoquuntur de concoctione vniuoca est accipienda vt in vniuersum vera. non de analoga tantum, de qua non est semper vera. At de vniuoca quoque vera est ratione succi. succus scilicet rei concoctæ semper est crassior succo rei adhuc incõcoctæ. cum vero res aliæ sint fluidæ, aliæ sint solidæ fluidæ sunt ipsemet succus vt chylus vt sanguis, solidæ vero non sunt succus sed succum habent qui ex ipsis exprimitur. fluidæ ergo res concoctæ ipsæmet maiorem consistentiam aquirunt crassioresque fiunt. solidæ vero non secundum se totas sed secundum succum semper ex concoctione crassescunt, & hoc est quod voluisse videtur Thomas de Garbo, & Vicomercatus etiam, & vterque rectè. restat dubitationes contrarias soluere quæ tamen ex iactis fundamentis in ipsamet sententiæ explicati one cessant. prima quidem de cibis solidis exterioribus 4. de lacte ex sanguine 5. de spiritibus ex sanguine cessant quòd non sit concoctio vniuoca eorum cum mutatio cum nouam formam substantialem suscipiant: 3. pariter cessat. concoctio enim humorum ad expulsionem non est vniuoca concoctio. 2. obiectio ex proxime dictis soluitur fructus enim acerbi ratione succi sunt tenuiores multo maturis. ad confirmationem quòd acerbi demergũtur. esto demergi inducit id ipsos esse magis terrestres at non crassioris succi. natura vero terrea non facit crassitiem nisi cum humiditate commiscentur vndequaq; id quod concoctione fit. Not. autem ad mistionis absolutionem, quæ in concoctione fit duo requiri superfluæ humiditatis eductionem,& terrestris partis quandam attenuationem, vt cum reliqua humiditate possit exquisitus commisceri vtrumq; igitur horum præstat calor educit superuacaneam humiditatis portionẽ vel euaporationẽ, vel fluxu, vt fieri in lactis concoctionẽ,& extenuat terreã portionem ipsam per se obstipam in inconcoctis. atquè demum simul compingit, & commiscet, & hoc dictum sit pro disputationis huius crepidine.

S 2 QVÆ-

QVÆSTIO 5/38

Vtrum soli humores, an etiam partes solidæ similares concoctionem suscipiunt.

BReuis esse debet de proposita re disputatio, certum est enim etiam solidis tribui, vt de fructibus patet, quibus maturationem, adeoque concoctionem multa cum proprietate tribuimus, est etiam ratio ex definitione, & ex illis, quæ ad definitionem illustrandam diximus. ex illis enim est superueniens perfectio, & absolutio rei prius genitæ concoctio, at certè caro in nutritione reparata, & instaurata post generationem ipsam, qua carnis formam obtinuit, ad perfectionem. & absolutionem promouetur. erit ea concoctio, quia perfectio. atq; perfectio, à calore, nam calor est instrumentum primum animæ. absolutioni itaq; & perfectioni carnis, & reliquarum partium similarium conuenit definitio, & nomen concoctionis. hæc ita breuiter dicta sint.

QVÆSTIO 6/39

Num aliquis lapsus ex mediocritate in misto restituatur à frigiditate adeò vt aliqua perfectio sit à frigiditate non omnis à calore.

COntra definitionem Aristotelis, quod scilicet omnis concoctio sit à calore dubitationem mouit Pomponatius de lapsu misti à mediocritate sui temperamenti in excessum caliditatis. labatur enim mistum, cuius temperies exposcat duos caliditatis gradus in intemperiem sex gradum caloris. Si debeat restitui ad suam temperiem, nonnisi per frigiditatem id fiet refrangentem calorem excedentem. nam intemperies omnis ad mediocritatem à suo contrario reducitur: est enim maxima medica contraria contrarijs curari. Secunda obiectio est de qualitatibus passiuis. si scil. remanentibus in sua temperie actiuis passiuæ excedant, siue reddatur humidiùs, siue siccius, quàm oportet mistum. Nam erit restitutio à contraria passiua, non autem à calore. Pomponatius primo respondet non posse mistum ex temperato fieri intemperatum per solam transgressionem actiuarum qualitatum, estq; fundamentum responsionis. Temperamenta corporum non consistere in indiuisibili, sed magnam habere latitudinem ex qua latitudine non excidet mistum mistum per actiuarum qualitatum

tum intensionem remissionemve nisi ea sit per magnas at non potest esse per magna actiuarum commutatio, nisi simul mutentur passiuæ qualitates. confirmat auctoritate Auicennæ. Caliditas maior, quàm oportet reddit corpus siccius, quàm oportet. Sed aduersus responsionem, vt insufficientem ipsemet insurgit, nam esto oportere etiam in passiuis esse excessum ver. gr. calori excedenti iunctum esse siccum excedens, adhuc tamen restitutio, consequenterq; concoctio: huic replicationi respondet Pomponatius. si corpus aliquod labatur per calidum, & siccum, id combustum esse, cuiusmodi corpus non amplius potest reduci ad temperatum. Adducit autem pre se Auicennam p. 1. cap. de humoribus. Non posse humorem combustum amplius in eam reduci dispositionem, vt cõcoctum queat fieri, aut crudum. Vnde concludit Pomponatius rectè à Medicis id dictum. Nimirum si corpus à mediocritate elapsum per calidum, & siccum rursus ab humido, & frigido ad pristinum eum gradum reducatur in quo concoctionem obtinebat, non tamen tum concoctum futurum esse, rationem innuit Pomponatius, quoniam non est idem modus agendi. concoctio enim fit à calore: at ea reductio erit à frigore, & humore. Hæc Pomponatius, cuius postrema solutio fuadamento nititur parum firmo non posse scilicet eundem effectum specie à diuersis causis specie exoriri. cum immò videamus eundem numerò effectum scil. cadauer Petri à diuersis specie causis posse procedere à febre. ab aqua à veneno, à pugione, à quacunque enim earum causarum interiret Petrus semper idem numero cadauer esset. Ego igitur longè aliter dico, ac dubitationi respondeo. Nimirum concoctionem hic primum analogatum, cuique vniuocè conuenit definitio tradita, esse concoctionem, quæ in viuente fit, vt antea iam in digressione dixi. at verò hanc semper esse ait à prima causa ab anima vt ab instrumento à calore naturali, qui est animæ præcipuum in omni functione instrumentum, adeòvt etiam cum humores, qui nimirum incaluerint, reducendi sunt ad mediocritatem, ad idque assumuntur medicamenta refrigerantia, & ipsa tamen medicamenta à calore naturali vim suscipiunt, vtque dicit communior schola, actuantur, & ita à calore naturali est eorum quoque concoctio, & ita cessant obiectiones Pomponatij. In concoctione verò analogica, vt in generatione mistorum inanimatorum negari non potest, quin aliqua concoctio eiusmodi sit à frigore, vt concludit ratio Pomponatij, & aliqua etiam ab altera passiuarum qualitatum, vt arguit replicatio.



ANNOTATIO TERTIA

In Cap. 4. Ad Part. 48.

QVÆSTIO 40.

Vtrum definitio inconcoctionis sit diminuta. siue vtrum inconcoctio complectatur etiam extremum oppositum concoctioni per excessum.

DE particula 48. nascitur dubitatio, videtur siquidem malè ab Aristotele definita inconcoctio. nam cum sit inconcoctio oppositum commune concoctionis, priuatiuum quidem, vt omnis priuatio concoctionis sit inconcoctio debebat definitio inconcoctionis complecti omnem cōcoctionis priuationem, at non complectitur. Siquidem concoctio, vt in mediocritate consistens (est enim in temperie, quæ in qualitatum mediocritate reponitur) habet duo opposita alterum per defectum: alterum per excessum simillime virtuti morali, quæ inter duo vitia excedens, & deficiens constat. modo verò Aristoteles solum extremum deficiens concoctioni oppositum definitione sua complectitur, etenim calor inopia, ac frigiditas prohibet ne concoctio ad integram absolutionem perueniat. & hic est defectus concoctionis, seu inconcoctio per defectum. at cum calor excedit tum humor partium vltra modum coquitur, quæ est ipsa quoque priuatio concoctionis, & idcircò inconcoctio. tum concoctionem tollat in subiecto apto concoctioni Aristoteles ergo peccauit restringendo omnem inconcoctionem ad illam, quæ à frigiditate prouenit cum duplex sit, quarum altera à frigiditate altera ab excedente caliditate proficiscitur. Hanc dubitationem tractat Pomponatius dubit. 36. nec in soluendo eam sibi satisfacit fuit subtilis Philosophus Pomponatius, qui disputationes naturales ad ipsarum principia redigere conatus est, neque sola auctoritate Arist. conteutus fuit, quo nomine hominem laudo. hoc .n. est philosophari. illud (liceat verbum confingere) est philodoxari. versari nempe in opinionibus,& per opiniones rem transigere. Vrget dubitationem Pomponatius, & promouet quoniam cum concoctio sit in medio, & medium occupet, collocatur necessario inter duo extrema alterum secundum defectum; alterum secundum excessum, vt virtutes morales cum mediocritates sint inter duo, ipsæ quoq; extrema collocantur secundo & hic. debebat itaque Aristoteles non secus ac in virtutibus ambo posuit vitia, excedens scilicet, & deficiens, ita in concoctione explicanda, eius speciebus duo singularum extrema offerre, atq; aperire debebat, postquam dubitationes has attulit tum subiungit hæc verba. „ Vos apertè vi-
„ detis dubitationem. Ego non video solutionem, nisi vnam duarum

deis

„ quarum neutra mihi satisfacit. „ Prima ergo solutio est. ab Arist. accipi concoctionem non pro sola verè concoctione pro mediocritate scilicet, sed latius pro eo, quod continet tum mediocritatem, tum excessum, verbigratia nedum concoctio significabit in specie assationis assationem, sed etiam in eiusmodi latitudine concoctio solam inconcoctionem ob diminutionem caloris oppositam habebit. At confutat ipsemet solutionem tribus rationibus. prima quoniam ruerent expositiones omnes græcorum, & latinorum, qui cuncti interpretantur concoctionem hic ab Aristotele definitam esse mediocritatem quandam, & à temperato calore procedere, 2. quoniam Arist. inter concocta etiam vrinam, & fæces numerat, at verò neque vrina nimis tincta, neque fæces adductæ sunt concoctæ. Tertia dicit Aristoteles difficilius esse assare, quàm elixare, quoniam in assatione requiritur calor satis temperatus. apparet ergo assationem capi pro mediocritate sola eo in genere, non prout includit etiam adustionis extremum ego præterea hanc aliam confutationem adderem. Definiri concoctionem hic ab Aristotele perfectionem. at adustio non est perfectio, neque etiam in vniuersum supracoctio est perfectio. Secundam itaq; solutionem subijcit. esse concoctionem sanè mediocritatem inter duo contraria extrema sitam, at Aristotelem solum alterius extremi, quod per defectum est meminisse, vt notioris. alterum verò reticuisse, at non tamen negasse. Verum, & hanc solutionem, & excusationem Aristotelis non admodum probat quippe, quæ potius accusatio sit, nam Aristoteles in ethice virtutum singularum ambo extrema non alterum tantum explicuit, cur non ideò modo in pari casu facit, concludit se non habere meliorem solutionem. At forsè probabilius soluemus difficultates, & tuebimur Aristotelem, si dixerimus innixi fundamento præcedentis quæstionis contrarium est concoctionis per excessum contineri ab hac inconcoctionis definitione esse, scil. à defectu caloris naturalis? nam cum robustum est instrumentum animæ, quod est calor naturalis continet humores omnes, & qualitates in mediocritate, atq; in temperie, vt neque permittat calorē exuperare. Sed omnem caloris exuperantiam nonnisi ex imbecillitate caloris naturalis non potentis tueri temperamentum congruum procedere, quam solutionem dum recipiamus oportet hic accipere inconcoctionem restrictam ad oppositum concoctionis vniuocè, & exquisitè sumptæ, quæ in sola viuentia cadit. iuxta ergo hanc sententiam omnis inconcoctio est ab imbecillitate caloris licet alia sit à frigiditate; alia à caliditate præualente, & exorbitante à mediocritate temperamenti. hac suscepta sententia facilè est dubitationes soluere quæ Pomponatium torserunt. dum calorem naturalem consideramus duo sunt tantumodo opposita. alterum quarum est cum is viget. alter est cum debilitatus est. at dum consideramus calorem absolutè siue naturalis is sit, siue præternaturalis tū sunt tria. mediocritas, cum scil. calor in medio consistet, temperatusq; qui est calor esse naturalis, & duo extrema, quorum alterum est calor excedens alterum calor deficiens, adeoq; frigiditas præualens, similem distinctionem in virtute; & vitijs tradidit Aristoteles 2. eth. cap. 6. cum dicit si bonitatem, malitiam consideremus virtutem non esse sed extremum bonitatis, & vitium extremū malitię, opponiq; idcircò virtutē, & vitiū a duo extrema nō vt medium, & extremū at si consideremus actiones [illegible] in quibus versantur

virtus, & vitia ea ratione virtutem esse medium, vitia duo extrema alterũ per excessum, alterum per defectum. Hac quoque ratione conciliari possunt Galenus, & Arist. Galenus qualitates cõsiderans materialiter, distinxit concoctionem ab inconcoctione, vt medium ab extremis Aristoteles considerans formaliter calorem naturalem, eiusq; vigorem & imbecillitatem opposuit concoctionem, & inconcoctionem, vt duo extrema. decuit prior consideratio Galenum, vt medicum praxim spectantem. Decuit posterior Aristotelem, vt Philosophicè, scientificeq; rem considerantem, Non me tamen fugit maiores esse difficultates, dum doctrina hæc applicetur speciebus incõcoctionis cruditati, inquinationi, coctioni, & dictis de illis Arist. quę tamen tolli forte possint hoc pręmisso fundamẽto, cũ imbecillitati formali caloris naturalis adijcitur etiã materialis imbecillitas absolute caloris eam inconcoctionem potiore modo denominari inconcoctionem, & præsertim inter eius species cruditatem. At probabilissimũ arbitror, & magis ad mentẽ Arist. si dicamus oppositum concoctioni per excessum ad corruptionem, eiusue inceptationem pertinere, vnde non commemorari inter opposita concoctionis, sed inter opposita generationis, inter corruptiones scilicet. hoc satis patet ex Arist. de assatione, vbi oppositum assationis per excessum adustionem vocat non stateusim. verba sunt. „ cum completum fuarit assum fit, & non elixatum, & excessu adiectum dicitur esse. „ In elixatione idem fit, nam cum excesserit elixatio liquatur res, & dissoluitur, vnde vulgo consumatum vocamus, quod excessum eiusmodi passum sit. de maturatione adhuc est in fructibus euidentius, cum enim maturationẽ excesserint poma mitia fuerint, quod est exordium putredinis. Ad rationem Pomponatij debuisse Aristotelẽ vtriusq; extremi concoctionis meminisse, vt in virtutibus moralibus fecit, respondetur cum extremũ per excessum ad corruptionem pertineat, atq; magis melius fecisse Philosophum dum corruptionis tractationi remisit, indicauit verò dum extremum eiusmodi per excessum in assationis adustionem dixit, quam adustionem antea corruptionem memorat.

ANNOTATIONES

IN CAPITVLVM QVINTVM MIHI Quod est de Maturatione, & Cruditate.

ANNOTATIO PRIMA. In partic. 49.

EX particula 49. vbi Aristoteles definitionem tradit maturationis, dubitatio nascitur num rectè maturatio vniuocè, & adamussim sumpta ad fructus contrahatur, an potius eadem cum proprietate sumpta in animalibus etiam, eorumque partibus locum habeat. Verum antequam ad speciem ipsam maturationis descendamus, de diuisione in vniuersum concoctionis in species præstat disputare; cum præsertim controuersiam intercedere inter Interpretes videamus de differentijs, quibus distinctio eiusmodi peragatur. Præcedat ergo quæstio

QVÆ-

QVÆSTIO $\frac{1}{41}$

Quibus differentijs distinguatur Concoctio in suas species.

QVæstionis sensus apertus: cum enim concoctioni species tribuantur oportet concoctionem ipsam esse genus, quæ differentijs distrahatur in subiectas species. quæritur ergo quænam sint differentiæ. ex quæstionis huius explicatione patebit vnà, num sit integra distinctio in tres assignatas species (concoctionis.) In hac disputatione tres ponuntur opiniones ab eodem Pomponatio. Prima quarum habetur in Alberti paraphrasi absque authoris nomine, estq; concoctionem aliam à natura fieri aliam ab arte, quæ à natura est maturatio, quæ ab arte subdiuiditur cum enim à calore fiat, sicut & naturalis. si calor artificialis fuerit iunctus humido aqueo est elixatio, si iunctus sit sicco igneo est assatio. Secunda opinio est Alexandri concoctionem aliam esse à calore intrinseco, & hanc subdiuidi in eam, quæ à calore humido, & in eam, quæ à calore sicco. primam esse maturationem, secundam esse elixationem, tertiam assationem. Tertia est Alberti Magni præmittit fundamentum fieri in inanimatis quoque, sed magis propriè in animalibus, & maximè in homine, dicit ergo concoctionem vel fieri à calore ipso per se, & seorsum considerat, non autem quatenus iungitur alicui alijquali tati, & est maturatio: vel fieri à calore iuncto humiditati, & est elixatio, vel fieri à calore iuncto siccitati, & est assatio harum sententiarum nulla satisfacit Pomponatio. minùs tamen displicet sententia Alberti: at valdè reprehendit sententiam Alexandri: Buccafferreus duas tantum opiniones agnoscit Alexanderi, & Olympiodori, quorum Alexander distinguit ex parte agentis, scil. ex parte caloris, qui vel est intrinsecus, vel extrinsecus, vt vidimus, & hanc opinionem tribuit Alberto, & Thimon. Olympiodorus autem distinguit ex parte materiæ. quod enim concoquitur, vel est in solis viuentibus, vel est commune viuentibus, & inanimatis, si primum est maturatio si secundum dum concoquitur à calore humido est elixatio: dum à calore sicco est assatio. Pomponatius nullam opinionum priorum (nam opinionem Olympiodori non meminit) licet tertiam à contrarijs obiectionibus tueatur. Refutat verò primam tribus rationibus. at satis est primam afferre, qua ostenditur alienam esse ab Aristotele sententiam. nam Aristoteles tum elixationem, tum assationem disertis verbis asserit esse, & naturalem, & artificialem. de elixatione quidem in calce sermonis de ea, dum dicit nihil differre, si elixatio fiat in naturalibus, aut artificialibus instrumentis. & in capite de assatione hæc habet. Assatio igitur, & elixatio. fiunt quidem arte. sunt autem, sicut diximus species vniuersaliter eædem, & natura, &c. Confutat postea opinionem Alexandri, quam deliramentum vsque vocat, licet summam prætendat erga tantum Philosophum reuerentiam dicit ergo recidere in priorem sententiam. quoniam fieri à principio intrinseco

Com. 17. in exam.

seco est fieri à natura fieri à principio extrinseco est fieri ab arte. Vnde cum Alexander fateatur vnà cum Aristotele fieri duas posteriores concoctiones etiam à natura, nedum ab arte à se ipso recedit dicendo easdem semper fieri ambas à principio extrinseco, quod importat fieri à sola arte, & nunquam à natura. respondet pro Alexandro eliciendo ex eius dictis responsionem esse elixationem à principio intrinseco ipsi nutrienti, proindeq; esse naturalem, ac esse à principio extrinseco rei, quæ nutritur, & idcircò esse artificialem. confutat solutionem; quoniam ita maturatio non differret ab elixatione, & assatione, nam maturatio quoque est à calore intrinseco maturanti, at extrinseco alimento, quod maturatur. At ego non admitto idem esse rem fieri à principio extrinseco, & fieri ab arte. primo enim omnis generatio naturalium rerum est à principio extrinseco. nihil enim generat se ipsum. verum est hoc de principio, & generante proximo, multò veriùs de remoto. sol enim multò euidentiùs ab homine genito seiungitur. Sol autem, & homo generant hominem: generationes verò eiusmodi non sunt sanè artificiales. non est itaque ea vis rationis contra Alexandrum, quam profitetur Pomponatius, qui potiùs in Alberti sententiam concedit. Maiorem mihi dubitationem facit aduersus Alexandri diuisionem: quoniam si elixatio, & assatio aliqua fit vnivocè concoctio debet participare definitionem concoctionis vniuocè, & formaliter. at verò concoctio definitur perfectio à calore naturali, & proprio. non ergo elixatio potest, & assatio distingui ex eo quòd fit à calore extrinseco, nisi velimus omnem elixationem, & assationem esse metaphoricam. Alberti modo sententia deduci videtur ex modis dicendi Aristotelis in definiendis his speciebus concoctionis. nam in definitione elixationis ponit calorem humidum. in definitione assationis ponit caliditatē siccam. at in definitione maturationis ponit solum calorem, eūq; naturalē. definitio enim eius est concoctio alimenti in pericarpio, at resoluendo concoctionem in suam definitionem. Est perfectio à calore naturali, & proprio alimēti in paricarpio; quocirca solius caloris mentio fit in definitione maturationis. Attamen non est deductio eiusmodi valida. nam mentio caloris in definitione cōmuni concoctionis non est exclusiua coniunctionis humidi, aut sicci, sed abstrahit, & virtuali compræhensione continet cōiunctiones earumdem qualitatum, quocirca non rectè ex ea communis concoctionis definitione infertur maturationem præscindere à coniunctione qualitatum ambarum passiuarum cum calore. At succedit dubitatio de veritate opinionis, quod scil. calor in maturatione operetur abiunctus ab humiditate, & à siccitate. nō enim in misto calor est, qui non sit cōiunctus qualitatibus etiā passiuis cū in misto sint iuncta elemēta quatuor, proindeq; eorūqualitati respondet Pomponatius esse quidem vnitum calorem qualitatibus in misto. at non operari semper, vt illis iunctū: nam actio est à præualente, & prędominante: cum ergo calor preualet, at qualitates passiuę inter se pares tum solus calor agit. cum uerò calor, & humiditas præualent tū actio est à calore, & humiditate. & cum calor, & siccitas præualēt tū est actio à calore, & siccitate, siue à calore sicco. cum calor solus agit, tum solū calefit res non etiam exiccatur, aut humectatur hæc est respōnsio Pomponatio. vera quidē in se se ipsa, at contraria doctrinæ de maturatione quam ipse sustinet, nā si dū calor solus agit, res solum incalescit nō

exic-

exiccatur, neque humectatur, ergo dum etiam exiccatur non solus calor agit, sed iunctus siccitati, at in maturatione res siccescit, vincitur enim interminata humiditas ex loco de cruditate ibi (hoc autem est interminata humiditas. ergo in maturatione non operatur calor solus, sed iunctus etiam siccitati: Opinio Olympiodori non rectè dicitur materiam, & id, quod patitur solum respicere. nam prima quidem diuisio est ratione materiæ, dum dicitur. quod concoquitur, vel solum in viuentibus reperiri, vel extra viuentia quoque, vt subdiuisio postea secundi membri, quòd vel fit à calòre humido, vel à calore sicco est ratione agentis, non ratione passi. Ego sanè in hac disputatione magis video quid reprobem, quàm quid probem adeò plena est difficultatis, & obscuritatis, per has tamen conclusiones procedam. Distinctio speciei à specie differentis naturalis, & artificialis, quæ est prima opinio, est Aliena ab Aristotele. nam apertæ is elixationem, & assationem aliam naturalem, & aliam artificialem facit. Differentia ex parte agentis non est essentialis mutationi cum agens fuerit æquiuocum. declaro conclusionem compositi ipsius, ac rei factæ, & consistentis non est agens differentia essentiali, neque etiam exhibet illam. hoc per se planum cum videamus abolito agente adhuc rem perseuerare, vt patre extincto viuit filius. at in motu, ac mutatione ipsa non idem accidit in vniuersum, imò quatenus mutatio est actio, siue actionem includit videtur ab agente determinari. actio enim à principio ipsa suo actiuo sortiri speciem videtur, idq; tradit D.Th. Vnde calefactio à calore determinatur. sunt qui volunt speciem suscipere actionem à termino non ab agente, estq; frequentior opinio. sunt ab vtroque, at esto primam sententiam veram esse (nunc quicquam non statuo) cum tamen agens æquiuocum est non potest esse vera propositio. quoniam cum agens æquiuocum, habet quoque vniuocam suam opinionem oporteret tum vniuocam, tum æquiuocam actionem esse eiusdem speciei. ex.gr. calor vniuocè calefacit æquiuocè terminat sequeretur calefactionem, & terminationem esse eiusdem speciei cum principium sit calor idem. ex qua conclusione hæc nectitur alia conclusio. Conclusio, speciesue concoctionis nulla ex calore agente speciem suscipit. quod in idem recidit ex calore concoquente non procedit differentia essentialis concoctionis, ac specierum eius: patet illatio: est enim calor agens æquiuocum concoctionis. Concoctio ergo speciem ex termino ad quem suscipit, & species eius ex terminorum suorum distinctione distinguuntur. Conclusio patet ex doctrina communioris scholæ, immò planæ Aristotelicæ de mutationis, ac motus distinctione, & specificatione. Quoniam ergo sint termini concoctionum, & quæ eorum distinctio perscrutemur. Natura in generatione rerum nunc ad viuentia restringamus sermonem duo præsertim respicit speciei conseruationem, & indiuidui. huius quidem cura magna, at illius maiore cum ad huius integram tantum periodum ad illius externam durationem contendit pro æterna speciei duratione seminariam fæcunditatem molitur. pro conseruanda periodo viuentis nutritionem instruir. Ad seminis fæcunditatem pergit maturatio. ad nutritionem verò duæ actiones concurrunt, & duæ proinde concoctiones alimenti confectio, & partis solidæ instauratio. alimentum aliud remotius, vt chylus aliud proximus, vt sanguis, & si lubeat adiungere præterea secundas humiditates in-

1. conclus.

2. conclus.

1. 2. q. 1. art. 3.

3. conclus.

4. conclus.

instauratio partis solidæ est cum alimentum in soliditatem carnis, membranarum, cartilaginum, ossium mutatur, ac solidescit confectio, & perfectio alimenti, tum chyli, tum sanguinis, &c. est elixatio id ipsum Aristoteles in cap. de assatione. verba sunt. „ Quoniam, & alimenti in cor-
„ pore concoctio similis elixationi est: etenim in humido, & calido à cali-
„ ditate corporis fit. „ at verò instauratio partis solidæ cum multam siccitatem exposcat nonnisi à calore sicco esse potest ideòq; assatio dici potest, & debet hæc de distinctione specierum concoctionis vniuocè sumptæ, quæ est perfectio rei iam genitæ ex hac dimetimur concoctiones ex analogia dictas, & proximiores, vt quæ in generatione, & ad generationem fætus, & viuentis, & remotiores, vt quæ ad exequendum sunt, & quæ ab arte. Sit ergo pro coclusione propositæ disputationis, maturationis, eiusqi perfectionis terminus est seminis fæcunditas. elixationis scil. naturalis absolutio alimenti. assationis naturalis soliditas partis solidæ, quæ instaurantur. cæteræ secundum analogiam ad has dicuntur, Restat nunc contraria, quæ insurgunt diluere. videtur siquidem hæc doctrina mea Aristotelicæ repugnare penitus cum differentiarum, quas ego amplector ipse non meminerit in definiendo, vel ergo Aristoteles errauit, vel ego desipio. Secunda Dissentit doctrina hęc mea à Doctrina Alberti, quam multi suscipere videntur de elixatione, & assatione naturalibus. Dicit Albertus maturationem fieri in semine, antequam res, quæ ex semine illo generanda est, generetur. postquam verò homo genitus est vsq; per ætatem puerilem nutriri per elixationem. corpus enim eius ad id ætatis est molle, & valdè humidum. at in vlteriore ætate calor fit igneus, & opus est cibo solidiore, tumq; fit assatio r Fit ergo secundum hanc sententiam maturatio in semine ante ortum. elixatio in pueritia. assatio in iuueutute: in seniori ęuo fit inconcoctio. Respondeo primæ obiectioni primo loco cum Pomponatio viro Alioquin Aristotelis obseruantissimo non esse inquirendam Philosopho veritatem per auctoritates, sed per rationes. inquisitio enim per auctoritates est probabilis, facitq; opinionem non scientiam, vt Aristoteles ipsemet tradit 1. cap. 1 Topicorum quantacunq: fuerit scriptoris authoritas. vnde potius pensandum est num dicta mea cohæreant veritati, quam vtrum cohæreant Aristoteli. Verum enimuerò non est opus hac nunc discussione ab Aristotele, & à peripatetica schola non ea est discēsio dictorum meorum ab Aristotelicis quin possint componi, & conciliari. De maturatione sanè non est cur laborem cum ipsemet Philosophus id affetat. Tunc maturatio (inquit) perfecta est, quando semina, quæ in eo, quod circà fructum, possunt facere tale alterum, quale ipsum at cur in definitione consistit in solùs alimenti, quod in pericarpio concoctione, & non inclusit etiam fæcunditatem seminis respondeo non esse integram definitionem illam. concoctio alimenti in pericarpio, sed definitionem solum essentialem, & dialecticam, quam perficit cum subiungit tum esse perfecti concoctionem cum semina fæcunda reddita fuerint. vt in explicatione literæ dixi, quod si replicetur pro definitione causali à me adductam, cum semen potest tale alterum facere, quale ipsum. ergo non est differentia essentialis ex eiusmodi fæcunditate, nam definitio causalis non continet differentias definiti. Respondeo in mutationibus, ac motibus terminum ad quem postremum, & causam finalem esse posse
&

& terminum, quatenus in terminum priorem refundit vim ipsum perficientem. Nunc prior terminus est perfectio alimenti in principio, at non perfectio eius absoluta, sed ordinata ad fæcunditatem seminis. fæcunditas seminis perfectionem illam alimenti determinat, & sublimiorem reddit, & quatenus eam determinationem refundit euadit ipsamet fæcunditas terminus, vt verò in se ipsa consideratur est causa finalis, & hac ratione actiones nostras à fine speciem sortiri Aristoteles dicit in moralibus. At de elixatione maior discrepantia videtur. Nullam enim aliam differentiam ponit quàm caloris humidi. Respondeo Aristotelem à notioribus nobis hic procedere, vt procedendum monuit tex. 1 physic. in naturali Philophia cum verò notior sit nobis elixatio artificialis, quàm naturalis, ideò ex artificiali definitione prouehit nos ad cognitionem naturalis definitio ergo hæc, elixatio est concoctio à caliditate humida inexistentis interminati in humido. est artificialis elixaationis, vt quæ in sensum incurrat, & in conceptionem inde nostrum priùs. Definitionemq; etiam eiusmodi tradit etiam facilius cognoscitur, & percipitur. vulgo verò elixationem artificialem non aliter agnoscimus, & distinguimus, quàm cum in aqua res coquitur, aquæue specie aliqua. At cur Aristoteles non decipit definitionem hanc absq; præmonitione absolutè monendo quasi sit perfectæ elixationis, & naturalis quoque? respondeo primo Aristotelem nos admonere, dum elixationem & naturalem esse dicit: at cur ad definitionem nos naturalis elixationis non produxit, quæ scopus huius doctrinæ esse debebat cum scimus in Pilosophia naturali, non in coquinaria. respondeo scriptorem integræ scientiæ naturalis multa necessario relinquit re inuestiganda legentibus secus in immensum opus extolleretur. hoc plerunque facere Aristotelem. Interpretis postea munus esse rem pressius scriptam magis explicare, & distinguere, vt hac in re modo ego facere conor, & debeo, neque diligentia interpretis imputat breuitatem sciptori. Respondeo sesecundò. Aliter, & expeditius. non vt definitio integra elixationis affertur ab Aristotele, sed vt id in quo conat, ergo definitionem non integrat omnes elixationes id sibi volunt verba, elixatio autem est secundum totum quidem, & res ipsa suadet, nam cum mutatio, & motus ex fine speciem suscipiat ex dictis. Aristoteles ipse in cap. de elixatione fines esse varios dicit nullum certum inest. De assatione postremo maior dubitatio exurgit, nam & remotior est à mea, & quod peius recedit à definitione concoctionis ab Aristotele tradita definiebatur illa perfectio à calore naturali, & proprio. & hæc definitio perfectio à calore igneo, & alieno. At ex prius dictis soluitur hæc etiam dubitatio. ob eandem, quam modo attulimus rationem. Aristoteles hic assationem artificialem nō naturalem definit, vt tamen ex hac ad naturalis assationis cognitionem annitamur taciteq; ad id promouet distinguendo assationem in naturalem, & artificialem: nulla est contradictio in Aristotele assatio naturalis est à calore naturali, & proprio, at assatio artificialis est à calore igneo, & alien. cessat etiam discrepantia inter Aristotelicam, & meam de assatione doctrinam cum Philosophus artificialem hic definiat ego naturalis differentias tradam.

QVÆ-

QVÆSTIO 2/42

Vtrum maturatio propriè sumpta locum habeat etiam in animalibus.

QVæritur secundo vtrum maturatio propriè & vniuocè sumpta locum etiam habeat in animalibus videtur autem non habere, nam Aristoteles ad fructus, & pericarpium restringit. Hac in disputatione opiniones duæ contrariæ videntur alia restringit ad fructus, & pericarpium concoctionem alia extendit etiam ad animalia in priore sententia videntur Alexander Aphrodisiensis, Vicomercatus, Suessanusq; nam dicunt ipsi vocem maturationis propriè dici de partibus, & alimento in pericarpio, ac de cæteris secundum metaphoram, & analogiam. ergo de animalibus nonnisi secundum anagologiam dicetur. Caetanus Then. in eadem ferme sententia videtur esse, dicit enim priùs dici de fructibus maturationem posterius de animalibus, & de inanimatis, non tamen de his duobus purè vniuocè, nec purè æquiuocè. Alia sententia probatur Alberto magno, qui in seminis animalium perfectione reponit quoq; maturationem propriam. est Pomponatij quoq; dubit. 46 verba sunt eius. „ Primo quia „ non videtur perpansis esse solum in fructibus: imò sicut fructus sunt „ tunc digesti, quando sunt comestibiles, non autem antea ita ego dicam „ hoc idem in animalibus, non enim dicam, & cæt. „ Hæc Pomponatius sententiam Alberti hanc sequuntur multi Latini, & ego quoq; cum eis sum & fundamentum proximè adductum monstrat sententiam hanc esse recipiendam ea vna est difficultas, quòd Aristoteles definitione vtitur ad fructus, & pericarpium restricta. respondeo itaq; Aristotelem ea restrictione vsum non vt ad primum analogatnm, sed ad notius vulgo me ı brum procedendo scilicet à nobis notioribus in resatis obscura veluti in præcedente disputatione asserui, cum verò nego esse primum analogatum maturationem fructuum intelligo non esse eam vnam primum analogatum, sed esse partem primi analogati, & primum analogatum in tota sua amplitudine complecti perfectionem seminalis fæcunditatis in omnibus viuentibus siue compotia sensuum, siue expertia sint. At Thymo hunc in lib. q. 4. ad primam negat restringi maturationem ex illis verbis [alimenti in pericarpio] ad plantas, nam in animalibus etiam interpretatur dari pericarpium ex. gr. sanguis est pericarpium generationis saniei, estq; locus seminis, ex quo fit sanies, vt id, ex quo in animali fieri potest, quippiam aliud, siue respectu eiusmodi rei generandæ pericarpium, sed qui vocem pericarpij græcam intelligit, eiusq; significationem is sanè intelligit quantum a proprietate vocis Thymonis opinio recedat.

Quæ sit natura, & substantia specierum concoctionis ex q. 43 vbi traditæ sunt differentiæ, quibus distinguuntur satis constat nunc suborientes quæstiunculæ ex Aristotelis dictis breuiter transigentur

QVÆ-

QVÆSTIO 3/53

Vtrum rectè ponatur lac inter ea, quæ maturantur crudaue sunt.

DVbitat Albertus, & post illum Pomponatius vtrum rectè lac ponatur inter ea, quæ maturationi subsunt cruditatiuè oppositæ, at ratio dubitandi, quoniam videtur potiùs ad assationem attinere cum cogatur à sicco calido. Ego verò addo aliam dubitationem ex Aristotele, qui lac inter elixabilia ponit, in eoq; eorum membro, quæ partim concrescunt partim tenuantur. Respondet Albertus. nec refutat responsionem Pomponatius nihil esse absurdi reponi aliquid in diuersis capitulis (vtor verbis eius) in vno vere in alio, non verè immò etiam aliquando reponitur in duobus metaphoricè, vt mulus assimilatur equo, & asino, neuter tamen eorum est. lac ergò verè assatur, & similitudinariè maturatur. hæc Albertus, cuius dicta, quoad solutionis fundamentum spectat, ego quoquprobo, at quatenus lac propriè assari dicit non video cur non potiùs cum Aristotele elixationem tribuamus, licet neque illam summa cum proprietate. ad argumentum autem quod calido sicco cogatur negari non potest, quin lac in Aheno ad ignem ponatur, vt coagulo illi insperso cogatur, qua ratione ex alieno, & sicco calore concrescere videtur. attamen non ex calore verè igneo habet vt concrescat, nam mitis calor, & qui manu tolerari possit, requiritur & præterea coagulum in causa est coactionis, non enim absq; coagulo concresceret, vt in eo edulio, quod nos vulgo tartaram vocamus, nisi oua, quot oportet misceantur fluidum præstat lac, & minimè coactum, vel post diuturnam coctionem ad ignem, vt concretionem lactis non esse à calore ipso per se pateat, neque calor, qui requiritur sit igneus, sed tepor potiùs quicq; ideò magis referat calorem humidum aeris, & vaporis; quàm siccum ignis concludit lac neque propriè elixari, neque propriè assari. sed impropriè vtrumq; minore tamen impropríetate elixari id quod Aristotelis adductum testimonium importat. De maturatione autem lactis notandum aliquem agricul turæ scriptorem tribuere maturationem caseo, cum scilicet ad eum statum peruenerit inter recentem, & antiquum in quo exquisitum saporem obtinet, dicitur auté ea maturatio, quoniam fit tempore, & videtur fieri à caseo intima virtute absque opera caloris externi ahibiti humidi, aut sicci, & hinc melius meo iuditio soluitur dubitatio trigesima quinta Pomponatij, quàm ibi soluatur.

QVÆ-

QVÆSTIO 4/44

Vtrum Aqua posit elixari.

DVbitatur de Aristotelis dicto dũ aquam elixari indicat (cap. de maturat. vbi de cruditate) cum etenim aqua nequeat vllatenus incrassari videtur etiam non posse elixari. Respondet Pomponatius aquam elixari impropriè, & non propriè. in hoc conuenio cum Pomponatio, at in ratione in propriç eiusmodi attributionis non æquè cõuenio. dicit is eatenus elixari aquam quatenus frigus expellitur, & calor inducitur, sed nõ probatur hæc ratio: nam sequeretur aquam refrigeratam post concoctionem non amplius coctam esse, contraquam passim dicimus, & reputamus dicendum ergo potius est aquam eatenus cõcoqui, quatenus flaticosior pars ex cõcoctione euaporat, & terrestris ad fundum vasi descendit, prorq; ita restat aquosa pars. species ea est, atq; representatio quædam terminationis, certè verò cedit in aquæ perfectionem, vt ea ratione concoctio vocari possit. dicitur verò eiusmodi concoctio potius elixatio, eo quòd non sit ab interno calore vt maturatio, neque assatio si cum nullatenus induretur pars eius exterior, & calor ipse ignis etiamsi per se siccus cum in aqua receptus eius humore humescat. huiusmodi inquam ratio saltem sua apparentia causam dedit, quamobrem nomen elixationis potius tribuatur quàm assationis concoctioni aquæ.

ANNOTATIONES
IN CAPITVLVM SEXTVM
ANNOTATIO PRIMA
Ad part. 60.

DIfferentiam ponit Aristoteles inter elixata, & frixa, quòd hæc humorẽ in quo coquuntur, attrahant illa externant suum, quocirca concluditicciora esse elixa assatis, eo quòd hæc retineant illa exuant suam humiditatem. dicebam in commentario de frictis facilè posse admitti, & concipi at de assatis in veru non æquè imò esse, qui Aristoteli repugnent, pollicitus autem sum dubitationem agitare, quam nunc aggredior.

QVÆ-

QVÆSTIO 1/45

Vtrum aßata sint humidiora elixis.

MVlta sunt argumenta, quæ concludere videntur elixa humidiora assatis non contra. Elixa fiunt molliora, & laxiora, ac molliora humidiora, nam molliores rerum signum est humoris. Exiccatio fit à calido sicco potius, quàm à calido humido, quare assata exiccare potius, & elixari humectantur. Medici carnes elixas dant febrientibus, quoniam humida cibaria conueniunt febrientibus. Dantur in diharæa, & dissenteria assata non elixa, quoniam hæc laxant illa constringit. Ergo elixa sunt humidiaria assatis. Sunt deinde auctoritates Galeni lib. 3. de alim. facult. cap. 19. quæ assa sunt aut frixa in sartagine ea sunt sicciora. quæ verò in aqua dulci sunt elixa, alimentum corpori præbent humidius. Et lib. eod. cap. 2. Quæ namq; assantes, aut in sartagine frigentes mandunt ea corpori siccius dant alimentum; quæ verò in aqua præcoquunt humidius. Aristoteles contra docet assata humidiora elixis, & rationem adducit quoniam ab elixatis humor excernitur. Quod patet ex pinguedine in iure innatante, & ex sapore carius, eiusq; gustu, quem in iure ipso percipimus, & cum præsertim coctio carnis producitur ad confectionem vsque consummati à nobis appellati; roboratur verò ratio ex illis, quæ dicit cap. de assatione, scilicet coeuntibus exterioribus meatibus non posse excerni intus existens humidum, sed includi cum meatus clausi fuerint. In hac controuersia frequentior opinio est vtramque sententiam conciliari posse distinguendo humidum in substantificum & in aduentitium, aut sensui obnoxium elixata sunt humidiora assatis humiditate aquea, & aduentitia, & ita experientia ipsa monstrat: at sunt sicciora secundum humiditatem substantificam, quod illa multa ex parte excreta sit in continentem humorem. iuxta hanc distinctionem soluuntur argumenta contraria in principio quæstionis adducta. Primum quidem. esse molliora humidiora humiditate sensuum obnoxia, at non semper humiditate substantifica. contra dura vt plurimum ea humiditate soluitur præstant. Secundum à Pomponatio calidum siccum magis exiccare, & calidum humidum magis humectare per se, at per accidens posse calidum siccum amplius humectare, at non esset laudabilis doctrina Aristotelis, dum ea quam per accidens vera tantum sunt sectaretur cum contra sint ea aliena à scientijs. dicendum ergo potius. in subiecto carente humiditate à calore aliquo sit humiditas generanda: à calore illam humido non sicco prouentitiam. at si in subiecto iam sit humiditas in quod subiectum agat calidum humidum contiguum. aut calidum siccum actiuitatis sphæra illud pertingens non corpore amplius educetur humiditas à calore humido contingu o, quàm à calore sicco ob rationem ab Aristotele adductam. penetrat enim calidum humidum & ducit secum intrinsecum humorem, at calor siccus claudit exteriores poros vnde interna humiditas intus detinetur.

Secundum soluitur ex eodem fundamento. humidum substantificum magis nutrit non magis humectat,& magis fatigat calorem naturalem concoquentem, contra in elixis humiditas solutior humectat magis, & magis, & facilius concoquitur. Quartum soluitur humor substantificus suo lentore glutinis, quandam vim habent, ideoq; aptissimè in dianhea, & disenteria exhibetur, at humiditas fluida elixorum dissoluit, adeoq; non est accomodatè eiusmodi morbis. Vallesius contra Aristotelem carpit,& elixa simpliciter humidiore assis asseritur,rationiq; philophi respondet negando idem esse rem continere plus succi, & esse humidiorem: & contra esse sicciorem, & continere minus succi. ratio verò est: quoniam potest is succus, qui in meatibus, crasculisq; ceu continetur exprimi è corpore, at permanere humor proprius solidarum partium idem concludit demum Vallesius si Aristoteles vocem (sicciora) in propria significatione sumpserit non rectè dicere sicciora esse elixa assatis, at si impropriè vsurpauerit pro ex succis scilicet sicciora sumpserit admitti posse. Qui modus dicendi repugnat toto Cælo priori sententię. Ea enim imbibitum in meatibus humorem,& succum ampliorem tribuit elixis ab aqua profectum, at humorem substantificum carnis: scilicet proprium ipsamq; conglutinantem ampliorem tribuit assatis pauciorem elixis: hic contrarium asserit. Ego hac in re cum priore sententia sum cum hac declaratione tamen. humor substantificus carnis, qui nunc dicitur est is, qui carnis partes conglutinat, verum non cuiusuis corporis humor conglutinans est hoc nomine humoris substantifici appellandus, sed is solum humor, qui à nostro calore in nutrimentum liquari, & concoqui potest, vt postea transeat in substantiam carnis nostræ, humor autem conglutinans non in vniuersum denominat. rem humidam secus saxa, & quæuis alia corpora subsistentia humida vocarentur cum contra, & dura, & sicca appellentur, & sint. at verò humor conglutinans substantificus, quippe qui liquari possit à nostro calore; eatenus tribuit humidi denominationem corpori, cui inest, & hinc assata ob eiusdem humoris retentionem humida vocat Aristoteles præ elixis, in qubus nedum hnmor pinguedininis excernitur, & & humor si qui alius in meatibus ab initio cõtinebatur,sed etiã pars humoris conglutinantis, ac subbstantifici, vnde perseuerante coctioni inramenta dissoluitur caro. prætereaq; facilius à dentibus inciditur elixa, quam cruda, quod scilicet humor coniungens, & conglutinans partes, minor iam fit effectus resoluta eius non exigua parte. Sit ergo summa humiditate substantifica humidiora sunt assata elxis: humiditate non substantifica humidiora elixa assatis. Et humiditas substantifica est humiditas conglutinans partes solidi. non tamen omnis humiditas conglutinans substantifica dicitur, neq; omnis denominat rem humidam, sed solum substantifica, vt liquabilis est à nostro calore coquente.



QVÆ-

QVÆSTIO $\frac{1}{46}$

Vtrum in assatis exteriora sint ficciora interioribus, & contra in elixis.

QVæstio hæc oritur ex capite infra de assatione, at ob propinquitatem hic eam prosequor. proximè enim quærebamus, vtrum assa sint humidiora elixis. hic quærimus vtrum partes exteriores in assatis sint ficciores interioribus, & elixis partes exteriores sint humidiores interioribus. ita vt hic comparentur partes assati cum partibus assati, & partes elixi cum eiusdem partibus; non autem partes assati cum partibus elixi, vt in quæstione præced. erat comparatio. Arist. ergo apertè profert partes exteriores assati esse ficciores interioribus: & in elixis rem contra se habere. At multæ dubitationes dictum hoc vrgent grauiores sunt. Prima de chyli, & de sanguine. verè ipsi elixantur: & tamen partes exteriores nō sunt humidiores interioribus. Secunda de ouo. hoc dū elixatur in olla, vel in cacabo ficciora habet exteriores partes, quàm interiores: nam albumen cōcrescit cū adhuc vitellus est molle. Tertia est Alberti, atq; subtilis admodum. si aqua elixans intimam humiditatem educeret elixati dū motus contrarij darentur aquæ præmeantis ad intimas corporis elixati partes, & humor inde effluentis in aquam. sed non dantur eiusmodi cōtrarij motus. ergo non educit aquæ elixans intimam humiditatem; ideoq; non restant interiores partes elixatorum sitiores interioribus. assumptū probatur (consequentia enim supponitur) nam si darentur eiusmodi duo motus. vtrumq; probatur. non possunt itaq; esse simul tempore, nam cum sint contrarij motus, si eodem tempore mobilia ferrerentur sese penetrarent, secus enim mutuo sibi obsisterent, & impedirent. at nō datur penetratio corporum, &c. Non est alter altero prior: quoniam vel est prior ingressus aquæ, & cum in meatibus interioribus adhuc resideat naturalis humiditas, erit penetratio corporum vel est prior egressus, & excretio humiditatis naturalis, & pro eo tempore, cum nondum ingressu est aqua in meatus interiores erunt illi vacui. exiccit enim interior humiditas, & nondum exterior subijt. Præterea non ingredi aquā, & dissoluere, &c. probatur etenim secluso humore interiore partes seiunctæ remanerent, essetq; ideò non concoctio, sed putrefactio tanquam in cineres dissoluta carne. Quarta eiusdem Alberti. Omne agens naturaliter fortius, & intensius agit in proxima sibi, quàm in remotum. ergo calor aquæ circumiacētis fortius agit in humidum propinquū externū partium quàm in humidū interiorum, ideòq; illud amplius resoluit: proindeq; ficciores debent esse partes exteriores. Experientia tamen est pro Aristotele. videmus enim assata ita se habere. elixorum quoq; molliorem esse corticē interiori parte experimur. restat contrarijs rationibus respondere. Ad primam ergo rationem dicitur: dictum hoc Aristotelis verum esse de artificiali assatione, & elixatione quas adductis locis describit, vt iam asserui, non de naturalibus ijsdem concoctionibus. Ad secundam idem Albertus, qui dubitat, etiam solutionem affert; respondet itaq; dictum Arist. esse per se verum, ac per accidens interdum contrarium accidere, idq; in ouo fieri.

1. obiectio. *2. obiectio.* *Tertia.* *Quarta.* *1. solutio.* *Ita etiā soluit Luccaferr.* *2. solutio.*

T 2 ete-

etenim albuminis oui euaporat humidũ ab initio densatur albumen, clauditq; aditum vitello ne possit euaporare eius humiditas, proindeq; ex accidenti humidus is restat. at fortè præstat respondere dictum Arist. intelligẽdum de corpore eiusdem naturæ, vt caro est, &c. at ouum cõtinet duas diuersas naturas albumen, & vitellum, harũ autem partium durescere magis alteram, altera nihil mirum est, at singulæ ea ratione coquuntur, vt elixatum albumen sit mollius extra, siccius intra, pariterq; vitellus sit intra mollior; extra durior, quod re ipsa experimur. adhuc.n. videmus molliusculum in meditullio vitellũ, & propè ablumen durum. ita quoq; potest dubitari, & solui dubitatio de leguminibus coctilibus, & elixatis, quæ sũt in cortice sicciora; intra molliora, cum cõcocta fuerint soluitur inquam quoniam cortex alterius naturę est à pulpa leguminis, vt nil mirum sit reddi illum pulpa sicciorem. at in pulpa ipsa pars exterior non est siccior intima; sed contrario potius modo se habet. Ad tertiã cõsequentia admittitur, vt Arist. ipsius ita Buccaferr. post Albertum instantia duplex obijcitur assumpta. At ego primo istarem consequentiæ, non.n. necesse est corpus humidum externũ penetrare in meditullium corporis elixandi, vt inde eliciat internã humiditatem satis est penetrare virtutẽ, nõ etiam mole, & corpore ex Arist. 1. de gen & corr. tex. 79. & seq. At admissa cõsequentia cęteri instant assumpto, quod sanè negandum est, & pro re fallaci nititur. neq;.n. rectè infertur dari penetrationem, si motus sint simul tempore, neq; dari vacuum, si alter alterum tempore præcedat. nõ penetrationem corporum etiamsi simul fiant contrarij motus, & per eosdem canales, quia possunt fieri per diuersas canalis partes dextram, & sinistram; priorem, & posteriorem ita videmus in exiguis, & angustis phialis plenis altera vini, altera aqua, dum altera alteri superponitur iũctis osculis aquam descendere, & vinũ ex altera parte eiusdem osculi ascendere. quousq; tota aqua deorsum descenderit vinum sursũ ascenderit. Buccaferreus exempla medica adducit venarum maraicarum per quas cæcum in hepar ex ventriculo ducit chylũ. & refundit in ventriculum sanguinem, hocq; modo non daretur penetratio ex ijs cõtrarijs motibus positis. Non daretur etiam vacuũ etiam si alter altero posterior esset motus. nam in meatibus excreto humore potest excitari, & dilatari vapor qui postea ad ingressum aquæ cogatur, & det aditũ ingrediẽti corpori, demum densatione, & rarefactione occurritur illationi vacui. restat solutio alterius obiectionis, quòd partes continuitatem ammitterent, essetq; dissolutio, adeoq; putrefactio, non cõcoctio. respondetur ergo à Buccaf. humidũ substantificum non dissolui, sed nutrimentale contraquam alij distinguant, & pręsertim Põponatius, atq; ego sup. suscepi. dico itaq; ego potius. humidũ substãtificũ dissolui, sed non totum, verũ partẽ adeoq; carnẽ elixã facilius dissolui à mandantibus, quã crudam, quam gluten partes cõtinens in cruda sit validius, & intẽsius, at in cõcocta, & elixa iã laxius. Ad quartã dicũt quidem. per se quidem agens magis dissoluturũ humiditatẽ partium exteriorũ, at per accidẽs impediri, quoniam humor pinguis, qui ex interiore parte excernitur in exterioribus meatibus retinetur ideoq; prohibet ne circircumiacentis aquę humiditas excernat humiditatem exteriorum earum partium. at non mihi probatur responsio. nam pinguis humiditas non restat in partibus exterioribus carnis, sed excernitur in ius, vt patet dicerem, ego itaq; partes exteriores, ipsas quoque ex vi humiditate substantifica non minori ex parte, quàm interiores, at suscipere plurem humiditatem ex aqua circumdante, quam accipiant interiorem, & ita esse humidiores illis.

Alia solutio.

Solutio tertia.

QVÆ-

ANNOTATIONES IN CAPITVLVM OCTAVVM.

SI mutationes consideremus certè prima omniũ est generatio. at si principia; generatio misti perfecti, adeoq; misti terminati præceditur præceditur à concretione, quæ est causa terminationis, & concretio ab exiccatione, est enim omnis concretio cum exiccatione. immò exiccatio quædam, vt in sequenti capite dicetur, vt ab ijs, quæ nunc dicentur distincta generationis intelligentia pendeat. Præstat ergo re altius repetita posita hic principia mutationum ab Aristotele expendere.

ANNOTATIO PRIMA In Particulam 24. In qua

QVÆSTIO 1

Vtrum terminatum corpus omne resultet ex mistione corporum sicci, & humidi, &c.

HVmidum, & siccum, vel sumuntur pro qualitatibus, & nou rectè dicitur cætera esse ex illis mista: non enim qualitates miscentur tex. 83. 1. de gen. & corrup. vel sumuntur pro corporibus humido, & sicco, vt sequentia paulò post verba indicant, & dubia videri potest veritas dicti. supponit enim dictum contemperationem omnem humidi, & sicci esse ex compositione diorum corporum alteram quorum sit siccum, alterum humidum, vt gluten sit ex aqua, & farina. At hoc mistionis principium placet reuocare in dubium ex Aristotelis ipsius dogmate de auditu physico 4. lib. tex. 84. vbi soluens dubitationem de rarefactione, & condensatione, quæ videbatur inferre vacuum imbibitum respondet materiam esse in potentia ad omnes contrarias qualitates, & formas, eodemq; modo ad magnitudinem, & paruitatem, vt eadem materia possit idcircò tum contrahi in minorem molem, tum ampliari in maiorem absque vacuo, tum insertarum vllarum modo constrictione modo ampliatione. pariter ergo dici posse videtur materia ipsa per se vna existens apta est, tum sicca fieri tum humida simpliciter tum etiam refractè pro gradibus qualitatis in agente absque mistione duorũ corporũ illas qualitates contrarias importãtiũ. hoc argumentum contra dictũ de mistione iam statutum est. considerandum verò num doctrina illa physic librorũ. & doctrina lib. de gen. & int. hucusq; libri inter se consentiant. an hæc postuma ab illa debilitetur. secundũ ergo illam siccitas, & humiditas erunt principiũ singulæ quo. materia verò vna, quę illas recipiat, vel absolutas, vel refractas nõ duæ materię, duodq; corpora cõcurrentia, quæ materia suscipit humiditatẽ, & siccitatẽ, vel integras, vel refractas pro vi agentis. cum enim illud poterit integras imprimere, integras suscipiet, cum in agente non fuerint integræ, non

integras suscipiet. quinimò possunt, at integræ esse in agente qualitates, vt in igne caliditas, at ob distantiam solum imprimere poterit partiariam non integram; id nobis accidit cum ad ignem stamus. facit prætereà dubitationem, augetq; id, quod in declarationem huius ipsius rei subiungit in hoc eodem capite. „Humidum enim sicco causa est, vt termine-
„ tur, & vtrumq; vtrique veluti gluten fit, sicut & Empedocles fecit in phy-
„ sicis farinam aqua conglutinans.„ Hoc inquam difficultatem auget quęremus enim quomodo humidum, & siccum conglutinetur, vel enim ad minimas, aut minutas particulas diuisa iuxta mutuo ponuntur, atque vtrumq; suum esse retinet, & non erit exiccatio corporum, nisi prout maiores erunt in iuxta positione particulæ siccæ, quam humidæ, ac interim omnes diuulsæ & siccæ à siccis, & humidæ à siccis, & humidæ ab humidis, solum enim iuxta positæ, sed quid dico siccæ erunt maiores humidis quinimò necesse erit siccas esse indiuisibiles: sunto enim diuibiles, ver.gr. sit AB. pars sicca diuisibilis E diuidatur in AC. CB. Erunt ergo AC. CB. continuæ, & consistentes ac non sine humido conglutinantur partes siccæ. ergo erit humor in parte AB. contra suppositionem, ponitur enim maxime sicca pars, & à particula humida omni seorsum

A C B

erit ergo AB. indiuisibiles, ramentum scilicet aliquod insecabile erit: at quomodo poterit esse corpus aliquod siccum consistens? non enim iam poterunt esse maiores partes siccę partibus humidis cum sint siccę indiuisibiles: humidæ, vel diuisibiles, vel sanè non minores indiuisibilibus non etiam poterunt esse plures, nam si plures erunt, ergo duæ, vel tres, &c. siccæ contiguæ antequam intercedat pars vlla humida, constabit itaque siccum ex partibus contiguis, adeoque diuulsis non continuis. Ergo non ibi gluten, atque conglutinatio. Sunt hæ difficultates totam fermè philosophiam peruadentes quomodo fiant actio, & passio quomodoque mistio prima de actione disputatio in sententias controuersas plures diuiditur. Vtrum actio fiat intrusione alicuius rei ab agente in patiens, an sola eductione ex patiente eius, quod in eius potentia latitabat. & si intrusionem in patiens dicamus agens operari, tum dubitatio est vtrum sit sola intrusio, qualitatis an etiam intrusio corporis. qui poros arbitrantur necessarios in patiente ad actionem excipiendam, illi corporis intrusionem sanè volunt. inter quos videtur esse Aristoteles cap. de combustibilibus infra. licet repugnarit enixa disputatione 1. lib. de gen. & in tex. 19. quid ergo dicendum? respondeo in sensatiore hac philosophia tutius incedi hac via quàm nunc calcat Aristoteles, & quoniam phylosophia tota naturalis, quia etiam paulò abstractior est debet demum cum sensabili consentire, vt Aristoteles docet lib. 3. de gen. animal. cap. de Apibus ideo recipiamus mistionem contrariorum in generatione corporum mediorum, & temperatarum, vt Aristoteles, eiusq; schola recipit, & nos cum illa recepimus in superioribus. Ad obiectiones autem, primoq; ad primam dici potest Aristotelem eo loco loquutum de simplicibus qualitatibus non de refractis, atque medijs, quos ex contrarijs resultante asserit etiam in libris physicis lib. scil. 5. tex 52. proindeq; nonnisi ex mistione nascuntur, sed obijcietur ab Aristotele mentionem fieri duri, & mollis, quæ sunt mediæ qualitates, ac mistorum, cui tamen obiectioni fortè responderi potest, non meminis-

miniſſe Ariſtotelem ibi duri, & mollis, vt qualitatum ad quas mutatio tendat vt ad terminum ad quem; ſed meminiſſe, vt qualitatum conſequentium denſum etiam. dicet enim denſum videri habere duas qualitates aſſeclas grauitatem, & duritiem. raritatem verò habere duas contrarias mollitiem, & leuitatem libet neque planè is doctrinæ aſſentiet in medium afferendo ferrum, & plumbum in quibus inæquali gradu reperiuntur durities, & grauitas. minus enim durum plumbum attamen grauius. magis durum ferrum, at minus graue. Ad ſecundam eſt ea obiectio de minimis infeſta ſatis toti miſtioni: attamen trita etiam in ſchola varijs modis ſoluta. in ſumma verò duobus modis in vniuerſum occurri poteſt. alter eſt ſuſcipiendo Democriti ſententiam ex indiuiſibilibus iuxta poſitis reſultare res, & ſatis eſſe illum coaletum etiam cum non fuerint hamaſæ, & vncæ, athomi. alter in Ariſtotelis via ſecundum materiam iuxta poni ſolum particulas nunc minimas. nunc grandiores, at conecti, & vniri ſecundum formam ſuperuenientē uix ſupponētē, & complectatem, & collitigantem in vnum iuxta poſita ſcilicet particulis aquæ, & terræ iuxta poſitis pro alterutr ius exceſſu ſuperuenire formam duritiei maioris minoris, quæ particulas in vnum ligat, ſicut forma ſubſtantialis in vnum ſubſtantia ducit. adducit ad formam argumenti ſunt ne diuiduibiles an indiuiſibiles dico mathematicè, ac vt plurimum etiam phyſicè, neque enim ad minima procedit, vel rariſſimè procedit iuxta poſitio. At humiditas cum in parte ſicco; & hoc ipſum fateri oportet. elementa enim quæ ad miſtionem veniunt ſunt elemenra, hæc quæ re ipſa reperiuntur, impura ſcilicet non pura, quæ ſola cogitatione diſtinguuntur. partes verò hæc terreæ ſunt compactæ, non in puluerem diſſolutæ. diuiſibiles ergo ſunt particulæ, & alterutrius elemento modo maiores, modo minores pro modo duritiei, vel mollitiei introducendæ.

ANNOTATIO SECVNDA

In eandem particulam.

Hæc quidem acti erunt hæc autem in oppoſito, habet autem ſic liquatio ad tiquabile.

ESSE quædam actu humida; potentia ſicca, & contra hic dicit Ariſtoteles, & confirmat exemplo liquationis, quæ eſt actio humida, & liquabilis, quod eſt actu ſiccum. Pomponatius hic potentia ſiccum, intelligit quod exiccandi facultatem obtinet. vt vina generoſa, quæ etiam ſi actu humida, exiccant tamen. pariter chryſtallus actu ſicco eſt cum & dura ſit at facultate humida ita Sauonarola, & multi medici, impoſita enim linguę humectat eam, & ſitim extinguit. At ego non arbitror hic potentiam, quam memorat Ariſtoteles eſſe potentiam actiuam exiccandi vt humectandi, ſed eſſe potentiam paſſiuam acquirendi ſiccitatem actu, qui conſiſtit, vel in duritie, vel in mollitie, vel acquirendi humiditatem, dum ſcilicet quod concretum eſt liquatur. expoſitionem hanc poſcunt. verba

Philosophi, nam de liquabili, & de liquatione de duro, & molli loquitur, quæ non ad alteratiuam, & actiuam facultatem, sed actualem humiditatem, ac siccitatem, & ad potentiam eorum susceptiuam vnde non pertinent ad hunc locum, quæ Pomponatius de vi exiccandi dubit. 56. ponit, & quærit. At dubitatio est dum passiuam potentiam hic exponimus, quod etiam ignis, & terra erunt humidi potentia; cum & ignis transeundo in aerem, & terra in aquam possint humiditatem acquirere. oportet itaq; restringere ad potentiam proximam, & de potentia passiua sanè, sed proxima loquatur nunc Philosophus, eoq; modo liquabile humidum potentia est. liquabile siquidem dicitur, quo proximam habet potentiam, vt liquetur, non autem remotam. non enim fictilia inter liquabilia ponuntur. Aristoteles infra cap. 10. secundum meam sectionem, summa itaq; interpretationis est hic humidum potentia ab Aristotele dici, quod tale est potentia passiua proxima, atq; ita humidi denominatio duplex erit. alia humidorum actu; alia humidorum potentia proxima. At nascitur dubitatio vtrum mollia sint humida. Nam Aristoteles in 2. de gen. & inter. molle suo humido reponit, at nunc molle retinet sub concreto, & concretum sub sicco, dicet enim cap. seq. concrescere esse aliquo modo exiccari, num ergo dicendum humidum ex verbis ipsis Aristotelis 2. de gen. est autem tex. 13. tolli dubitationem. ibi enim dicit Aristoteles molle non esse humidum, sed esse humidi reducitur ergo ad humidum vt particeps humidi non vt eius species. at dum est particeps humidi est etiam particeps sicci, vt si ex humido simpliciter fieri debeat molle necesse sit gradus sicci induci, quæ introductio, est illud exsiccari, quod dicet Arist. cap. sequenti.

ANNOTATIO TERTIA

Ad Particulam 36.

Cuiuscunque autem plus secundum potentiam, huius vnumquodq; videtur.

NAscitur ex his verbis dubitatio vtrum aliqua mista terminata sint in quibus aqua prædominetur, an omnia sint ex prædominio terræ. Aristoteles enim 2. de gen. & int. videtur omnia mista terminata terrea ex prædominio asserere. contra hic aliqua ex prædominio aquea esse significat, nascitur ergo controuersia hac de re inter Interpretes, disputat Pomponatius disp. 58. Discutiamus nos nunc eandem.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Vtrum omnia mista sint ex prædominio terrea, an, &c.

IAM dixi duo esse Arist. loca, quæ tanquam sibi mutuo contrariam controuersiam nectunt nunc ab initio instituentes disputationem, quæ pro contrarijs partibus adducuntur. sunt verò contrariæ partes plures in controuersia ad quas distinctius intelligendas varietas sententiarum est primo loco exponenda. Alia ergo sententia fert omnia mista perfecta, siue terminata, siue interminata esse à prædominio terrea. est D. Th. post Io. Gram. & Auerroem alia, & opposita. mista perfecta nedum esse aliqua, aquea, sed etiam aliqua aerea vt spiritus animales, vt fortè aliqua ignea, vt pyraustas, quæ in igne generantur, & viuunt. alia opinio restrinsit se ad mista terminata, vt sint illa omnia terrea. alia paulò latior erit si dicatur mista eadem terminata esse alia terrea, alia aquea, quæ videtur assertio Aristoteles in litera nunc discussa. aliæ sententiæ procedunt distinguendo, de quibus in dissertione. Pro prima ergo sententia est auctoritas Aristotelis tex 49. iam adducto 2. de gen. & inter. Pro secunda sententia est opinio Galeni, qui spiritus vitales, & animales mistos ex omnibus elementis insinuat, immò viuere, & nutriri asserit, quæ differit de pyraustis Aristoteles in lib. de hist. animal. videntur ponere etiam mistum igneum est hæc opinio Buccaferrei, & Pomponatij, & multorum. Pro ead. sententia sit aliud argumentum: nam nisi darentur mista ex prædominio etiam aerea & ignea: sed terrę solum, & aquæ sequeretur omnia mista esse frigida, quia tum aqua, tum terra frigida est. at esse mista aliqua calida ex prædominio omnes fatemur, ergo sunt aliqua mista aerea saltem ex prædominio. Pro tertia sententia verba Arist. tex. adducto 49. 2. de gen. & int. videntur pręsertim esse: de terminatis enim corporibus esse præsertim is locus videtur. Pro quarta sentẽtia esse videtur locus Arist. in præsenti particula. Ego hac in re indicaui sententiam in commentarijs, modo autem latius explico, quę probabiliora in Aristotelis via reputo. In misto est terminatio, quæ omnis in quadam consistentia, consistit etenim, terminatum est, quod formam suam retinet, non potest autem retinere nisi per consistentiam quandam. sunt præterea qualitates motiuæ grauitas, & leuitas remissiores, intensioresve pro mistionis gradibus sunt tertio loco qualitates alteratrices, calefacientes, scilicet frigefacientes, humectantes, exiccantes, hoc sit primum assertum. Secundum est mistorum hic consistentiam esse à terra, & ab aqua simul. adeò tum vt semper magis sit à terra. Tertium qualitates motiuæ misti perfecti sunt semper secundum prædominium terræ, aut aquæ. Quartum secundum crasim qualitatum alteram cum alijs mistis prædominantur duo inferiora; in alijs alia superiora. Primum assertum est satis planum per se ipsum, non egetq; confirmationem. Secundum autem probatur, quoad primam partem quidem est ratio Aristotelis text. 49. secundo de gener. quoad secundam autem partem, nam

cum

QVÆSTIO 2/42

Vtrum maturatio propriè sumpta locum habeat etiam in animalibus.

QVæritur secundo vtrum maturatio propriè & vniuocè sumpta locum etiam habeat in animalibus videtur autem non habere, nam Aristoteles ad fructus, & pericarpium restringit. Hac in disputatione opiniones duæ contrariæ videntur alia restringit ad fructus, & pericarpium concoctionem alia extendit etiam ad animalia in priore sententia videntur Alexander Aphrodisiensis, Vicomercatus, Suessanusq; nam dicunt ipsi vocem maturationis propriè dici de partibus, & alimento in pericarpio, at de cæteris secundum metaphoram, & analogiam. ergo de animalibus nonnisi secundum anagologiam dicetur. Caetanus Then. in eadem fermè sententia videtur esse, dicit enim priùs dici de fructibus maturationem posterius de animalibus, & de inanimatis, non tamen de his duobus purè vniuocè, nec purè æquiuocè. Alia sententia probatur Alberto magno, qui in seminis animalium perfectione reponit quoq; maturationem propriam. est Pomponatij quoq; dubit. 46 verba sunt eius. „ Primo quia
„ non videtur perpansis esse solum in fructibus: imò sicut fructus sunt
„ tunc digesti, quando sunt comestibiles, non autem antea ita ego dicam
„ hoc idem in animalibus, non enim dicam, & cæt. „ Hæc Pomponatius sententiam Alberti hanc sequuntur multi Latini, & ego quoq; cum eis sum & fundamentum proximè adductum monstrat sententiam hanc esse recipiendam ea vna est difficultas, quòd Aristoteles definitione vtitur ad fructus, & pericarpium restricta. respondeo itaq; Aristotelem ea restrictione vsum non vt ad primum analogatum, sed ad notius vulgo membrum procedendo scilicet à nobis notioribus in res satis obscura veluti in præcedente disputatione asserui, cum verò nego esse primum analogatum maturationem fructuum intelligo non esse eam vnam primum analogatum, sed esse partem primi analogati, & primum analogatum in tota sua amplitudine complecti perfectionem seminalis fæcunditatis in omnibus viuentibus siue compotia sensuum, siue expertia sint. At Thymo hunc in lib. q.4. ad primam negat restringi maturationem ex illis verbis [alimenti in pericarpio] ad plantas, nam in animalibus etiam interpretatur dari pericarpium ex.gr. sanguis est pericarpium generationis saniei, estq; locus seminis, ex quo fit sanies, vt id, ex quo in animali fieri potest, quippiam aliud, siue respectu eiusmodi rei generandæ pericarpium, sed qui vocem pericarpij græcam intelligit, eiusq; significationem is sanè intelligit quantum a proprietate vocis Thymonis opinio recedat.

Quæ sit natura, & substantia specierum concoctionis ex q. 43 vbi traditæ sunt differentiæ, quibus distinguuntur satis constat nunc suborientes quæstiunculæ ex Aristotelis dictis breuiter transigentur

QVÆ-

QVÆSTIO 53

Vtrum rectè ponatur lac inter ea, quæ maturantur crudaue sunt.

DVbitat Albertus, & post illum Pomponatius vtrum rectè lac ponatur inter ea, quæ maturationi subsunt cruditatiuè oppositæ, at ratio dubitandi, quoniam videtur potiùs ad assationem attinere cum cogatur à sicco calido. Ego verò addo aliam dubitationem ex Aristotele, qui lac intee elixabilia ponit, in eoq; eorum membro, quæ partim concrescunt partim tenuantur. Respondet Albertus. nec refutat responsionem Pomponatius nihil esse absurdi reponi aliquid in diuersis capitulis (vtor verbis eius) in vno vere in alio, non verè immò etiam aliquando reponitur in duobus metaphoricè, vt mulus assimilatur equo, & asino, neuter tamen eorum est. lac ergò verè assatur, & similitudinariè maturatur. hæc Albertus, cuius dicta, quoad solutionis fundamentum spectat, ego quoquprobo, at quatenus lac propriè assari dicit non video cur non potiùs cum Aristotele elixationem tribuamus, licet neque illam summa cum proprietate.ad argumentum autem quod calido sicco cogatur negati non potest, quin lac in Alieno ad ignem ponatur, vt coagulo illi insperso cogatur,quaratione ex alieno, & sicco calore concrescere videtur. attamen non ex calore vere igneo habet vt concrescat, nam mitis calor, & qui manu tolerari possit, requiritur & prӕterea coagulum in causa est coactionis, non enim absq; coagulo concresceret, vt in eo edulio, quod nòs vulgo tartaram vocamus, nisi oua, quot oportet misceantur fluidum præstat lac, & minimè coactum, vel post diuturnam coctionem ad ignem, vt concretionem lactis non esse à calore ipso per se pateat, neque calor, qui requiritur sit igneus, sed tepor potiùs quicq; ideò magis referat calorem humidum aeris, & vaporis; quàm siccum ignis concludit lac neque propriè elixari, neque propriè assari. sed impropriè vtrumq; minore tamen impropríetate elixari id quod Aristotelis adductum testimonium importat. De maturatione autem lactis notandum aliquem agricul uræ scriptorem tribuere maturationem caseo, cum scilicet ad eum statum peruenerit inter recentem,& antiquum in quo exquisitum saporem obtinet, dicitur autẽ ea maturatio, quoniam fit tempore, & videtur fieri à caseo intima virtute absque opera caloris externi ahibiti humidi, aut sicci, & hinc melius meo iuditio soluitur dubitatio trigesima quinta Pomponatij, quàm ibi soluatur.

QVÆ-

QVÆSTIO 4/44

Vtrum Aqua possit elixari.

DVbitatur de Aristotelis dicto dū aquam elixari indicat (cap. de maturat. vbi de cruditate) cum etenim aqua nequeat vllatenus incrassari videtur etiam non posse elixari. Respondet Pomponatius aquam elixari impropriè, & non propriè. in hoc conuenio cum Pomponatio, at in ratione impropriè eiusmodi attributionis non æquè cōuenio. dicit is eatenus elixari aquam quatenus frigus expellitur, & calor inducitur, sed nō probatur hæc ratio: nam sequeretur aquam refrigeratam post concoctionem non amplius coctam esse, contraquam passim dicimus, & reputamus dicendum ergo potius est aquam eatenus cōcoqui, quatenus flaticosior pars ex cōcoctione euaporat, & terrestris ad fundum vasi descendit, prorq; ita restat aquosa pars. species ea est, atq; representatio quædam terminationis, certè verò cedit in aquæ perfectionem, vt ea ratione concoctio vocari possit. dicitur verò eiusmodi concoctio potius elixatio, eo quòd non fit ab interno calore vt maturatio, neque assatio si cum nullatenus induretur pars eius exterior, & calor ipse ignis etiamsi per se siccus cum in aqua receptus eius humore humescat. huiusmodi inquam ratio saltem sua apparentia causam dedit, quamobrem nomen elixationis potius tribuatur quàm assationis concoctioni aquæ.

ANNOTATIONES
IN CAPITVLVM SEXTVM
ANNOTATIO PRIMA
Ad part. 60.

DIfferentiam ponit Aristoteles inter elixata, & frixa, quòd hæc humorē in quo coquuntur, attrahant illa externant suum, quocirca concludit sicciora esse elixa assatis, eo quòd hæc retineant illa exuant suam humiditatem. dicebam in commentario de frictis facilè posse admitti, & concipi at de assatis in veru non æquè imò esse, qui Aristoteli repugnent, pollicitus autem sum dubitationem agitare, quam nunc aggredior.

QVÆ

QVÆSTIO $\frac{1}{45}$

Vtrum aßata sint humidiora elixis.

MVlta sunt argumenta, quæ concludere videntur elixa humidiora assatis non contra. Elixa fiunt molliora, & laxiora, ac molliora humidiora, nam molliores rerum signum est humoris. Exiccatio fit à calido sicco potius, quàm à calido humido, quare assata exiccare potius, & elixari humectantur. Medici carnes elixas dant febrientibus, quoniam humida cibaria conueniunt febrientibus. Dantur in diharæa, & dissenteria assata non elixa, quoniam hæc laxant illa constringit. Ergo elixa sunt humidiaria assatis. Sunt deinde auctoritates Galeni lib. 3. de alim. facult. cap. 19. quæ assa sunt aut frixa in sartagine ea sunt sicciora. quæ verò in aqua dulci sunt elixa, alimentum corpori præbent humidius. Et lib. eod. cap. 2. Quæ namq; assantes, aut in sartagine frigentes mandunt ea corpori siccius dant alimentum; quæ verò in aqua præcoquunt humidius. Aristoteles contra docet assata humidiora elixis, & rationem adducit quoniam ab elixatis humor excernitur. Quod patet ex pinguedine in iure innatante, & ex sapore carius, eiusq; gustu, quem in iure ipso percipimus, & cum præsertim coctio carnis producitur ad confectionem vsque consummati à nobis appellati; roboratur verò ratio ex illis, quæ dicit cap. de assatione, scilicet coeuntibus exterioribus meatibus non posse excerni intus existens humidum, sed includi cum meatus clausi fuerint. In hac controuersia frequentior opinio est vtramque sententiam conciliari posse distinguendo humidum in substantificum & in aduentitium, aut sensui obnoxium elixata sunt humidiora assatis humiditate aquea, & aduentitia, & ita experientia ipsa monstrat: at sunt sicciora secundum humiditatem substantificam, quod illa multa ex parte excreta fit in continentem humorem. iuxta hanc distinctionem soluuntur argumenta contraria in principio quæstionis adducta. Primum quidem. esse molliora humidiora humiditate sensuum obnoxia, at non semper humiditate substantifica. contra dura vt plurimum ea humiditate soluitur præstant. Secundum à Pomponatio calidum siccum magis exiccare, & calidum humidum magis humectare per se, at per accidens posse calidum siccum amplius humectare, at non esset laudabilis doctrina Aristotelis, dum ea quam per accidens vera tantum sunt sectaretur cum contra sint ea aliena à scientijs. dicendum ergo potius. in subiecto carente humiditate à calore aliquo fit humiditas generanda: à calore illam humido non sicco prouentitiam. at si in subiecto iam sit humiditas in quod subiectum agat calidum humidum contiguum. aut calidum siccum actiuitatis sphæra illud pertingens non corpore amplius educetur humiditas à calore humido contiguo, quàm à calore sicco ob rationem ab Aristotele adductam. penetrat enim calidum humidum & ducit secum intrinsecum humorem, at calor siccus claudit exteriores poros vnde interna humiditas intus detinetur.

Secundum soluitur ex eodem fundamento. humidum substantificum magis nutrit non magis humectat, & magis fatigat calorem naturalem concoquentem, contra in elixis humiditas solutior humectat magis, & magis, & facilius concoquitur. Quartum soluitur humor substantificus suo lentore glutinis, quandam vim habent, ideoq; aptissimè in diarrhea, & disenteria exhibetur, at humiditas fluida elixorum dissoluit, adeoq; non est accomodatè eiusmodi morbis. Vallesius contra Aristotelem carpit, & elixa simpliciter humidiore assis asseritur, rationiq; philophi respondet negando idem esse rem continere plus succi, & esse humidiorem: & contra esse sicciorem, & continere minus succi. ratio verò est: quoniam potest is succus, qui in meatibus, crasculisq; ceu continetur exprimi è corpore, at permanere humor proprius solidarum partium idem concludit demum Vallesius si Aristoteles vocem (ficciora) in propria significatione sumpserit non rectè dicere ficciora esse elixa assatis, at si impropriè vsurpauerit pro ex succis scilicet ficciora sumpserit admitti posse. Qui modus dicendi repugnat toto Cælo priori sententię. Ea enim imbibitum in meatibus humorem, & succum ampliorem tribuit elixis ab aqua profectum, at humorem substantificum carnis. scilicet proprium ipsamq; conglutinantem ampliorem tribuit assatis pauciorem elixis: hic contrarium asserit. Ego hac in re cum priore sententia sum cum hac declaratione tamen. humor substantificus carnis, qui nunc dicitur est is, qui carnis partes conglutinat, verum non cuiusuis corporis humor conglutinans est hoc nomine humoris substantifici appellandus, sed is solum humor, qui à nostro calore in nutrimentum liquari, & concoqui potest, vt postea transeat in substantiam carnis nostræ, humor autem conglutinans non in vniuersum denominat. rem humidam secus saxa, & quæuis alia corpora subsistentia humida vocarentur cum contra, & dura, & ficca appellentur, & sint. at verò humor conglutinans substantificus, quippe qui liquari possit à nostro calore; eatenus tribuit humidi denominationem corpori, cui inest, & hinc assata ob eiusdem humoris retentionem humida vocat Aristoteles præ elixis, in qubus nedum hnmor pinguedininis excernitur, & & humor si qui alius in meatibus ab initio cõtinebatur, sed etiã pars humoris conglutinantis, ac subbstantifici, vnde perseuerante coctioni intra menta dissoluitur caro. prætereaq; facilius à dentibus tnciditur elixa, quam cruda, quod scilicet humor coniungens, & conglutinans partes, minor iam sit effectus resoluta eius non exigua parte. Sit ergo summa humiditate substantifica humidiora sunt assata elixis: humiditate non substantifica humidiora elixa assatis. Et humiditas substantifica est humiditas conglutinans partes solidi. non tamen omnis humiditas conglutinans substantifica dicitur, neq; omnis denominat rem humidam, sed solum substantifica, vt liquabilis est à nostro calore coquente.



QVÆ-

QVÆSTIO $\frac{1}{46}$

Vtrum in assatis exteriora sintficciora interioribus, & contra in elixis.

QVæstio hæc oritur ex capite infra de assatione, at ob propinquitatem hic eam prosequor. proximè enim quærebamus, vtrum assa sint humidiora elixis. hic quærimus vtrum partes exteriores in assatis sint ficciores interioribus, & elixis partes exteriores sint humidiores interioribus. ita vt hic comparentur partes assati cum partibus assati, & partes elixi cum eiusdem partibus; non autem partes assati cum partibus elixi, vt in quæstione præced. erat comparatio. Arist. ergo apertè profert partes exteriores assati esse ficciores interioribus; & in elixis rem contra se habere. At mul- *1. obiectio.* tæ dubitationes dictum hoc vrgent grauiores sunt. Prima de chyli, & de sanguine. verè ipsi elixantur, & tamen partes exteriores nõ sunt humidio- *2. obiectio.* res interioribus. Secunda de ouo. hoc dũ elixatur in olla, vel in cacabo ficciora habet exteriores partes, quàm interiores: nam albumen cõcrescit cũ *Tertia.* adhuc vitellus est molle. Tertia est Alberti, atq; subtilis admodum. si aqua elixans intimam humiditatem educeret elixati dũ motus contrarij darentur aquæ præmeantis ad intimas corporis elixati partes, & humor inde effluentis in aquam. sed non dantur eiusmodi cõtrarij motus. ergo non educit aquæ elixans intimam humiditatem; ideoq; non restant interiores partes elixatorum sit res interioribus. assumptũ probatur (consequentia enim supponitur) nam si darentur eiusmodi duo motus. vtrumq; probatur. non possunt itaq; esse simul tempore, nam cum sint contrarij motus, si eodem tempore mobilia ferrerentur sese penetrarent, secus enim mutuo sibi obsisterent, & impedirent. at nõ datur penetratio corporum, &c. Non est alter altero prior: quoniam vel est prior ingressus aquæ, & cum in meatibus in interioribus adhuc resideat naturalis humiditas, erit penetratio corporum vel est prior egressus, & excretio humiditatis naturalis, & pro eo tempore, cum nõdum ingressa est aqua in meatus interiores erunt illi vacui. exiccit enim interior humiditas, & nondum exterior subijt. Præterea non ingredi aquã, & dissoluere, &c. probatur etenim secluso humore interiore partes se iunctæ remanerent, essetq; ideò non concoctio, sed putrefactio tan- *Quarta.* quam in cineres dissoluta carne. Quarta eiusdem Alberti. Omne agens naturaliter fortius, & intensius agit in proxima sibi, quàm in remotum. ergo calor aquæ circumiacẽtis fortius agit in humidum propinquũ externũ partium quàm in humidũ interiorum, ideòq; illud amplius resoluit: proindeq; ficciores debent esse partes exteriores. Experientia tamen est pro Aristote- *1. solutio.* le. videmus enim assata ita se habere. elixorum quoq; molliorem esse cor- *Ita etiã soluit Zucca-* ticẽ interiori parte experimur. restat contrarijs rationibus respondere. Ad *ferr.* primam ergo rationem dicitur: dictum hoc Aristotelis verum esse de artificiali assatione, & elixatione quas adductis locis describit, vt iam asserui, *2. solutio.* non de naturalibus ijsdem concoctionibus. Ad secundam idem Albertus, qui dubitat, etiam solutionem affert; respondet itaq; dictum Arist. esse per se verum, ac per accidens interdum contrarium accidere, idq; in ouo fieri.

etenim albuminis oui euaporat humidũ ab initio densatur albumen, clauditq; aditum vitello ne possit euaporare eius humiditas, proindeq; ex accidenti humidus is restat. at fortè præstat respondere dictum Arist. intelligẽdum de corpore eiusdem naturæ, vt caro est, &c. at ouum cõtinet duas diuersas naturas albumen, & vitellum, harũ autem partium durescere magis alteram, altera nihil mirum est, at singulæ ea ratione coquuntur, vt elixatum albumen sit mollius extra, siccius intra, pariterq; vitellus sit intra mollior; extra durior, quod re ipsa experimur. adhuc. n. videmus molliusculum in meditullio vitellũ, & propè ablumen durum. ita quoq; potest dubitari, & solui dubitatio de leguminibus coctilibus, & elixatis, quæ sũt in cortice sicciora; intra molliora, cum cõcocta fuerint soluitur inquam quoniam cortex alterius naturę est à pulpa leguminis, vt nil mirum sit reddi illum pulpa sicciorem. at in pulpa ipsa pars exterior non est siccior intima; sed contrario potius modo se habet. Ad tertiã cõsequentia admittitur, vt Arist. ipsius ita Buccaferr. post Albertum instantia duplex obijcitur assumpta. At ego primo istarem consequentiæ, non. n. necesse est corpus humidum externũ penetrare in meditullium corporis elixandi, vt inde eliciat internã humiditatem satis est penetrare virtutẽ, nõ etiam mole & corpore ex Arist. 1. de gen & corr. tex. 79. & seq. At admissa cõsequentia cęteri instant assumpto, quod sanè negandum est, & pro re fallaci nititur. neq; n. rectè infertur dari penetrationem, si motus sint simul tempore, neq; dari vacuum, si alter alterum tempore præcedat. nõ penetrationem corporum etiamsi simul fiant contrarij motus, & per eosdem canales, quia possunt fieri per diuersas canalis partes dextram, & sinistram; priorem, & posteriorem ita videmus in exiguis, & angustis phialis plenis altera vini, altera aqua, dum altera alteri superponitur iũctis osculis aquam descendere, & vinũ ex altera parte eiusdem osculi ascendere. quousq; tota aqua deorsum descenderit vinum sursũ ascenderit. Buccaferreus exempla medica adducit venarum maraicarum per quas cæcum in hepar ex ventriculo ducit chylũ. & refundit in ventriculum sanguinem, hocq; modo non daretur penetratio ex ijs cõtrarijs motibus positis. Non daretur etiam vacuũ etiam si alter altero posterior esset motus. nam in meatibus excreto humore potest excitari, & dilatari vapor qui postea ad ingressum aquæ cogatur, & det aditũ ingrediẽti corpori, demum densatione, & rarefactione occurritur illationi vacui. restat solutio alterius obiectionis, quòd partes continuitatem ammitterent, essetq; dissolutio, adeoq; putrefactio, non cõcoctio. respondetur ergo à Buccaf. humidũ substantificum non dissolui, sed nutrimentale contra quam alij distinguant, & prȩsertim Põponatius, atq; ego sup. suscepi. dico itaq; ego potius. humidũ substãtificũ dissolui, sed non totum, verũ partẽ adeoq; carnẽ elixã facilius dissolui à mandantibus, quã crudam, quam gluten partes cõtinens in cruda sit validius, & intẽsius, at in cõcocta, & elixa iã laxius. Ad quartã dicũt quidem. per se quidem agens magis dissoluturũ humiditatẽ partium exteriorũ, at per accidẽs impediri, quoniam humor pinguis, qui ex interiore parte excernitur in exterioribus meatibus retinetur ideoq; prohibet ne circircumiacentis aquę humiditas excernat humiditatem exteriorum earum partium. at non mihi probatur responsio. nam pinguis humiditas non restat in partibus exterioribus carnis, sed excernitur in ius, vt patet dicerem, ego itaq; partes exteriores, ipsas quoque ex vi humiditate substantifica non minori ex parte, quàm interiores, at suscipere plurem humiditatem ex aqua circumdante, quam accipiant interiorem, & ita esse humidiores illis.

Alia solutio.

Solutio tertia.

QVÆ-

ANNOTATIONES IN CAPITVLVM OCTAVVM.

SI mutationes consideremns certè prima omniū est generatio. at si principia; generatio misti perfecti, adeoq; misti terminati præceditur præceditur à concretione, quæ est causa terminationis, & concretio ab exiccatione, est enim omnis concretio cum exiccatione. immò exiccatio quædam, vt in sequenti capite dicetur, vt ab ijs, quæ nunc dicentur distincta generationis intelligentia pendeat. Præstat ergo rc altius repetita posita hic principia mutationum ab Aristotele expendere.

ANNOTATIO PRIMA In Particulam 24. In qua

QVÆSTIO I

Vtrum terminatum corpus omne resultet ex mistione corporum sicci, & humidi, &c.

HVmidum, & siccum, vel sumuntur pro qualitatibus, & non rectè dicitur cætera esse ex illis mista: non enim qualitates miscentur tex. 83. 1. de gen. & corrup. vel sumuntur pro corporibus humido, & sicco, vt sequentia paulò post verba indicant, & dubia videri potest veritas dicti, supponit enim dictum contemperationem omnem humidi, & sicci esse ex compositione diorum corporum alteram quorum sit siccum, alterum humidum, vt gluten sit ex aqua, & farina. At hoc mistionis principium placet reuocare in dubium ex Aristotelis ipsius dogmate de auditu physico 4. lib. tex. 84. vbi soluens dubitationem de rarefactione, & condensatione, quæ videbatur inferre vacuum imbibitum respondet materiam esse in potentia ad omnes contrarias qualitates, & formas, eodemq; modo ad magnitudinem, & paruitatem, vt eadem materia possit idcircò tum contrahi in minorem molem, tum ampliari in maiorem absque vacuo, tum insertarum vllarum modo constrictione modo ampliatione. pariter ergo dici posse videtur materia ipsa per se vna existens apta est, tum sicca fieri tum humida simpliciter tum etiam refractæ pro gradibus qualitatis in agente absque mistione duorū corporū illas qualitates contrarias importātiū. hoc argumentum contra dictū de mistione iam statutum est. considerandum verò num doctrina illa physic librorū. & doctrina lib. de gen. & int. hucusq; libri inter se consentiant. an hæc postuma ab illa debilitetur. secundū ergo illam siccitas, & humiditas erunt principiū singulæ quo. materia verò vna, quę illas recipiat, vel absolutas, vel refractas nō duæ materię, duodq; corpora cōcurrentia, quæ materia suscipit humiditatē, & siccitatē, vel integras, vel refractas pro vi agentis. cum enim illud poterit integras imprimere, integras suscipiet, cum in agente non fuerint integræ, non inte-

integras suscipiet. quinimò possunt, at integræ esse in agente qualitates, vt in igne caliditas, at ob distantiam solum imprimere poterit partiariam non integram; id nobis accidit cum ad ignem stamus. facit præterea dubitationem, augetq; id, quod in declarationem huius ipsius rei subiungit in hoc eodem capite. „Humidum enim sicco causa est, vt termine-
„ tur, & vtrumq; vtrique veluti gluten fit, sicut & Empedocles fecit in phy-
„ sicis farinam aqua conglutinans. „ Hoc inquam difficultatem auget quęremus enim quomodo humidum, & siccum conglutinetur, vel enim ad minimas, aut minutas particulas diuisa iuxta mutuo ponuntur, atque vtrumq; suum esse retinet, & non erit exiccatio corporum, nisi prout maiores erunt in iuxta positione particulæ siccæ, quam humidæ, ac interim omnes diuulsæ & siccæ à siccis, & humidæ à siccis, & humidæ ab humidis, solum enim iuxta positæ, sed quid dico siccæ erunt maiores humidis quinimò necesse erit siccas esse indiuisibiles: sunto enim diuibiles, ver.gr. sit AB. pars sicca diuisibilis E diuidatur in AC. CB. Erunt ergo AC. CB. continuæ, & consistentes ac non sine humido conglutinantur partes siccæ. ergo erit humor in parte AB. contra suppositionem, ponitur enim maxrè sicca pars, & à particula humida omni seorsum erit ergo AB. indiuisibiles, ramentum scilicet aliquod insecabile erit: at quomodo poterit esse corpus aliquod siccum consistens? non enim iam poterunt esse maiores partes siccę partibus humidis cum sint siccę indiuisibiles: humidæ, vel diuisibiles, vel sanè non minores indiuisibilibus non etiam poterunt esse plures, nam si plures erunt, ergo duæ, vel tres, & c. siccæ contiguæ antequam intercedat pars vlla humida, constabit itaque siccum ex partibus contiguis, adeoque diuulsis non continuis. Ergo non ibi gluten, atque conglutinatio. Sunt hæ difficultates totam fermè philosophiam peruadentes quomodo fiant actio, & passio quomodoque mistio prima de actione disputatio in sententias controuersas plures diuiditur. Vtrum actio fiat intrusione alicuius rei ab agente in patiens, an sola eductione ex patiente eius, quod in eius potentia latitabat. & si intrusionem in patiens dicamus agens operari, tum dubitatio est vtrum sit sola intrusio, qualitatis an etiam intrusio corporis. qui poros arbitrantur necessarios in patiente ad actionem excipiendam, illi corporis intrusionem sanè volunt. inter quos videtur esse Aristoteles cap. de combustibilibus infra. licet repugnarit enixa disputatione 1. lib. de gen. & in tex. 19. quid ergo dicendum? respondeo in sensatiore hac philosophia tutius incedi hac via quàm nunc calcat Aristoteles, & quoniam phylosophia tota naturalis, quia etiam paulò abstractior est debet demum cum sensabili consentire, vt Aristoteles docet lib. 3. de gen. animal. cap. de Apibus ideo recipiamus mistionem contrariorum in generatione corporum mediorum, & temperatarum, vt Aristoteles, eiusq; schola recipit, & nos cum illa recepimus in superioribus. Ad obiectiones autem, primoq; ad primam dici potest Aristotelem eo loco loquutum de simplicibus qualitatibus non de refractis, atque medijs, quos ex contrarijs resultante asserit etiam in libris physicis lib. scil. 5. tex 52. proindeq; nonnisi ex mistione nascuntur, sed obijcietur ab Aristotele mentionem fieri duri, & mollis, quæ sunt mediæ qualitates, ac mistorum, cui tamen obiectioni fortè responderi potest, non meminis-

A C B

minisse Aristotelem ibi duri, & mollis, vt qualitatum ad quas mutatio tendat vt ad terminum ad quem; sed meminisse, vt qualitatum consequentium densum etiam. dicet enim densum videri habere duas qualitates assseclas grauitatem, & duritiem. raritatem verò habere duas contrarias mollitiem, & leuitatem libet neque planè is doctrinæ assentiet in medium afferendo ferrum, & plumbum in quibus inæquali gradu reperiuntur durities, & grauitas. minus enim durum plumbum attamen grauius. magis durum ferrum, at minus graue. Ad secundam est ea obiectio de minimis infesta satis toti mistioni: attamen trita etiam in schola varijs modis soluta. in summa verò duobus modis in vniuersum occurri potest. alter est suscipiendo Democriti sententiam ex indiuisibilibus iuxta positis resultare res, & satis esse illum coaletum etiam cum non fuerint hamasæ, & vncæ, athomi. alter in Aristotelis via secundum materiam iuxta poni solum particulas nunc minimas. nunc grandiores, at conecti, & vniri secundum formam superuenientē uix supponētē, & complectatem, & collitigantem in vnum iuxta posita scilicet particulis aquæ, & terræ iuxta positis pro alterutr ius excessu superuenire formam duritiei maioris minoris, quæ particulas in vnum ligat, sicut forma substantialis in vnum substantia ducit. adducit ad formam argumenti sunt ne diuidiuibiles an indiuisibiles dico mathematicè, ac vt plurimum etiam physicè, neque enim ad minima procedit, vel rarissimè procedit iuxta positio. At humiditas cum in parte sicco; & hoc ipsum fateri oportet. elementa enim quæ ad mistionem veniunt sunt elementa, hæc quæ re ipsa reperiuntur, impura scilicet non pura, quæ sola cogitatione distinguuntur. partes verò hæc terreæ sunt compactæ, non in puluerem dissolutæ. diuisibiles ergo sunt particulæ, & alterutrius elemento modo maiores, modo minores pro modo duritiei, vel mollitiei introducendæ.

ANNOTATIO SECVNDA

In eandem particulam.

Hæc quidem acti erunt hæc autem in opposito, habet autem sic liquatio ad liquabile.

ESSE quædam actu humida; potentia sicca, & contra hic dicit Aristoteles, & confirmat exemplo liquationis, quæ est actio humida, & liquabilis, quod est actu siccum. Pomponatius hic potentia siccum, intelligit quod exiccandi facultatem obtinet. vt vina generosa, quæ etiam si actu humida, exiccant tamen. pariter chrystallus actu sicco est cum & dura sit at facultate humida ita Sauonarola, & multi medici, imposita enim linguę humectat eam, & sitim extinguit. At ego non arbitror hic potentiam, quam memorat Aristoteles esse potentiam actiuam exiccandi vt humectandi, sed esse potentiam passiuam acquirendi siccitatem actu, qui consistit, vel in duritie, vel in mollitie, vel acquirendi humiditatem, dum scilicet quod concretum est liquatur. expositionem hanc poscunt. verba

QVÆSTIO I

Vtrum omnia mista sint ex prædominio terrea, an, &c.

IAM dixi duo esse Arist. loca, quæ tanquam sibi mutuo contrariam controuersiam nectunt nunc ab initio instituentes disputationem, quæ pro contrarijs partibus adducuntur. sunt verò contrariæ partes plures in controuersia ad quas distinctius intelligendas varietas sententiarum est primo loco exponenda. Alia ergo sententia fert omnia mista perfecta, siue terminata, siue interminata esse à prædominio terrea. est D. Th. post Io. Gram. & Auerroem alia, & opposita. mista perfecta nedum esse aliqua, aquea, sed etiam aliqua aerea vt spiritus animales, vt fortè aliqua ignea, vt pyraustas, quæ in igne generantur, & viuunt. alia opinio restrinsit se ad mista terminata, vt sint illa omnia terrea. alia paulò latior erit si dicatur mista eadem terminata esse alia terrea, alia aquea, quæ videtur assertio Aristoteles in litera nunc discussa. aliæ sententiæ procedunt distinguendo, de quibus in dissertione. Pro prima ergo sententia est auctoritas Aristotelis tex 49. iam adducto 2. de gen. & inter. Pro secunda sententia est opinio Galeni, qui spiritus vitales, & animales mistos ex omnibus elementis insinuat, immò viuere, & nutriri asserit, quæ differit de pyraustis Aristoteles in lib. de hist. animal. videntur ponere etiam mistum igneum est hæc opinio Buccaferrei, & Pomponatij, & multorum. Pro ead. sententia sit aliud argumentum: nam nisi darentur mista ex prædominio etiam aerea & ignea: sed terrę solum, & aquæ sequeretur omnia mista esse frigida, quia tum aqua, tum terra frigida est. at esse mista aliqua calida ex prædominio omnes fatemur, ergo sunt aliqua mista aerea saltem ex prædominio. Pro tertia sententia verba Arist. tex. adducto 49. 2. de gen. & int. videntur pręsertim esse: de terminatis enim corporibus esse præsertim is locus videtur. Pro quarta sentētia esse videtur locus Arist. in præsenti particula. Ego hac in re indicaui sententiam in commentarijs, modo autem latius explico, quę probabiliora in Aristotelis via reputo. In misto est terminatio, quæ omnis in quadam consistentia, consistit etenim, terminatum est, quod formam suam retinet, non potest autem retinere nisi per consistentiam quandam. sunt præterea qualitates motiuæ grauitas, & leuitas remissiores, intensioresve pro mistionis gradibus sunt tertio loco qualitates alteratrices, calefacientes, scilicet frigefacientes, humectantes, exiccantes, hoc sit primum assertum. Secundum est mistorum hic consistentiam esse à terra, & ab aqua simul. adeò tum vt semper magis sit à terra. Tertium qualitates motiuæ misti perfecti sunt semper secundum prædominium terræ, aut aquæ. Quartum secundum crasim qualitatum alteram cum alijs mistis prædominantur duo inferiora; in alijs alia superiora. Primum assertum est satis planum per se ipsum, non egetq; confirmationem. Secundum autem probatur, quoad primam partem quidem est ratio Aristotelis text. 49. secundo de gener. quoad secundam autem partem, nam cum

cum aqua fit per se fluida, vbi prævalet reddit fluidum pro consistente mistum, at dum corpus restat fluidum non est consistens, neque retinet formam suam, proindeq; non est terminatum. Tertium assertum probatur, quoniam eiusmodi mista hic quiescunt, adeoq; naturaliter hinc mouentur, ergo sunt grauia. mouentur itaque ex prædominio alterutrius elementorum grauium terræ, aut aquæ. huc spectant illa verba tex. 49. 2. de gen. & corr. [Omnia autem misti corpora, quæcunque circa medij locum sunt.] Quartum assertum apertè probatur ex euidentia mistorum calefacientium ex obseruatione medicorum. At Aristoteles etiam infra cap. penult. multa mista esse ex prædominio calida docet, & certè nos calefieri à Pipere, à Sinapi. Præterea Aristoteles ligna habere plus aeris præter ebenum dicet mox cap. 10. sicut & mel dicit esse terræ, & aeris. Hæc pro sententia, quam ego probabiliorem in Aristotelis via arbitror, quæ tamen contra dubitata sunt, & dubitari possunt. nunc pensemus. Quoad primam partem secundi asserti ex aduerbio (hic) difficultas nascitur vtrum corpora aliqua in superiore loco consistentia possint esse terminata absq; mistione terræ, & aquę responderem aliquod corpus consistere absque mistione terræ: nam si ignis densaretur, pariter & aer in suprema regione corpus illud densatum terminaretur, & figuram suam retineret. De cometis etiam confirmatur idem. At fortè contra argumentabuntur Peripatetici non posse adeò consistere aerem, & ignem etiamsi densatos. vt terminati dici mæreantur, & de comete dicent gigni ipsum ex sicco halitu, qui terream portionem defert. & iuxta Aristotelem non separari adeò siccum halitum ab humido, vt non vna ibi reperiantur cum ergo exhalatio terream portionem: vapor aqueam contineat hinc: potest cometa terminationem suscipere, veluti dracones, & aliæ eiusmodi impressiones ignitæ diutioris vitæ, vt stellas cadentes, & faces transcurrentes excipimus, at posse adeò consistere aerem, vt retineat figuram, & seruet per aliquod tempus, ex nubibus patet dum in varios spectra formantur pugnantium militum: diuersorum itidem animalium, quæ spectra interdum per horas durant. De cometis verò ipsos ex densato aere in suprema regione posse nasci veri simile admodum est. & loci altitudo, in quo pleriq; cometæ gignuntur, id plane cogit existimare. [Qua de altitudine in meo de tribus nouis stellis volumine disserui] non frustra ergo Aristoteles aduerbio (hic) restrinxit propositionem suam ad mista, quæ hic sunt, quæ scilicet circa medij locum sunt, vt dixit tex. 49. 2. de gen. &c. toties memorato dixit; enim ibi (omnia autem mista quæcunque circa medij locum sunt, &c.) vt verba illa (quæcunque circa medij locum sunt) exponunt aduerbium (hic) nunc vsurpatum. Prima ergo pars secundi huius asserti ita sit declarata, & pro peripatetica, planèq; ad mentem Aristotelis confirmata. At secunda pars non æquè plana est. nam glacies terminata est; & tamen in ea aqua prædominatur, non terra. hoc ipsum confirmat Aristoteles, capite enim sequenti inter cætera habet. „ Si enim aquæ, oportebat concrescere à frigido, vt glacies. „ ex quo etiam rationem nostram apparet non procedere: non enim fluit glacies, etiamsi prædominetur aqua. Disputatio de hoc seorsum instituetur.

De tertio asserto.

Tertium nunc assertum consideremus. duas ipsum patitur obiectiones.

Prior

Prior est de spiritibus vitalibus, & animalibus, qui mista perfecta sunt, & tamen sursum suapte natura mobilia sunl, non deorsum. posterior obiectio est de lignis, quæ sunt mista perfecta absq; dubio, & tamen inatant aquæ,ut ideò potentiam motiuam nō ab aqua obtineant, nòn.n.illi innatarent; multo minus habet à terra. Submergerentur enim Quoad primam exclusa est ex declaratione misti perfecti à me adhibita iā in principio huius lib. vbi mistum perfectū terminationē exigere dixi. quocirca neque spiritus, neque vinum, cæteriq; humores sunt mista perfecta: etimsi omnia quatuor elementa includere ponantur; hæc eadem responsio de oleo tollit difficultates, quod innatat aquæ. At de lignis difficultas est, quæ terminata sunt, ideoq; perfecta, & tamen aon mouentur ad locum terræ, aquæue,cum innatent aquę. Respondet Buccaferreus. lignum innatare aquæ ex aere extrinseco, qui intra eius poros continetur, sunt enim lati pori quod si pori sunt arcti, vt in buxo, & in guaiaco, & in hebeno demerguntur, de hebeno idem fatetur Aristoteles de buxo reticet guaiacum non nouit, notum solum post detectam Americam, vt vocant, nouum orbem, simile est hac ratione de ligno, atque de homine insistente viribus inflatis vel ab inflata vesica, & dorso assignata sustentato non demergitur enim secundum hanc ergo responsionem lignum secundum deorsum, ferri aptum est etiam ad vniuersi centrum si libera esset via,at obimpedimentum aeris in poris subingressi (non verò aeris cum reliquis elementis commistijs) non demergitur non secus atque cum humor detinetur ab inflato vtrone demergatur cui pariter responsioni ego, vt probabilissimæ subscribo. At tertia difficultas nascitur ex quarto asserto, in cuius examine ipsa quoque explicabitur.

De quarto asserto.

Quartum assertum frequentissima schola suscipit in mistis scilicet perfectis dominari elementa inferiora secundum qualitates motiuas,nō secundum qualitates actiuas,ac passiuas,sed in aliquibus dominari aerē in aliquibus ignē,siue in aliquibus caliditatē, & humiditatem in aliquibus caliditatē, & siccitatem proindeq;non omnia mista esse frigidi temparamenti,sed aliqua immò plura calidi.Ita Diuus Thomas,& multi post eum. at verò contra hanc sententiam inuehitur Buccaferreus arguens. qualitates motiuas ex actiuis, & passiuis procedere secundum Aristotelem 2. de gen. & corrupt. nimirum ex caliditate. & siccitate leuitas summa, &c. quocirca non poterunt dissentire motiuæ qualitates & actiuæ,passiuæ ue sed si præualeat caliditas, & frigiditas præualeat etiā leuitas, si frigiditas,& siccitas præualeat grauitas. Verum ego non video vbi Arist.doceat ex actiuis,ac passiuis qualitatibus pendere motiuas 2. sanè de gen. & int. tex. 8. inter qualitates tangibiles memorat grauitatem, & leuitatem, & itidem etiam dicit non esse actiuas, cec passiuas, vt significet non reduci illas ad quatuo prima scaliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, quod est contratium assertioni Buccaferrej. Inseramus nunc disputationem vtrum in terminatis mistis prædomineturisemper terra, an in aliquibus terra, in aliquibus aeua.

Vtrum in mistis terminatis in inferioribus his locis existentibus semper terra prædominetur an interdum aqua.

Auerroes, & Diuus Thomas credunt semper prædominari terram con-

consideremus rationes pro hac parte, est ergo testimonium Aristotelis tex.49. 2. de gen. & corr. Sed Buccaferreus occurrit negando quippiam tale ibi dici ab Aristotele eo quod ibi Philosophus demonstret mista corpora, quæcunque circa medij locum sunt ex omnibus elementis constare, non autem constare maximè ex terra, miraturq; secus locum illum expositum ab illis grauissimis Interpretibus. Et certè si conclusionem ibi ab Aristotele propositam intueamur uerissima dicit Buccaferreus, at si rationem, qua probat terram inesse huiusmodi mistis ex ea colligitur terram inesse maximè inesse, ac plurimum eius uerba affero Philosophi. „Terra inquit inest omnibus, quia unumquodq; est maxima, & multum in proprio loco.„ Colligitur inquam ergo ex hac ratione terram in mistis, quæ in terra sunt (sunt autem terminata, quæ in hac inferiore regione reperiuntur) maximè, & plurimum existere, adeoq; prædominari. At respondebitur rationi huic à consideratione meæ ab alijs esse mista, quæ in aqua degant non in terra, vt pisces, de quibus ratio ipsa mea concludet aquam in illis prædominari non terram. Verum est replicatio contra responsionem, nam pisces in aqua degunt, vt sunt in motu, at verò vt quiescunt in fundo ipso maris, aut lacuum, aut fluminum, adeoq; in terra degunt. in saxis enim, vel in cæno, vel in cauernis, quæ sunt in mari ipso, qua de re latè Oppianus. Est ratio supra à me adducta secundo loco consideranda. quod scil. in quibus aqua prædominatur ea fluida permaneant. sed est instantia de glacie, in qua aquam prædominari conspicuum videtur: attamen non fluit. non est ergo vera absolutè propositio. In quocunq; corpore prædominatur aqua, id est fluidum, sed oportet in dilemam propositionem mutare scilicet, vel est fluidum, vel liquabile, vt glacies: liquabile autem dicimus, non quod summo artificio, & summa vi liquatur, ita enim omnia liquantur etiam lateres, at quod facile, & leni opere liquatur. Ego igitur sententiam in hoc Pomponatij & Buccafferei sequor eorum, quæ consistunt, & terminata in hac inferiori regione sunt mista in aliquibus prædominari terram, in aliquibus prædominari aquam ex glacie patet, at huic rationi occurrent contrariam sententiam tuentes non esse glaciem mistum, sed esse superabundantiam elementi frigidi ex Aristotele tex 11. 2. lib. de gen. & corrup. ignis (inquit) est superabundantia caliditatis, quemadmodum glacies frigiditatis, vt ex Aristotele videatur sicut ignis est elementum simplex ita esse glaciem elementum simplex. At est replicatio aduersus instantiam, concludens non esse simplex elementum. Nam omne durum, imò, & omne terminatum est ex aqua, & terra: at quod ex aqua, & terra constat, non est simplex elementum. immò & plures aliquam asserunt caliditatem inesse glaciei, cuius ope extenuata pars terrea in totam aquam diffundatur, & dispergatur ad eam sistendam. & si contra obijcieretur esse id contra Aristotelem, qui excessum frigiditatis dicit glaciem responderi potest frigidiorem esse glaciem aqua antequam congeletur non gradu, sed potentia ob densitatem. At sic pro præcedentis conclusionis declaratione hæc secunda conclusio. Mistum terminatum perfectum hic existens omne plus terræ, quàm aquæ habet. dico perfectum ad excludendam glaciem, quæ est terminatum mistum, at non perfectum. Esse verò omne mistum terminatum perfectum terreum amplius, quàm aqueum. probatur, quoniam mistum perfectum debet

nedum

nedum consistere, sed firmiter consistere. at quod firmiter consistit non est facilè liquabile, quale est aqueum cum consistentiam pro fluiditate suscipit, non ergo in eo pręedominatur aqua, sed terra ex inferioribus his duobus elementis. Est præterea Aristotelis auctoritas in hoc capite in illis verbis, &c. Propter hoc omnia termiuata corpora hic non sine terra, & aqua cuiuscunque autem plus secundum potentiam, huius vnumquodq; videtur. ex quibus verbis satis apparet de Aristotelis mente in aliquibus corporibus hic consistentibus aquam prædominari. At Diuus Thomas occurrit huic rationi: non loqui tum Aristotelem absolutè, sed cum comparatione non est scilicet sensus Philosophi in aliquibus mistis prædominari aquam terræ, sed in omnibus quidem prædominari terram verum inter hæc ipsa mista alia alijs plus aquæ habent, & quæ plus aquæ habent sunt in quæ Aristoteles nunc dicit prædominari aquam. Contra quam interpretationem insurgit Buccaferreus; loquitur enim Aristoteles comparando ea in quibus præualet terra, & ea, in quibus præualet aqua. non autem species, easque solas membri secundi eorum, in quibus præualet terra. Ego quoque arbitror multò magis accommodari literæ Aristotelis expositionem absolutam quòd Aristoteles comparet ea, in quibus prædominatur terra cum ijs, in quibus prædominatur aqua, quam restrictam ad ea sola, in quibus prædominatur terra, quorum alia tamen inter se comparata plus alia minus aquæ habeant. Ex hac secunda conclusione quædam oboritur media inter contrarias D Th. & Buccaferrei sententia. In mistis terminatis perfectis terra prædominatur semper non aqua. In mistis terminatis non perfectis aliquibus prædominatur aqua. at sunt, qai etiam non terminata mista, vt vinum plus terræ habere assignant. Rationes sub initio disputationis adductæ, quomodo singulæ sint admittendæ, & quomodo reijciendæ ex dictis patet.

ANNOTATIO TERTIA

Ad Particulam 76.

QVÆSTIO I

Vtrum in terra, & aqua solum animalia sint.

DIcit Aristoteles animalia solum in terra, & in aqua reperiri; non autem in aere, & in igne. multiplices nascuntur dubitationes. De pyraustis, quæ nascuntur, & viuunt in igne. De Salamandra, quæ igni resistit. at maior dubitatio est, quoniam vel esse in aere, & in aqua, &c. intelligit Aristoteles, vt in loco, vel vt in sustinente, scilicet vt in loco, in aere viuunt animalia, & potiùs multi, quam terra, nam circumdantur ab aere, & sustinentur à terra. solum lumbrici teræ talpæ, & eiusmodi animalia à terra cir-

ra circumdantur. Si vero vt in sustinente intelligamus, omnia animalia in terra sunt nulla in aqua. non enim pisces, & marina animalia in aqua sunt, vt in sustinente, nisi dum mouentur, ac stant, tum enim ab aqua sustinentur; sed dum quiescunt à sola terra sustinentur in fundo maris, in saxis, in cauernis ibi latentibus. relinquo hic Dæmones, & Semideos, & id genus animalia secundum Platonem partim inuisibilia, partim raro visibilia, quæ superiora elementa replent; immò Semidei aquam ex eius magni Philophi opinione. interim tamen vt longè à schola dissioma opinio ommittatur. De pyraustis ergo Aristoteles hæc habet. In Cypro insula ærarijs fornacibus, vbi chalcites lapis ingestius compluribus diebus crematur bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ paulò musci; grandibus maiores, quæ per ignem saliant, atq; ambulant. emoritur hoc genus, cum ab igne dimotum fuerit. Buccaferreus respondet vsurpando (vt ipse ait) responsionem consuetam Medicis regulas suas non esse semper veras, sed in pluribus, ita & præsens dictum Aristotelis non generari animalia in superioribus elementis, verum esse vt in pluribus. non autem verum esse omnibus. sed est responsio mollis admodum, & placida cum præsertim sit responsio plana in promptu, neque enim instantia est de subiecto eodem. Negat Aristoteles in elementis superioribus, aere, & igne animalia degere, at argumentum est de igne hoc, qui est elementatum non elementum, est enim flamma fumus incensus. fumus autem aer, & terra. igitur argumentum non est est ad rem. quod si dubitetur, quomodo in igne generari possint pyraustæ eo quòd in exarsione non sit generatio tex. 21. est præuaricatio disputationis præsentis, confirmatur enim ex ea dubitatione præsens Aristotelis dictum, quod in igne non sit generatio animalis, non autem informatur. quomodo autem defendi possit dictum id Aristotelis tex. 21. non est huius loci, attamen dicamus ter in chalcite esse partem terream, quæ dum in exustione dissoluitur in dissolutione ipsa tantum partes terreæ continentis eam humoris, vt cum superiorum elementorum partibus commissæ possint in animal transire suscipiendo animam non à calore fornacis quà tali, sed à virtute animaria per aerem, & ambiens diffusa cap. vltimo 3. de gen. animal. quæ in calore est respondente elemento stellarum ex Aristotele 2. de part. animal. cap. 3. De salamandra argumentū pariter nihil concludit. esto enim eam extinguere ignem hunc nostrum, at non est hic elementum, de quo loquitur Aristoteles præterea verò non degit in hoc ipso igne si ipsum extinguit argumentum prorsus vacillat. est enim ac si dicamus. quod positum in igne ipsum extinguit in igne degit. Salamandra posita in igne ipsum extinguit. ergo salamādra in igne degit. falsa est opinio maior. vtrum verò extinguat salamandra ignem, vt Arist. credere asserentibus videtur, an sit stulta opinio, vt asserit Dioscorides, an media quedam sententia sit suscipienda, quæ est Galeni non est huius loci discutere. Quoad aliam verò dubitationem, quomodo esse in elementis intelligendum sit. vtrum vt in loco an vt in sustinente responsio Alexandri est secundum Pomponatium dub. 59. neutro dictorum modorum nunc accipiendū esse. ly existere in elementis, sed ratione alimenti. sunt scil. in terra, quę ex terra alimentum capient sunt in aqua, quę ex aqua sumunt. at neq; ego in Alex. hanc responsionem, video neq; satis propria eloquutio est animal tibi esse, vnde nutritur. Nam non dicitur degere homo in arca, ex qua panem ad nu-

ad nutritionem sui ducit, neq; degere in vase ex quo vinum haurit. Buccaferreus distinguit animalia alicubi esse dupliciter si posso accipi secundum materiam, & secundum formam. secundum materiam omnia animalia sunt, in terra, aut in aqua, quoniam inde materiam suam habent, & in illis quiescunt, at secundum formam aues sunt in aere, quoniam motum habent ab anima, ac mouentur in aere, & per aerem. verum hæc responsio non accomodatur dubitationi nostræ, sed alteri dubitationi cui illam etiam accomodat Buccaferreus. Est verò dubitatio, eo quòd videmus aues volare, & morari in aere, ergo sunt aliqua animalia in aere. respondet itaque distinguendo secundum materiam, & secundum formam voluti vidimus. at forrè distinctio non satis exprimit mentem Aristotelis nam hęc eius ibi verba. & in terra, & in aqua animalia solum sunt: in aere autem & in igne non sunt, quia corporum materia hæc. est itaq; ratio materia animalium terra, & aqua solum animalia sunt. vt syllogismus integer sit. In solis elementis, quæ materia sunt animalium animalia repeperiuntur. Terra, & aqua sunt materia animalium (non scilicet Aer) & ignis. ergo in solis terra, & aqua (non scilicet in aere etiam, & igne) animalia reperiuntur. Tum argumentor aduersus responsionem Buccaferrei. maior Aristotelis, vel simpliciter accipitur, & excludit distinctionem Buccaferrei concluderetur enim nullo modo esse animalia in aere, & igne; vel secundum quid hoc est ratione materiæ, & erit fallacia secundum quid; veluti si includamus hominem non esse animal rationale, quia anima non sit animal, sed forma animalis. hic dicendi modis omnis phylosophica veritas, & certitudo eludetur. præterea cum secundum formam ex Buccaferreo sint animalia in aere, & non secundum materiam. Potius verò multò fit, quod secundum formam, quod secundum materiam tale est. oportuisset Arist. concludere, contrarium. i. aliqua animalia esse in aere potius, quam non esse. Ego itaq; dicerem hic accipi esse in loco, vt in sustinente, & hoc modo in solis duobus elementis inferioribus res existere ad dubitationem autem quoniam pisces non sustinentur in aqua, sed in tersa in fundo scil. maris, vel in saxis delitescentibus dicitur terram eam in qua pisces sustinentur esse aqua fectam, vdamq; immò & aliquam irrigatam, & ea ratione pisces, in aqua existere, & sustineri.

ANNOTATIO QVARTA

De definitionibus duri, & mollis nascuntur aliquæ difficultates, quas in sequentem annotationem reijcio.



AN-

ANNOTATIONES
IN CAPITVLVM NONVM.

ANNOTATIO PRIMA
Ad particulam 82.

DIcit Aristoteles [concrescere esse aliquomodo exiccari] nascitur de veritate controuersia. Pomponat. dubit. 68. pertinent etiam ad eam difficultates, quæponuntur ab eodē Pomponat. dubit. 57. Buccaferreus in calce digress. a d tex. 30. Vallesius in cap. 5. huius libri. occasionemq; dubitandi prębet Galenus doctrina sua 5. lib. de simp. medici facul. cap. 5. qui duritiei tres causas simplices assignat exiccationem, congelationem, & repletionem propter quam extendatur vehementer pars, adeoq; tactui resistat veluti cum vtres implentur aqua, vel folles aere. Sunt postea causæ complicatæ, ver. gr. exsiccatio simul, & congelatio: vel repletio, & congelatio, &c. ex qua doctrina duo habemus, primum non omnem indurationem, proindeq; non omnem concretionem esse exiccationem. secundum congelationem non esse exiccationem, cui præsertim assertioni adheret Vallesius. est igitur de hoc disputandum, verum quoniam Galenus in annotato loco ea præmittit, quæ dubitationem important aduersus definitiones duri, & mollis ab Arist. traditas, quas Platonis pariter fuisse tradit, & solutionem dubitationis ideo præmittenda est disputatio hæc de definitioniburi, & mollis num sint rectæ assignatæ.

QVÆSTIO I.

Num definitiones duri, & mollis sint rectè assignatæ ab Aristotele.

SVnt aduersus definitiones dubitationes aliquæ. Prima de Vtribus aquæ plenis. Vtres ipsi non sunt per se per se duri multo minus aqua tamen resistunt pleni aqua tactui. Ergo aliqua resistentia tactui non sunt dura. non ergo definitio conuertitur cum definito. Secunda de lana, & de pilis. Pilus quisque per se sumptus non est mollis, at pilorum congeries mollis. Tertia de aceruo frumenti. Frumenti grana non mollia, at frumenti aceruus impressioni cedit. Ergo non omne, quod impressioni cedit est molle contra definitionem. At retinentes definitiones eo modo, quo in-com-

commentarijs, declaratas soluamus dubitationes. Prima soluitur à Galeno ipso definitiones esse accipiendas de corpore simplici, vt scilicet intelligamus totam definitionem mollis esse. Corpus simplex quod cedit secundum superficiem, &c. modo verò vtres inflati aqua non sunt corpus simplex, sed duo corpora simul. eodem fundamento innixus soluit duas sequentes obiectiones de lana, & pilis, atque de frumento. in illa enim sunt plures pili in hac plura grana, ideoque dicit Galenus idem à se eiusmodi corpora corpore ex opione oliorum resistentia non vocari dura græcè scilicet σκληρα sed αντιτυπα scilicet resistentia Buccaferreus responsionem, & doctrinam Galeni recipit. Verum illud (corpus simplex) non esse accipiendum, vt contradistinguitur à misto. contra enim corpus omne durum, molleue est mistum, sed vt contradistinguitur à pluralitate corporum. simplex itaq; hic significat vnicum hæc pro explicatione Galeni, qui tamen illud subijcit à se quoqiea corpora resistentia ex aliorum associatione vocari interdum dura. Si tamen rigor proprietatis attendatur non conuenire nomen. Non video tamen ego cur metaphoricum in vocis (duri) interpretemur populi vsum, qui & folles inflatos, & vtres plenos, & schirum, & phlegmonem duros vocat. cum eadem sit præsertim resistentia, quæ est causa denominationis, vt in responsione Galeni, etiamsi scita probabilitas nulla tamen sit admittenda necessitas, & possunt obiectiones solui etiam veram in aggregatis corporibus duritiem, & mollitiem concedamus. Intra igitur hanc hypothesim soluitur prima esse fallaciam diuisionis, & compositionis. diuisa non sunt dura ea corpora. Ergo neque coniuncta. singulæ pili sunt leues, nullumque momentum in lance faciunt. ergo maxima pilorum congeries non est grauis. falsum hoc est cum ad multa librarum millia possint pili coaceruari. præterea & illud est considerandum corpus de se molle, immò fluidum, si valde densetur duri speciem subire. aer ipse, & ventus quando in angiportasibus cogitur resistit contra nitentibus nedum aqua. si cogatur id potest. Idem de lana, & pilis dicendum singuli pili singula lanæ flocci non sunt molles. Ergo tota lana, & pilorum congeries non mollis est eadem fallacia. Idem de aceruo dici potest, at de hoc præterea cessat dubitatio ex declaratione definitionis à me in commentario tradita singula grana cedunt non secundum superficiem, sed secundum totum, vt etiam pillula ferrea cedit impressionem facienti, at non secundum superficiem sed secundum totum cedit enim loco.

V QVÆ-

QVÆSTIO 2.

Vtrum omnis concretio sit exiccatio. Reducitur autem ferè ad hunc. Vtrum congelatio sit exiccatio.

PRima controuersia vtrum omnis concretio sit quædam exiccatio reducitur post præcedentem proximè dubitationem ad hanc vtrum congelatio sit exiccatio, vel saltem in hæc in illa inclusa. pro parte negatiua sunt hæ rationes. terra est summè sicca, at non summè dura. Ergo non omne durum sequitur siccum, quæ ratio tamen præsertim militat contra dictum illud Aristotelis durum esse sicci: molle humidi. tamen huc adduximus, vt hæc etiam ratio, soluitur quocunq; modo detorqueri possit ad hanc difficultatem. Secunda est de glacie, aqua enim congelatur, adeoq; induratur, & tamen nulla ibi exiccatio nullam esse exiccationem, quia omnis exiccatio (vt in hoc cap. 9. dicit Aristoteles) fit à frigore, vel à calore, & cum fit à frigore, vt in congelatione fit euaporatione humiditatatis ex caloris per frigus extrusione. at in aqua, quæ congelatur nullus calor. Secunda probatur nullam esse exiccationem in glacie nam si vera est siccitas oportet corrumpi priùs humiditatem, non enim alterum contrarium inducitur, nisi alterò corrupto. at non corrumpitur humiditas aquæ. Ergo non vera siccitas gignitur. Probatur assumptum, nam si corrumpatur humiditas, à quo postea in solutione glaciei induceretur? nam vel est glaciei liquefactæ humiditas eadem numero cum priore; & non facit ergo illa corrupta, vel est diuersa, & à quo generatur noua humiditas? Tertia ratio concrescunt metalla, & non exiccantur. Ergo non omnis concretio est exiccatio antecedens scilicet metalla non exiccantur dum concrescunt probatur; nam secus dum aurum soluitur, & postea rursus concrescit minus euaderet, minorisq; ponderis, quàm ab initio fuisset. Quarta ex misceolla farinæ, & aquæ, cui Aristoteles innititur ducitur contra Aristotelem argumentum: nam in ea fit concretio: at nulla exiccatio. nam neque farina exiccatur, neque aqua; ergo. Quinta demonstratur non esse ex exiccatione concretionem. quoniam aqua exiccatur euaporando in cacabo, vel in olla ad ignem, & tamen aqua non concrescit. In hac controuersia opinio Aristotelis est concrescere esse exiccari quoddam, qui modus dicendi, idq; pronomen quoddam, quid importet Aristoteles his alijs verbis declarauit lib. 2. de part. animal. cap. 2. Gelus (inquit) omnemq; humorem concretum siccum dicimus actu, & per accidens; cum tamen potentia, & per se humidus sit. hæc ibi exiccari, quoddam ergo signant exiccationem actu, non potentia, & per accidens non per se. at quid est hoc actu, & non potentia. per accidens, & non per se? primum membrum facilè est explicatu. Secundum non æquè. Primum ergo significat gelu esse cœcum, quæ vim non habeant exiccandi, sed humectandi solum. at verò secundum difficilius est intellectu. Ego tamen expono sententiam meam. In aqua hac, quæ rei ipsa repe-

reperitur in rerum natura est portio semper terrea, quod sedimentum eius dum diutiùs in vase resideat demonstrat. hæc pars dum tanquam ramenta quædam in aquam dispergitur per quandam iuxta positionem seruatur aqua fluida. at dum fit congelatio attenuata ipsa fit coaguli instar, quod contineat fluidas partes, indeque est terminatio, & concretio glaciei. at quoniam pars terrea est multò minor aquea, ideò gluten fluorem continens est tenue admodum, indeque facilê solubile. pars ergo aquea in aqua congelata restat, vt conglutinata, & contenta à dicto glutine, quod statim atque soluitur in solitam fluiditatem recidit. ita declarata rei veritate soluamus contrarias obiectiones. Ad primam ergo non benè construitur deducitur enim in tertiam figuram ex minore negatiua si resoluatur, esset enim. Terra est sicca, & terra non est congelata. ergo aliquod congelatum non est siccum. Quod si affirmatiuè ponatur minor erit conclusio non omne siccum est congelatum, quod vltro conceditur, in solis enim mistis locum habet concretio, at siccitas etiam in elementis. ita respondeo rationi, vt ad hanc conclusionem potest detorqueri. vt verò concludit non omne durum esse siccum. quia summè siccum non est summè durum, fit etiam in ratione commutatio terminorum. nam admissa etiam maxima Topica pro vera in vniuersum, vt summè tale ad summè tale sit, vt tale ad tale. debet esse rationis progressus summe siccum non est summè durum. ergo neque omne siccum durum. quæ est vera conclusio, non autem non omne durum non est siccum, quarum propositionum illa est vera non omne siccum est durum. quoniam elementa sunt sicca, & non dura. præsertim ignis. immò neque terra si pura consideretur ex Aristotele textu quadragesimo nono 2. de gen. & corr. Ad secundam in glacie non est exiccatio, quatenus aqueus humor, vel eius pars exprimatur, sed est exiccatio, quatenus portio terrea ipsam consistentem & terminatam redit, & ita ad auctoritatem Aristotelis, infra in hoc capite dicimus. Quæcunque exiccantur à frigore expressionem humoris exiccari meritò caloris, qui à frigore extruditur. at cum exiccatio fit per solam conglutinationem humoris, ac partium fluidarum. nullam ibi caloris necessitatem esse. Ad aliam confirmationem, quòd in glacie non sit exiccatio, quoniam oporteret primo extingui humiditatem respondetur pariter de exiccatione per abolitionem partium aquearum, & fluidarum esse id verum, at de consistentia, continentiaque partium fluidarum non esse necessarium earum, partium abolitationem, vel euaporationem. esse tum extinctionem eatenus humiditatis, quatenus fluiditas sistitur ad confirmationem consequentem vel est eadem humiditas, vel alia numero est eadem humiditas, idemque humor, qui in glacie etiam perseuerat. at consistens non fluidus. at generatur, vel restituitur fluiditas à calore dissoluente gluten, vnde consistebant partes aqueæ. Ad tertiam eadem responsio. humor restat in concretis, at consistentia superuenit. Ad quartam fit ex farina, & aqua gluten, & quod farina extensa, & extenuata aqua fluorem sistit. non tamen negandum inebullitione aliquid aquæ euaporare. Ad quintam iam quid dicendum ex prima solutione constat. non omnis exiccatio est con-

cretio. at omnis concretio est exiccatio.

Conciliatio opinionum pro Corell.

Dum exiccatio sumitur pro euaporatione humoris, eiusve partium non fit exiccatio in congelatione, at dum sumitur formaliter pro terminabilitate ab alieno termino, & interminabilitate à suo, & proprio. sic est exiccatio in congelatione. hac distinctione potest vtraq; opinio componi, & asserentium congelationem esse exiccationem, vt Aristoteles asserit, & sequaces. & negantium, aut dubitantium, vt Vallesij, & Pomponatij, & Buccafferrei.

QVÆSTIO ANNEXA

De causa generationis glaciei.

Pomponatius dubit. 102. Albertus cap. de grandine, Marsilius 2. de gen. art. 6.

AD absolutionem explicationem generationis glaciei quæritur quænam sit causa extenuans portionem terream in aquam disseminatam, vt coextenso partes fluidas sistat, & contineat. aliqui dicunt esse portionem caloris aquæ inditam, at contra Aristotelem est, qui dicit glaciem esse excessum frigiditatis (2. de gen. tex. 21.) dicerem ego potiùs esse frigus ambientis cum ambiens subtilitate prædictum est. potest enim ea ratione etiam extenuare, & portionem terream aquæ inspersam. Huiusmodi subtilitatis corporis frigidi. Borealis venti exemplum est in promptu. penetrat enim adeò, vt nisi paries exquisitè compactus, & crassatus opponatur omnia alia repagula vincat, & penetrat. Videmus idcircò cum ambiens est humidum, & densum, vt in nubilo, & niuali etiam Cælo non satis gelari res, at cum sereaum est Cælum, adeoq; frigus tenus, & subtile, & spirantibus aquilonibus tum glacies fit maximè. Hoc est etiam frigus, quod per poros superius illapsum ad intima penetrans sydetationem facit, vt cū vitibus immaturitis putatis superuenit borealis flatus, indeque gelicidium, de quo gelicidio Theophrastus lib. 5. cap. 18. & rationes, quas Theophrastus adducit lib. 5. de conser. plant. cap. 10. pro hac parte multo sunt robustiones meo iudicio contrarijs. At contra hanc sententiam sunt sententiæ aliæ, & earum fundamenta de generatione glaciei.

Sententia Vallesij.

Vallesius vult gelu fieri ex compressione partium aquearum à frigore, cuius est constringere, & constringendo indurare, verba sunt. „ diximus igitur aquam partium conpressione durescere non de siccatione (scilicet in congelatione) fundamentū opinionis est, quoniam frigus suaptè natura densat. Hæc opinio repugnat Aristoteli, qui non posse rem terminari nisi adsit terra, & aqua asserit in initio cap. octaui iuxta meam sectionem quod etiam in textu quadragesimo nono 2. de generat. & corruptione significauit. at ex doctrina Vallesij aqua ipsa purissima posset congelari

gelari ab intenso frigore. præterea aqua ipsa per se, & in sua puritate esset densa, & dura cum sit summe frigida; quod tamen non videtur verum. præterea eadem ratione terra esset summè dura, & compacta, cum sit summè frigida, at ex Aristotele terra si aqua semoueretur in puluerem decideret.

Sententia Bucaferrei, & Conimbricensium.

In aqua est portio quædam caloris annexa, scilicet exhalationi cuius ope extenditur pars terrea halationis instar, tumq; à frigore fit congelatio cogendo partes aqueas cum terra. Fundamentum est, quoniam oportet extendere partem terream, vt fiat gluten, & coagulatio, at frigus non extendit, sed constringit. Sed opinio videtur repugnare Aristoteli cum dicat esse glaciem excessum frigiditatis. at si requireretur caliditas indita non esset summè frigida tum aqua immò minus frigida, quam aqua pura.

Rationes aduersus opinionem Authoris.

At contra sententiam, quam ego probabilem iudicaui, sunt obiectiones arduæ. Prima autem videtur omninò falsum id, quod sumitur à mè frigus esse posse subtile, & posse attenuare. Nam constringit frigus, & cogit non contra ex definitione Aristoteles frigus est, quod congregat homogenea, & etherogenea, præterea esse frigus non subtile. sed contrarium docet Plato frigori enim partes grandiores tribuit. calori autem tenues, quocirca hunc penetrare dicit, ac dissoluere res. Illud autem comprimere, & cogere: Tertia si frigus extenuaret, & non cogeret, cur aqua calefacta, & aeri exposita vehementiùs, & citius congelaretur, quam non calefacta non videtur ratio. Sed rationibus his contrarijs probabiles admodum responsiones accomodari possunt. Primæ quidem quòd frigus ipsum cogat, constringat, at ratione subtilitatis corporis, cui inest potest penetrare, & extenuare penetranda. Ergo per subtilitatem extendit partem terream, at per frigus cogit partes aqueas cum terrea. Ad secundam Platonis in hoc opinio non recipitur. Ad tertiam quinimo ratio ita quam maximè patet, quamobrem aqua calefacta citius congeletur. Nam calor, qui facilius extenuat, quam frigus etiamsi id sit ob subiectum corpus subtile exhibet frigori partem terream extensam, vt nihil aliud frigori faciendum supersit quam cogere.

Pro alijs sententijs, pro sententia Vallesij.

Scio tamen, & fateor posse intra probabilitatis limites, & alias duas opiniones sustineri & Vallesij, & tertiam certè opinio Valles. demolitur fundamenta Aristot. & tex. 49. 2. de gen. & int. & cap. 8. huius lib. scil. part. 75. vnde intra limites auctoritatis Arist. non credo recipi posse. quod si extra scholã loquamur. supponeret opinio, hãc propositionem (frigus compressione cogit, & indurat partes, aqueas) esse immediatũ. dubitat postea is ipse contra se. Nimirum dum dicit ex compressione partium aqueatũ fieri glaciem. nam gelu oporteret grauius esse, & amplius descendere, quam aquã: Quoniam quod minus detineri potest velocius ad suũ locum fertur, vel descendendo si graue fuerit ascendendo si leue. at secundum sententiam aqua, quæ conglaciatur fit ex compressione minor eandem enim materia sub minori quãtitate fit, at cõtra videmus glaciẽ esse portionẽ leuiorẽ aqua, quib illi innatat, ac supernatat. Respondet in aqua esse aeream, & igneam a

quæ libera est euaporare dum aqua in suo fluore perseuerat, at dum cogitur in glaciem clauduntur pori, vt non possit euaporare aer, & ignis, ea verò corpora inclusa leuitatem suam communicant glaciei, ex qua minuitur aquæ præcedens grauitas. Quæ tamen responsio non tollit omnem ambiguitatem. sit aqua in phibila conglatianda in hac est portio aerea, & ignea secus dum congelaretur non comprehenderentur eæ portiones pendatur cum aqua leuitatem eandem portionum aereę participat, quam participabit post conhelationem, ergo ob eam rationem non potest esse leuior glacies, quàm aqua. Aliter dicerent Aristotelici innatare glaciem quoniam ob eius latitudinem tantum aquæ tegit quanta resistere potest ne diuidatur.

Ex Arist. tex. 45. 1. de Cælo.

Pro tertia sententia.

Pro tertia verò sententia contrario argumento responderi potest, vt superius memini me dicere glaciem esse excessum frigiditatis secundum potentiam (ob densitatem scilicet) non secundum gradum. Hæc in ambigua omninò re. si cui veritas ipsa constet, in medium adducat, & gratias ingentes habeamus.

ANNOTATIO SECVNDA

Ad Particulam 85.

QVÆSTIO remissiuè.

VTrum frigus sit actiuum solum, vt corruptiuum, aut secundum accidens. Hac de re iam disputatum supra in quæstione decimatertia in hunc librum.

ANNOTATIO TERTIA

Ad Particulam 85.

Exiccantur autem omnia, aut calefacta, aut frigefacta.

QVÆSTIO I

Quot sint causæ exiccationis per se.

HIC Vallesius notat Aristotelem omisisse tertiam causam, eamq; per se exiccationis scilicet siccitatem quam causam experiuntur medici exic-

exiccando medicamentis ſiccis, in quibus neutra qualitas actiua caliditas, ac frigiditas dominatur, vt in cadmia, & faba eadem de cauſa arguit ommiſſionem cauſæ tertiæ humectationis infra part. 86. vbi Philoſophus dimittit humiditatē, & humida, quæ cauſę ſunt verę humectationis, vt experiuntur medici dum humectant medicamentis humidis, in quibus neutra actiua qualitas dominatur. qualis eſt recens pinguedo. Augetur dubitatio, quoniam Ariſtoteles infra cap. ſequenti aliqua concreſcere duos à calido ſicco alia liqueſcere ab humido, vt ſales, &c. Valleſius dicit Ariſtotelem diminutum. Pomponatius quoq; figura vtens, quam rethores ommiſſionem vocant, Ariſtoteles accuſat dub. 73. Quid ſi dicamus? quæ agunt alia agere ſolum corpulentia dum corpulentiam ſuam patienti, corpori commiſcent ac infundunt, alia qualitate ſolum dum vi (ac qualitate ſua aliam qualitatem vel ſimilem, vt in actione vniuoca, vel diſſimilem, vt in æquiuoca ex potentia ſubiecti educunt.) ſecundo hoc modo (qui eſt verus actionis modus, & ab Ariſtotele ſolus in primo de gen. & corrup. conſideratus præterea, & in lib. phyſicis vt 3. lib. tex. 13. vbi habet formam ſemper afferet aliquam id, quod mouet, aut hanc, aut tantam, quę principium, & cauſa motus erit, &c.) hoc inquam ſecundo modo ſolum actiuæ in miſtis ſunt caliditas, & frigiditas. at primo modo ſunt actiuæ etiam humiditas, & ſiccitas. Ariſtototeles ergo illis negat actiuitatem illam priorem, & exquiſitiorem. at aliam interdum tribuit, neq; hæc repugnant ob ſenſus diuerſitatem ſibi inuicem.

Explicatio, & determinatio quæſtionis.

In hac controuerſia diſtinguendam exiccationem arbitror, vel enim per ſublationem ſubſtantiæ humidę fit, vel per commiſtionem ſubſtantiæ ſiccę vel per ſolam ſublationem qualitatis, ſcilicet humiditatis per ſublationem ſubſtantiæ humidæ fit cum humor ipſe ſcilicet aqua, vel aquæ ſpecies è corpore educitur. quod cum per euaporationem fiat à calore procedit, à quo ſolo fit euaporatio, ſiue à calore externa illa fiat ſiue à frigore, vt in hoc cap. 9. tradit Ariſtoteles, noſq: explicuimus in com. 85. & quoniam in miſtis, vt plurimum ita fit exiccatio ideò in hac parte ſenſatioris philoſophie hunc fermè vnicum modum exiccationis conſiderauit Ariſtoteles interdum tamen ſecundum modum miſcuit, qui eſt miſtionis, dum commiſtionis aquæ, & farinæ meminit. Tum enim indicat hanc exiccationem, dum enim in humorem multo maiorem copiam ſicci corporis ponamus exprimitur humor, & tota miſcella ſiccior redditur. Eſt demum tertia exiccatio per ſolam ſublationem humiditatis, & quoniam excluſio humiditatis pro termino ad quem habet, vel priuationem humiditatis, eſſetq; mutatio, vel habet terminum poſitiuum contrariam qualitatem nimirum ſiccitatem, & eſt motus. vtroq; autem modo ſolam materiam conſideremus in potentia ad qualitatem, quæ qualitas ab agente introducenda eſt. modo agens aut eſt vniuocum, aut eſt æquiuocum ſi vniuocum oportet ſiccitatem à ſiccitate, & ab agente demum ſicco introduci. ſi æquiuocum non neceſſe eſt ſiccum eſſe agens, vt cum à ſole res ſiccantur quærendum ergo eſt vtrum exiccatio poſſit eſſe ab agente vniuoco, & hoc in Ariſtotelis, & communi ſchola aſſere oportet: ſiccitas enim vnius elementi, vt ignis in aerem agit, dum in ignem mutatur, & ſiccitas terræ in aquam, dum eam in terrat mutat. dari ergo

exiccationem à ficco per fe fateri oportet, tum in generatione elementorum mutuam, tum etiam in generatione miſtorum generatur enim ipſa ex mutua elementorum refractione ſecundum qualitates ſaltem, quæ refractio fit à contrarijs inter ſe qualitatibus tum à frigore, & calore inter ſe tum ab humiditate, & ſiccitate inter ſe. Vnde ſi in vniuerſum cauſas exiccationis quæramus, & caliditas eſt per ſe cauſa exiccationis, & ſiccitas tum miſtione, ac corpulentia, tum alteratione. At ſi quæramus reſtricti ad duo ſeiuncta corpora vtrum ſiccitas ſeiuncti corporis. poſſit exiccare miſtum corpus hæc eſt diſputatio cui in Ariſtotelis via eſt negatiuè reſpondendum. pariterque de humiditate quoad humectationem. ſolæ autem caliditas, & frigiditas ita agunt egent, habentq; ſolæ ſphæram actiuitatis, &c.

ANNOTATIONES

IN CAPITVLVM DECIMVM.

ANNOTATIO PRIMA.

MVltæ in hoc capite, & eius occaſione dubitationes emergunt, quas præſertim obijcit Pomponatius ſubtilis Philoſophus, cui parum in hoc libro plerunq; ſatisfacit doctrina Ariſtotelis aliquas ego inter exponendum adduxi, & ſolui nunc colligam hic omnes, & qua iam ſolui remiſſiuè tangam, quæ non ſolui iam explicabo.

Dubitatio prima. Signemus autem

QVAESTIO PRIMA.

VTrum cum dicit Ariſtoteles concreſcere, quæ ſunt aquæ intelligat aquæ puræ, & prædominantis. Solutio in com. 87.

QVAESTIO SECVNDA.

VTrum cum diſtinguit Ariſtoteles res eas, quæ aquæ, & in eas, quæ aquæ, terræ comparationem ſolum duorum inferiorum elementorum faciat, an omnia quatuor. Solutio ibidem.

QVAESTIO TERTIA.

Pomponat. dub. 73.

MVltiplex dubitatio naſcitur aduerſus numerationem ſiccitatis inter cauſas concretionis, & cur complicauerit cum calore, &c. Solutiones Commen. 88.

QVAESTIO QVARTA.

Pomponat. 76.

VTrum mel concreſcat ab aqua frigida, an calida. Solutio Comment. 89.

QVAESTIO QVINTA.

Pomponat. 80.

QVÆ differentia intercedat inter concretionem, & incraſſationem com. 91.

QVAE-

QVAESTIO SEXTA.

Pomponat. 84.

VTrum quæcunque mista sunt communia terræ, & aquæ concrescant, & pariter incrassantur à calido, & frigido. Commen. 93.

QVAESTIO SEPTIMA.

VTrum mollia incrassentur. Explicatione non disputatione tollitur. Commen. 94.

QVAESTIO OCTAVA

QVomodo Aristoteles dicat mollia concrescere. cum sint mollia ipsa concreta. Ibidem.

QVAESTIO NONA.

VTrum sal liquetur in aqua calida. hoc est vtrum à solo humore frigido liquetur. Com. 96.

QVAESTIO DECIMA.

Pomponat. 88. & 89.

CVR aqua euaporante oleum albescat, & demum quomodo albescat. Commen. 98.

QVAESTIO VNDECIMA.

Pompon. dictis dub. 88. & 89.

QVomodo oleum à calore incrassescat. Ibidem.

QVAESTIO DVODECIMA.

Pomponat. 91.

QVomodo vera sit consequentia Aristot. sanguis aliquis concrescit à frigore ergo est terræ. Alter non concrescit à frigore ergo est aquæ Sunt enim illationes contra Aristotelis dogmata, qui docuit in hoc ipso capite. quæ sunt aquæ, concrescere à frigore: quæ terræ concrescere à calore. & conuersim. Pomponatius soluit distinguendo concretionem veram à non vera. concretio vera fit congelatione humidi, & de hac verum est, quæ sunt sunt à frigore concrescere non vera fit eo quòd partes calidæ, & spumosæ euaporant, partesq; idcircò remanentes contrahuntur suntq; siccæ, ac frigidæ: hoc ergo modo sanguis a frigore concrescit quatenus frigus in eo dominatur difflatis partibus calidis, & spumosis. contra sanguis aqueus, & dilutus non concrescit à frigore, eo scilicet in quod incidit ex venis extractus (quod est nempe potius frigus, quodam priuatiuum) at à frigore hyemali, & gelido concresceret ipse quoque. vt nescio vtrum eiusmodi gratuitæ distinctiones, quarum nullam mentionem habuit Aristoteles tueantur Aristotelem? elicerem ego solutionem ex verbis eiusdem philosophi diligenter expensis, & secundum proprietatem verborum acceptis. verba sunt (sanguis consimiliter, concrescit enim eo quòd exiccetur infrigidatus) quæ verba id important statim atq; calor actu in sanguine illiusmodi cessauit, statim concrescere. at in sanguine alio dissolutiore scilicet, & absq; fibus expirato calore fluiditatem permanere. Non sunt autem hæ propositiones eædem. Quæ à frigore concrescunt. Sunt aquæ, & quæ statim atq; calor actu expirau t concrescunt sunt terræ. illa enim & multum frigoris cogentis exposcunt, & alicuius temporis actionem, vt de aqua patet, dum congelatur, non enim statim atq; friget, congelata est. nam & frigida est æstate aqua puteorum, & fontium, &c. at non congelata.

QVAE-

QVÆSTIO DVODECIMA.

Contrariorum contrariæ causæ. Vtrum sit vniuersaliter verum axioma est autem instantia ex Aristotelis paulò superiùs dictis cum oleum incrassari asserit tum à frigore, tum à calore, & multæ præterea aliæ instantiæ. Nam inter cæteras est de fictili. quod ab igne in fornace cogitur: at ab igne summopere per artem aucto idem fictile liquatur, & funditur. solutio non est alia, quam quæ ab Aristotele innititur in afferenda instantia huc primo loca adducta de oleo. verba sunt ibi Arist. vtroque igitur modo eadem fit passio, & propter idem. sed non eodem modo. ex his ergo postremis verbis elicitur solutio. possunt contrariæ causæ esse eiusdem, effectus sed non eodem modo. vnde Axioma præsens est hoc modo restringendum. Contrariæ causæ eodem operantes modo sunt contrariorum effectuum causæ. at diuerso modo possunt esse eiusdem effectus causæ, vt saltem altera sit per se, altera per accidens. Ita etiam soluitur secunda instantia. Quæ à calido concrescunt, & ab igne secundum communem eius potentiam non soluuntur ab eodem secundum communem eius potentiam, sed secundum auctam ad summum per artem potentiam.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

Vtrum quæ à duabus causis concreuerint calore, & frigore sint insolubilia. In hac disputatione sunt plura, quæ ambiguitatem faciant. res ipsa, & progressus præterea Aristotelis. Veritatem reddunt ambiguam instantiæ aliquæ. prima de aqua prius calefacta, & postea congelata. aqua enim calefacta velocius gelascit, vt docet Arist. 1. Mether. attamen à gelata etiam liquescit. Secundo de plumbo, & stanno liquantur calido, & postea concrescunt frigore, & tamen ita concreta rursus soluuntur, & liquantur. Tertia ferrum item, quod prose Aristoteles adducit tamen est liquabile ab igne. Nedum mollificabile. Est postea dubitatio de progressu Aristotelis, ratio enim eius nullius videtur roboris, vt expendenti singillatim patet. Primo enim sumit, quæ à duabus causis concrescunt esse, quæ calefacta prius postea concrescunt. at cur non prius frigefacta, & à frigore concreta, & postea a calore vlterius cõcreta, veluti fictilibus. Accidit? de quibus ratio, quam hic prosequitur Aristoteles nihil concludit progreditur postea ratiocinando. cum calidum exuderit exiens plurimum humidum comprimi iterum à frigido. At si calor exierit simul humorem educit ex ijs, quæ de putredine dicta sunt, & res demum fit terra, & fimus. Non verò densatur, & clauduntur pori. Præterea si ratio hæc duplicis ad concretionem causæ concursus efficax esset diminutus est Aristoteles, qui eam non applicat etiam concretione fictilis, eiusq; insolubilitati augetur dubitatio. quoniam immò aliam eius insolubilitatis rationem affert. Pomponatius ita dubitat aduersus Aristotelem insolubilia esse, quæ à calido, & frigido concrescunt, vel intelligitur simul, vel successiuè, sed neutrum scilicet esse potest non primum, nam duo contraria non simul agunt. non secundum, nam vel hoc est

cap. de grãdine.

quod

quod prius calor liquefecerit, & postea frigus coagulauerit: vel hoc vtraque causa coagulauit. vt neutrum rursus. non enim primum, quia videmus ea, quæ à frigore postrema concreuerunt liquescere à calido non secundum, quoniam non idem mistum potest à contrarijs causis concrescere. Præterea obijcit rationi ex pororum angustia adductæ, repugnat enim illis, quæ Democrito obijcit in primo de Generatione. Aliqui forsan se se extricabunt respondendo progressum Aristoteles hunc, & alios etiam nonnullos esse probabiles vnde non mirum si ab integra vniuersalitate excedant. At particularius respondendo. ad priorem instantiam de aqua, &c. aqua illa à calore calescit non liquescit, & ideo non est ad rem obiectio, de illis enim Aristoteles loquitur, quæ à calore liquescant. præterquam quod neque calefiere aquam opus est, vt concrescat, sed solum, vt facilius concrescat. Argomentum de stamno, & plumbo magis vrget. forsan quis respondebit ferrum nonnisi ex venis à calore liquatur duci, at plumbum, & stamnum pura reperiri interdum, & absque coctione vlla in fodina, sed responsio non subsistit, nam neque plumbum, & stamnum pura repeiiuntur in fodina, vt Agricola docet lib. 5. de subterran. ex Buccaferreo eliciantur, hæc alia responsio, quæ prius liquantur à calido, deinde concrescunt à frigido, vt plurimum consumitur in ijs, & dissoluitur totum humidum, suntq; idcirco indissolubilia an aliquibus tamen nõ tanta sit dissolutio humidi, & ea solubilia sunt, & eiusmodi esse stamnũ, & plumbum dicere possumus. Hæc illæ Tertia obiectio, & instantia facilè soluitur ex antea dictis. de calore enim communi non ad summam potentiam euecto loquitur Aristoteles cum insolubilia dicit à calore. Quarta obiectio de progressu Aristotelis soluitur reputando de actione physica, & de putredine, & nunc haberi ab Aristotete sermonem, quæ non fit nisi in patiens debito modo dispositõ; vnde neq; semper calor externus putrefacit, neq; semper soluit, at prout materia debitè disposita fuerit hoc, vel illud operatur. cum ergo materia disposita fuerit ad liquescendum tum ea humidi compressio, & pororum arctatio fit quam asseuerat Philosophus. Ad quintam obiectionem, quod etiam de fictili eadem ratio adducenda erat. dicitur non pariter poros à frigore cogi, atque ab impacto humore, vnde non habere par robur in vtroque casu rationem propterea Aristoteles aliam det peculiarem de fictili affert. Ad Pomponatij rationem. eam ipsemet soluit, quod scilicet successiuè Aristoteles intelligit concurrere causas. & primo liqnari à calore, & dubitationi quæcunq; à frigore concrescunt soluuntur calore, respondet negando in vniuersum verum axioma, fallit enim cum humor paucus restet. Sed in solutione rationis ea includitur difficultas de stamno, & plumbo, quam antea attuli, nec satis expedita solutio occurrit.

QVAESTIO DECIMA QVARTA.

VTrum aliqua possint prius concrescere à frigore, quorum deinceps concretio à calore perficiatur. Negat Albertus Magnus referente Buccaferreo, qui eum refutat inductione lactis, quod à cardamo iniecto (est autem cardamum frigidum) & deinde ab ignis calore concrescit. verum frigiditas carthami est frigiditas temperamẽti, & frigiditas miscibilis

non

non ambientis, at Aristoteles loquitur de frigiditate actu ambientis. eiusmodi enim est frigus à quo concrescit ferrum, & eiusmodi calor à quo liquatur vena ferri. At certè exemplum est in promptu, & accomodatius de fictili, quod prius concrescit à frigore, & postea concretio eius perficitur ab igne in fornace idem est de latere. Concrescere verò tum fictile, tum laterem à frigore patet; nam eorum materia, quæ prius non consistebat, neque retinebat figuram à frigore consequitur tantum consistentiam quanta ad retinendam figuram exigitur. At contra hanc conclusionem est dubitatio, & ratio, quæ contrarium nonnullis suasit. nam quæ concrescunt à frigore soluuntur à calore ex Aristotele, vnde quod priùs concreuit à frigore superueniente postea calore soluentur: non verò concrescent, neq; responderi potest, quod priùs concreuit à frigore insolubile tam redditū esse. nam cum à solo calore concreuerit non est adhuc insolubile; insolubilia enim sunt quæ à duabus causis non ab vnica causa concreuerint ex Aristotele ipso hoc in loco. Nonnulli huic rationi dedere manus. debebat tamen ijs id in mentem venire, quod disertis verbis Aristoteles dicit, quæ communia sunt terræ, & aquæ ea concrescere tum à calido, tum à frigido, quæ verò ita ab vtroque concrescunt cum prius ab altero concreuerunt non soluuntur à succedente alterius ratione. Axioma ergo Aristotelis verum est de illis, quæ ab altera solum causa concrescunt à contrarijs enim soluuntur, sal à solo calore sicco concrescit, & ab humore frigido soluitur, aqua à solo frigore concrescit, & à calore soluitur, & ita tollitur dubitatio, quæ visa est Buccaferreo insolubilis.

ANNOTATIONES

Ad Partic. 104.

IN CAPITVLVM VNDECIMVM

QVÆSTIO PRIMA.

DVbitatio nascitur ex verbis Aristotelis. Aliquibus autem, & frigiditas, quam deficit. Pomponat. dubit. 97. In commentario ibi soluitur.

Ad partic. 105.

QVÆSTIO PRIMA.

VTrum solas potentias, & impotentias, que sunt in secunda speciei qualitatis numeret Aristoteles pro differentijs mistorum similarium an etiam qualitates tertiæ speciei. Soluitur in commentario.

Ad partic. 106.

QVÆSTIO PRIMA.

Pomponat. dubit. 98.

QVomodo Aristoteles contradictoria oppositione numeret, & distinguat differentias similarum. soluitur ibidem in commentario.

AN-

ANNOTATIONES IN CAPITVLVM DVODECIMVM


Ad Particulam 107.

ANNOTATIO.

MVltæ dubitationes suboriuntur in hac particula. primo autem, quoniam Aristoteles pro eo quod concretile designet, quod impotentia passiua, vel impotentia consistit causam reddit concretionis. multæ verò hæc inter se differunt, sicut differunt risibile, & ridere. neq; verò qui causam reddit, risus scilicet deformitatem sine dolore, reddit causam risibilitatis, quæ est rationalitas ipsa. An Arist. de causis concretionis prius agit, vt ducat ad cognitionem concretilis, & inconcretilis inditat in epilogo, qualia igitur concretilia, & paulò post incócretilia definiri ibi inconcretilia autem. Secunda dubitatio est. cur Aristoles addat dictionem (indurant) dum dicit (corporum enim quæcunque concrescunt, & indurantur) non debebat enim restringere se Aristoteles ad concreta dura; cum & sint concreta mollia ex superioribus hic autem debet agere de concretili in vniuersum cum sit è differentia corporum nedum durorum, sed etiam mollium. An Aristoteles addit dura non tanquàm, quæ sola sint tractanda, sed tanquam præcipuè sunt tractanda. Tertia dubitatio dicit Aristoteles concrescere alia ex humidi absentia, alia ex absentia caloris, at omnia concrescunt ex humidi absentia. nam & quæ calore exuuntur eatenus concrescunt, quatenus cum calore humor exit. nam & supra dixit concrescere in vniuersum esse quoddam exiccari, cur ergo Aristoteles in aliorum concretione adducit causam proximam in alijs remotam. vel in vtrisq; proxima erat adducenda, vel in vtrisq; remota, quæ est absentia caloris ex cap. 9 part. 85. Quarta dubitatio. Mel dicit inconcretile, at cap. 10. concrescere mel coctum dixit, an fortè mel crudum non concrescit, coctum concrescat. Quinta dubitatio dicit argentum viuum non concrescere. Contrarium afferunt chymici, qui contendunt aurum, & argentum ex eo concreto producere. an loquitur Aristoteles secundum ordinariam actionem caloris & frigoris, non autem secundum extraordinariam & actionem, & diligentiam, & curam, vt antea quoque de liquatione ferri diximus, & ipse dicit. Sexta dubitatio. Dicit non concrescere piscem, at in multam duritiem cogi piscem patet. Vnde pix etiam distinguitur in liquidam, & siccam, quæ fit ex coctione. liquidè ergo pix cocta concrescit. An fortè pix cruda non concrescit. cocta concrescit. Septima dubitatio est Pomponatij dubit. 103. contra dictum Aristotelis quę non habent humiditatem aquosam, sed plus calidi & terrea non concrescere. Est ergo dubitatio, quod mel oporteat concrescere à frigore scilicet cum liquetur à calore, & tamen non habet humiditatem aquosam, &c. Respondet Pomponatius concretio-

tio-

cretionem duplicem esse aliam arctiorem, & complectitur solam, & veram concretionem aliam latiorem, quæ comprehendit etiam medium inter concretionem, & liquationem. Sed Pomponatius non respondet tollendo causam falsi, vt monet Aristoteles faciendum 8. Topic. est verò maxima à sua vniuersitate falsa, quicquid liquatur à calido concrescit à frigido. falsum enim est de illis, quæ non sunt concretilia in genere concretilium esse in genere non concretilium, sed incrassabilium solum non est vera maximè ad doctrinam verò de medio inter liquatum, & concretum, non verè id datur secundum genus. quicquid enim est. aut liquidum est, aut concretum ex cap. 13. at secundum gradus est liquidum aliud omnino fluidum. aliud autem in eo genere consistentia, quæ incrassationem scilicet susceperunt non concretionem veluti oleum, & mel frigore secundum verò hos gradus, quæ liquidiora à calore redduntur à frigore minus fluida efficiuntur, incrassantur scilicet, vt de oleo melle patet. Octaua dubitatio est Pomponatij dubitione 106. De seuo quod friabile cum sit 2.de part. animal. cap. 5. concrescere etiam oporteti & tamen habet plus aeris, quam aquæ, at Aristotelis canon est, quæ plus aeris habent, quam aquæ non concrescere. at oleo accidit. An responsio est ex verbis Aristotelis obuia sunt illa. Et quæcunque quidem aquę sunt, habent autem plus aeris, sicut oleum, & argentum viuum, &c. duo ergo requirit Aristoteles in canone esse aquæ, & habere plus aeris harum conditionum prima abest à seuo: est enim terræ non aquæ, vt Aristoteles significat in dicto loco de animalibus.



FINIS.